7/7/1982

S.1301A

BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY.


ACTA
PHYSICO-MEDICA
ACADEMIAE CAESAREAE
NATVRAE CVRIOSORVM
J. G. Pintz. sc.

ACTA
PHYSICO-MEDICA
ACADEMIÆ CÆSAREÆ
LEOPOLDINO-FRANCISCANÆ
NATURÆ CURIOSORUM
EXHIBENTIA
EPHEMERIDES
SIVE
OBSERVATIONES HISTORIAS
ET EXPERIMENTA
A
CELEBERRIMIS GERMANIÆ
ET EXTERARUM REGIONUM
VIRIS
HABITA ET COMMUNICATA SINGULARI STUDIO
COLLECTA.
VOLUMEN OCTAVUM
CUM APPENDICE
ET PRIVILEGIO SACRÆ CÆSAREÆ MAJESTATIS.

NORIMBERGÆ,
Impenſis B. W. M. ENDTERI CONSORTIUM,
ET VID. B. ENGELBRECHTI.
TYPIS FLEISCHMANNIANIS ANNO MDCCXLVIII.

BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY

ACTORUM PHYSICO-MEDICORUM ACADEMIÆ CÆSAREÆ NATURÆ CURIOSORUM

VOLUMEN OCTAVUM.

OBSERVATIO I.

DN. D. JOANN. CHRISTOPH. KÜHNST.

Camphoræ in figuram orbicularem ſublimatio & colliquatio, atque utriusque laboris uſus.

Nemo illorum, qui de Camphora ſcripſerunt, modum & rationem, quomodo eadem per depurationem, ſeu refinationem, certis quibusdam familiis Belgarum unice cognitam, in figuram orbicularem redigatur, accurate demonſtravit: Illi enim, qui adſeruerunt, Camphoram colliquatione in figuram hanc redigi, ab aliis,

qui id ſublimando præſtare nituntur, falſitatis arguuntur, id quod & poſterioribus his evenit a prioribus, dum interim neuter horum modum genuinum cum enchireſibus, vel ſublimando, vel colliquando eam refinandi, & in laudatam formam orbicularem redigendi, indicavit.

Occaſione obſervationis jam pridem a me ad Acta Academiæ hujus Cæſareæ communicata, & in *Volum. V. Obſerv. 98. pag. 348. ſeqq.* publici juris factæ, in qua perſpicuis & accuratis experimentis, quæ etiam cuilibet in arte chemica hoſpiti haud inutilia erunt, demonſtravi, quomodo Camphora apud Belgas colliquando in figuram orbicularem reducatur, ab Anonymo quodam in *Commercio literario Norimberg. Hebd. XXXIX. An. 1741.* alius modus Camphoram depurandi, ſeu refinandi, & in orbiculos redigendi, producitur, & quidem per ſublimationem, inſimulque quædam contra hanc meam obſervationem monentur. Pro majori autem ſibi concilianda fide, ſtatim ab initio refert, quod de ipſo procedendi modo, cum Amſtelodami commoraretur, ex ſingulari favore certior factus ſit, atque non ſolum ſæpius eundem oculis propriis ab initio ad finem usque obſervaverit, verum etiam, quidquid ad illum pertinet, ex illis ipſis, qui rem tractarunt, cognoverit, atque præterea propria exploratione probatum invenerit, & idcirco ſibi incumbere judicaverit, ut omnia curioſis naturæ indagatoribus publice exponeret.

Quamquam ergo hæc Batavorum methodus Camphoram depurandi in prædicto *Commercio litterario* ab Anonymo illo perſpicue tradita ſit, ut hinc Lectorem benevolum eo remittere poſſem; commodi tamen publici gratia integrum proceſſum propriis Auctoris verbis repetere & hoc loco denuo inſerere placet, qui in ſequentibus conſiſtit:

1. Camphora cruda craſſiuſcule contunditur, cum additamento quodam miſcetur, & vitris illis peculiaribus, quæ Nonnen *vocantur, inditur.*

2. *Vitrum ita repletum capellæ non adeo profundæ committitur, arena ad tubulum usque obtegitur, ac ſenſim ſenſimque ignis augetur, uſque dum Camphora aquæ inſtar fluat. Cognoſcitur hoc ex fumo per tubulum ſurgente & probe obſervando: indicium namque eſt incipientis ſublimationis.*

3. *Quam primum hic fumus oritur, orbiculus ex charta craſſa illa cœrulea, qua ſaccharum vulgo involvitur* (blau Zucker-Pappier) *ad magnitudinem ſuperficiei ſuperioris exciſus, & in medio pro tubulo transmittendo perforatus, vitro horizontaliter imponitur & cono ex ſimili charta confecto totus tubulus obtegitur, eum in finem, ne Camphoræ portio ſub fumi forma adſcendens, avolet, ſed vel cono adhæreat, vel in ſubjectum orbiculum chartaceum decidat & conſervetur.*

4. *Eodem tempore arena parce & pedetentim a ſuperiori vitri parte removetur atque deinde pari gradu lento ipſum vitrum ex arena extrahitur, uſque dum fundus demum illius liber ſuper arena compareat. Et hac ratione Camphora a calore inferiore ad ſuperiorem vitri partem frigidiorem pellitur, ibidemque concreſcit.*

5. *Vitrum penitus frigefactum eximitur, cujus fundum operarii uno ictu peculiari enchireſi auferre ſciunt, qui nihil præter pulverem atrocinereum, additamentum namque & commixtas impuritates combuſtas continet.*

6. *Tubulus vitri una cum camphoræ portione, quæ ſublimata huic inhæret, pari enchireſi provida aufertur, oleoſæ & fuliginoſæ particulæ inter vitri latera & camphoram collectæ abſcinduntur & abraduntur, impuritates collectæ crudæ camphoræ alia vice ſublimandæ addüntur, orbiculi vero purificatæ ſeu refinatæ camphoræ ſtatim ſupra memorata charta cœrulea involvuntur & in ciſtis reconduntur.*

7. *Subtilis & flocciformis camphoræ portio candida, quæ partim tubulo inhæret, partim ſub initio ſublimationis*

egreſſa a cono colligitur, flores camphoræ nominantur, atque etiam cum cruda camphora iterum miſcentur.

8. *In laboratorio Amſtelodamenſi quotidie* 53. *vitra veſperi replentur, altero mane cupellis committuntur, turffarum igne tractantur, & prouti hic vel citius vel tardius ſubjicitur, citius tardiuſve eximuntur; plerumque vero ſingulæ ſublimationes igne per 12. horarum ſpatium continuato abſolvuntur. Singula vitra denſe infarcta 2. ℔. p. c. Camphoræ crudæ continent, poſt ſublimationem autem quilibet orbiculus refinatus pendet* 1¼ ℔, *quandoque etiam plus minusve, quod decrementum vero non tam ab ignis vi, quam ab oleoſis iſtis fuliginoſisque particulis abraſis ipſisque floribus iterum colligendis provenit: nihilo minus Batavi amant, jacturam hanc charta, quæ pro involucro inſervit & una cum camphora libratur, callide reſarcire.*

9. *Additamentum, quod pro impuritatibus, dum Camphora fluit, imbibendis requiritur, ad ſublimationem autem non idoneum eſt, ſed in fundo remanet, eſt, ut nil arcani relinquam, ſimplex creta alba, cuius uncia dimidia ſingulis camphoræ libris admiſcetur.*

Ex his ergo Anonymus noſter demonſtrare conatur, quod Camphora a Batavis additamento certo per ſublimationem unica vice depuretur inque orbiculos conformetur, adſertum autem meum, refinationem nempe repetitis vicibus, vel duplici labore, primo nimirum per ſimplicem depurationem, & deinde per colliquationem fieri, cum veritate haud conveniat. Interim quidquid etiam horum ſit, ego certe hoc loco non perſcrutabor, fuſiusque indagabo, an ea, quæ Anonymus pro obfirmando ſuo adſerto fundamenti loco ponit, quod ſcilicet omnia illa corpora, quæ in aërem liberum facile ſeſe diffundunt, vi ignis adhuc volatiliora reddantur, atque idcirco etiam Camphora itidem in aërem evaporatione tranſiens, mediante igne citius & facilius volatilis

& ſub-

& ſubtilior evadat, veritati & experientiæ reſpondeant? ſiquidem abunde ſatis jam cognitum eſt, quod varia ſubjecta in igne ſub acceſſu aëris liberi penitus avolantia, tamen in vaſe clauſo maxima etiam vi ignis haud abigantur, quemadmodum hoc experimentum a NEUMANNO in *Tract. de Camphora p. 130.* adductum, confirmat, qui Camphoram veſicæ bovinæ incluſam, per integræ horæ ſpatium in aqua coqui curavit, absque ullo tamen diſpendio ponderis, quæ alias intra quadrantem horæ, adcedente aëre libero, in veſica aperta & aqua bulliente repleta, omnis omnino avolaſſet. Eodem ex fundamento inquirendum etiam foret, annon ſurgente & egrediente fumo Camphoræ *num. 2.* priusquam orbiculus chartaceus cum chartaceo cono *num. 3.* imponitur, igne per 12. horarum ſpatium continuato, juxta *num. 8.* major Camphoræ quantitas, quam quarta tantum pars libræ, in auram abeat & perdatur, cum intra ignis urgeat, & ſupra aër liberior vitra ambiat & avolantes particulas facile recipiat; aut etiam, an decrementum illud ratione ponderis occurrens, unice, juxta mentem Anonymi, oleoſis & fuliginoſis particulis, floribusque dein iterum colligendis, ſit tribuendum? Placet potius jam tantum demonſtrare, quod Belgarum pariter, ac illa a me deſcripta Camphoram refinandi methodus uno eodemque fundamento nitatur, dum per utramque illam Camphora cruda ab impuritatibus ſuis liberatur & in orbiculos certæ cujusdam figuræ redigitur.

Quamvis itaque Camphora juxta meum procedendi modum labori duplici ſubjiciatur, priusquam puritatem ſuam & figuram ordinariam nanciſcitur, Batavorum tamen methodo præferendus ille eſt, inprimis quoniam labor uterque, eodem fere temporis ſpatio ad finem perduci poteſt, quo unica illorum operatio abſolvitur. Pro confirmanda hujus adſerti veritate jam rurſus univerſum meum proceſſum perluſtrabimus, ſimulque dein uſum præ Belgica ſublimatione demonſtrabimus.

1. Quantitas aliqua Camphoræ crudæ veſicæ immittatur cupreæ, adfundatur aqua limpida, vitreus vel terreus alembicus, tubulo inſtructus lato, imponatur, vas recipiens adaptetur, ſic, adhibito illo gradu ignis, qui ad deſtillationem requiritur, Camphora unacum vaporibus aqueis, cito adſcendet, & in alembico ejusque tubulo, necnon in vaſe recipiente nivis ad inſtar comparebit.

2. Hoc facto cunctisque refrigeratis, Camphora adhærens colligitur, hujusque libra una cum dimidia, vel duæ, vitris illis capacioribus, in *Volum. V.* horum Actor. *Obſerv. 98. pag. 349.* commemoratis, quæ alias *Zucker-Glæſer* vocari ſolent, immittuntur, iisque alembici cœci imponuntur, & juncturæ luto probe muniuntur. Aqua autem in veſica cuprea & in vaſe recipiente reſidua iterum adhibetur ad novas deſtillationes & depurationes Camphoræ crudæ.

3. Dein vitra in majorem quandam cupellam arenariam reponuntur, omni fere ex parte arena conteguntur, unoque impetu ignis carbonum fortis ſubjicitur, ut Camphora in iisdem tanto citius fluere incipiat.

4. Quamprimum Camphora in fluorem eſt redacta, ignis ſtatim aufertur, & poſt plenariam refrigerationem vitra eximuntur, alembici removentur, fundoque vitrorum ſuper carbones leniter iterum calefacto, orbiculi Camphoræ facili negotio eximuntur.

5. Colliquati ita & optime depurati tales Camphoræ orbiculi in margine cultro quadantenus præſcinduntur, chartæ cœruleæ involvuntur & in ciſtulis adſervantur.

6. A margine acuto ablata & collecta Camphora reliquæ primo labore purificatæ admiſcetur, & rurſus ignis ope in prædictis vitris in orbiculos redigitur.

7. Pro lubitu atque intentione diverſa majores exſtrui poſſunt furni, viginti, triginta, immo plura adhuc ejusmodi vitra capientes, totusque hic labor intra duas vel tres horas

ras poteſt abſolvi, & hinc quotidie binis vicibus commode repeti. Proinde & jam hac ratione nihil fere amittitur, ſed integrum pondus vitro antea immiſſum, absque notabili aliquo decremento, iterum obtinetur.

8. Nullo etiam additamento opus eſt, ſed labor iſte eſt ſimplex & a quolibet Chemiæ leviter etiam gnaro peragi poteſt. Si vero etiam aliquid adhuc addere cuidam placeret, tunc in prima operatione loco aquæ communis lixivium bonum adſumere poſſet, quippe quo Camphoræ crudæ forſan adhærentes oleoſæ particulæ, parum vero in eadem conſpiciendæ, tanto facilius retinentur.

Ex ſingulis his ergo perſpicue nunc adparet, quod methodo noſtra per colliquationem Camphora eandem figuram orbiculorum nanciſcatur, ſicut apud Batavos per ſublimationem, & quod utraque hac ratione Refinationis unus idemque finis obtineatur. Proinde autem noſtram methodum Camphoram depurandi & in orbiculos colliquandi majori adhuc cum emolumento, quam Belgarum modum ſublimandi, tractari poſſe, ſequentia pluribus oſtendent.

1. Batavi ad quamlibet operationem nova adhibent vitra, adeoque unica tantum vice iisdem uti poſſunt, quoniam pro eximenda Camphora ſublimata illa ſemper diffringi debent; noſtra vero methodo omnia vitra tam diu retineri poſſunt, donec forte unum eorum per accidens diffringatur. Amſtelodamenſes in laboratorio ſuo quotidie quinquaginta tria ejusmodi vitra, quæ *Nonnen* adpellantur, cupellis imponunt, quæ ſingula dein, abſoluta operatione, franguntur. Si vitrum tale tantum ſex nummis æſtimatur, ſumtus quotidianus ad thalerum cum duobus groſſis & ſex nummis adſcendit, per hebdomadam dein ſexies quinquaginta tria vitra requiruntur, quæ ſumtus ad ſex Joachimicos, & quindecim groſſos adaugent, hique tandem per ſingulos annos ad trecentos & ſexaginta octo thaleros cum duodecim groſ-

ſis

ſis excreſcunt. Quoniam igitur impenſis his, ſi ſemel comparata fuerint vitra, carere poſſumus, utique hic in anteceſſum ſumma trecentorum ſexaginta octo Joachimicorum in commoda noſtra cedit.

2. Batavi ſingulis in vitris, quæ ſemper Camphoræ crudæ libras duas continent, abſoluta qualibet operatione quartam libræ partem deficere deprehendunt, ſicque hic defectus in quinquaginta tribus vitris quotidie tredecim libras cum quadrante efficiet, intra ſex dies vel hebdomadam ſeptuaginta novem libras cum dimidia, & intra quinquaginta duas hebdomadas, vel annuum ſpatium, quatuor mille centum & triginta quatuor libras. Quia autem impuritates in Camphora cruda adhuc reſiduæ ſingulis in libris etiam ad trigeſimam ſecundam partem cum dimidia æſtimantur, hinc melioris certitudinis gratia & ad juſtam proportionem exactius determinandam, ſimiliter ad ſingulas libras, loco unius & dimidiæ, duas ejusmodi partes computare, huncque defectum tam circa Belgarum ſublimandi, quam noſtram colliquandi methodum, (quoniam ſingula vitra duas Camphoræ libras continent,) idcirco ad quatuor partes extendere placet, qui tamen defectus utrique operationi communis eſt; & ſic prius illud ſupra allegatum decrementum ſingulis annis quoad dimidium eſſet imminuendum, ad libras nimirum bis mille & ſexaginta ſeptem, quippe quæ ſingulis annis in operatione Belgica certo certius perduntur & in auram abeunt, in operatione noſtra autem in vitris remanent & conſervantur. Si ergo pretium cujuslibet libræ Camphoræ tantum ad unicum conſtituimus thalerum, jactura dicta intra ſpatium anni ad bis mille & ſexaginta ſeptem Joachimicos adſcendit, qui pariter juxta noſtram colliquandi methodum adhuc in ſalvo manent, quoniam quantitas hæc Camphoræ, juxta ſuperius demonſtrata, in vitris noſtris retinetur.

3. Ba-

3. Batavi charta ſua cœrulea, cui orbiculos Camphoræ involvunt, ad incommodum quoddam reſarciendum abutuntur, dum jacturam ſublimatione factam & in ſingulis orbiculis ad octavam partem libræ æſtimatam, dicta hac charta compenſare ſatagunt. Si quis ergo injuſti hujus quæſtus etiam vult fieri particeps, tunc methodo noſtra, qua Camphoram retinemus, quæ juxta illorum methodum avolat, itidem ſummam bis mille & ſexaginta ſeptem Joachimicorum lucrari poteſt, ſi nimirum quantitatem illam, a nobis ita conſervatam, ab orbiculis removere & ſeorſim divendere voluerit.

4. Emolumentum illud ſpeciale, quod ob breviorem duplicis noſtri laboris ſucceſſum, qui ſingulis diebus abſolvi poteſt, dum Batavi binos inſumere debent dies, intuitu carbonum, minori in quantitate adhibendorum, emergit, jam determinare non ſtudebimus, quia incertus tantum numerus conſtitui poteſt.

5. Si ita ex ſupra adductis lucrum illud demonſtratum refinationis noſtræ cum belgica ſublimatione, inprimis autem quoad hanc ultimam ſumtus vitrorum, defectum Camphoræ a ſublimatione tali dependentem venditamque cœruleam chartam pro Camphora, prudenter aliquis conſiderat, facile exinde perſpiciet, noſtram methodum in ſola colliquatione conſiſtentem, ob inſigne illud, quod præbet emolumentum, variaque alia commoda, Batavorum ſublimationi longe omnino præferendam eſſe.

(*Ronneburgo Erfordiam miſſa d. 22. Octobr. 1743.*)

OBSERVATIO II.

DN. D. JOANN. PHILIPPI WOLFFII.

de

Calculis elegantiſſimis in veſicis bovinis repertis.

Cum haud ita pridem clariſſimi Dn. D. LAVATERI Diſſertationem inauguralem de *Calculo renum & veſicæ*

itemque *de Rheumatiſmo*, Anno 1718. Baſileæ publice ventilatam, perveſtigarem, ſequentia inprimis verba paragraphi XVIII. binas mihi obſervationes, illi, quæ heic loci communicatur, haud abſimiles, in mentem revocarunt: *Obſervatio circa lapides, quos in veſica bovis non ante multas ſeptimanas invenit excellentiſſimus atque experientiſſimus Dn. D.* STAEHELIUS, *Anatomices & Botanices in inclyto Rauracorum Lycæo Profeſſor meritiſſimus. Nimirum allata eſt huic viro, in re medica apprime curioſo, veſica bubula, ex qua innumeros eruit calculos variæ magnitudinis, quorum maximi piſi magnitudinem adæquarunt, minimi arenulæ adinſtar fuerunt, omnesque figuram rotundam habuerunt, ſed ibi depreſſi fuerunt, ubi veſicæ, dum adhuc molles eſſent, vel aliis lapillis incubuerunt. Coloris extus fuerunt gryſei, intus flaveſcentis, & penitus aurei fulgentis. Compoſiti erant ex plurimis lamellis tenuiſſimis, quarum una aliam incruſtavit; maſticati urinam vaccinam ſapuerunt. Eorum aliquos accuratiſſime, quantum fieri potuit, acuto ſcalpello diſcidimus per medium, & per microſcopium inſpeximus, ſed nullam in eis ſubſtantiam ab exteriori diverſam detegere potuimus, neque cavitatem in medio deprehendimus. &c.*

Binæ illæ obſervationes, quas ipſe ego adnotavi, huic modo recenſitæ, prout ſupra jam jam indicavi, perfecte ſimiles ſunt; unde etiam calculos hoſce, in binis diverſis bobus diverſoque tempore repertos, pro majori fide conciliandа, Illuſtri noſtro Præſidi transmiſi. Priores horum Anno 1740. menſe Februar. ab inſpectore villæ cujusdam ex vicinia mihi tradebantur, adjuncta hac relatione: Bovem robuſtum atque ſanum obſtructione urinæ diuturniore laboraſſe, pabulum interim ſuum, uti antea, devoraſſe, multumque aquæ hauſiſſe usque ad interitum, qui inter longum boatum evenerit. Poſtquam cadaver apertum fuit, veſica diſrupta & ultra triginta menſuræ aquæ, in abdominis cavitate fluctuan-

tis reperiebantur, in ipſa autem veſica multi calcuii ſplendeſcentes atque rutili conſpiciebantur, quorum unum ſcalpello diſciſſum exactius conſideravi & mirabili modo lamellas undique æquales, ſibi invicem ſuperimpoſitas, jucundo ſpectaculo obſervavi. Diverſæ lapilli hi erant magnitudinis, & maximi piſum majus adæquabant, aliquo modo etiam depreſſi in convexitate conſpiciebantur, uti autopſia uberius id demonſtrabit.

Poſteriores minores lapilli in bove ſano ſaginato a lanione Kittingenſi anno 1742. menſe Junii mactato, dum veſicam tubulo, ut exſiccaretur, inflavit, deprehendebantur, cum totidem aliis, variæ pariter magnitudinis, quos omnes lanio joci crepandique gratia in veſica reliquit, hos vero, quos transmiſi, Chirurgus, qui cum aliis veſicis bubulis & hanc coëmerat, mihi obtulit, dimidiam reliquorum partem ſibi reſervans. Hi ad magnitudinem grandinis plumbeæ mediocris & minimæ adcedunt, ejusdemque formæ, coloris, conſiſtentiæ atque texturæ ſunt ac priores. Quemadmodum vero obſervatio una non raro alteram illuſtrat, vel ad minimum confirmat, ita quoque occaſione differentis magnitudinis horum calculorum, diverſo tempore detectorum (priores quippe & majores menſe Februario, poſteriores autem & minores menſe Junio inventi fuerunt,) recordor, me quondam in libro quodam, cujus auctorem nunc ob vacillantem memoriam allegare non poſſum, legiſſe, jumentorum calculos menſibus hiemalibus, ob pabulum cr.ſſius & ſiccum, ſemper magis augeri, menſibus vero æſtivis, ob pabulum in paſcuis ſalubre & roſcidum, diminui, immo plane diſſolvi (*) & cum urina turbida excerni; quod adſertum veritati

 haud

(*) His a cl. Auctore citatis apprime reſpondent, quæ cl. D. D. JO. GE. HENR. KRAMERVS annotavit in Medicina caſtrenſi chirurgica p. 176. his verbis latine redditis: boves ungarici in paſ-

haud repugnare, mihi videtur, ſiquidem minimi præſentes calculi vix ac ne vix quidem; cum arenula, ſeu granulo ſabuli, magnitudine æquiparandi ſunt, nihilo tamen minus exactiſſime ſunt lævigati, ſicuti granula, ſeu nuculæ in centro majorum horum lapillorum reperiundæ; ob ulterioris autem experientiæ defectum, ſententiam hanc ſatis probabilem ſagaciori curioſorum indagationi relinquo.

OBSERVATIO III.
DN. D. JOANN. PHILIPPI WOLFFII.
De
Tuberibus terræ eſculentis, ſeu triffolis, & peculiari eos inveſtigandi modo.

Pro epulis Magnatum ſumma cura inprimis cibi ſaporem aromaticum, gratum ſapidum atque odorem fragrantem ſpirantes, (quem Galli *haut gout* vocant,) in dies magis magisque excogitantur atque præparantur, ad quem ſaporem conciliandum illa vegetabilia, quæ noſtra terra alit, neutiquam ſufficiunt, ſed potius exotica magnis & ſæpenumero ſtupendis ſumtibus è locis maxime diſſitis transmarinis adportantur & in culinis uſui atque illecebris gulæ impenduntur. Horum vegetabilium autem, præcipue adcedente abuſu, varia ſanitati noſtræ plus una vice in haud exiguum detrimentum cedunt, varia autem pariter ſani-

paſcuis Ungariæ ſævo hiberno tempore, ob aquas congelatas, potu carent, & bobus ſaginandis nullus porrigitur potus, ſed ſolum fœnum aut gramen. Horum omnium jecur & fellis veſicula per hiemem, vel quamdiu gramine vivo carent, ſcatent calculis; quam primum vero gramine iterum veſcuntur, concrementa hæc calculoſa iterum ſolvuntur ita, ut Viennæ Auſtriæ, ubi per ſingulas hebdomadas aliquot millia boum conſumuntur, nullus talis calculus tunc temporis amplius reperiatur. C. J. T.

nitati noſtræ, viribusque ſtudiis aliisve rebus arduis fractis, egregie non ſolum opitulantur, ſed & opipare viventibus ſanguinem adaugent, ut inde abundantia ſucci nutritii enaſcatur. Sub horum poſteriorum cenſu, bene nempe nutrientium, & quæ ſimul ſanitati noſtræ velificantur, inſimulque delibatiſſimas ſanguinis partes, ſemen nimirum atque ſpiritus animales, generant, multiplicant atque ſubtiliores reddunt, omni jure tubera terræ eſculenta, ſeu *Triffolos*, comprehendi poſſe, nullus omnino dubito, quemadmodum id per experientiam inprimis in langueſcentibus atque decrepitis, nec non in iis, qui defectu magis, quam abundantia ſanguinis laborant, ſufficienter deprehendimus.

Triffoli hi haud ita multis retro luſtris ex Italia magnis ſumtibus allati ſunt, ita, ut unica illorum libra quatuor & pluribus florenis divendita fuerit. Cum vero caſu fortuito noſtris in ſylvis aliisque locis Triffoli, illis ex Italia allatis tam quoad formam, quam odorem & ſaporem ſimillimi, effoderentur, modus vero loca talia veſtigandi lateret, varii Principes ex Italia venatores in hoc negotio verſatos, canesque veſtigatorios multo aere conduxerunt atque coëmerunt, quorum ope tandem innotuit, quod & noſtra tellus Triffolos, bonitate excellentiaque Italicis neutiquam cedentes, producat atque depromat; canes quoque Triffolos veſtigantes dociles indigenos in hac re brevi temporis ſpatio ita inſtruxerunt, ut nunc paſſim in Germania Triffoli ubertim detegantur effodianturque. Nomen *Triffolorum* quod concernit, tales Hiſpanis *Toſena*, Gallis *Truffes*, Italis *Triffoli*, Anglis *Trutfles*, Belgis *Artuyten*, Latinis *Tubera terræ* & Germanis Trüffel vocantur, de quibus fuſius egit Doctiſſ. BRUCKMANNUS in *Epiſtola itineraria XX*. Sunt autem Triffoli tubera fuſca, vel potius ſubnigra, variæ magnitudinis variæque formæ, utplurimum tamen ad rotunditatem inæqualem (*hockericht*) adcedentia, aſpera, corti-

ce, exiguis prominentiis plurimis conſpicuo, cincta, ad inſtar corii illius nigri, Cordubæ olim inventi, atque primo parati, vulgo *Glanz - Corduan;* interior autem pars, ſeu pulpa, vel caro, in nonnullis alba, in optimis vero, quos ego quidem vidi atque comedi, marmorata, ad inſtar diſciſſæ nucis moſchatæ, ſimulque in gryſeum colorem quodammodo vergens, deprehenditur. Odor ante & poſt coctionem eſt perquam fragrans & gratus, hinc omnino ſapidiſſimam eſcam præbent palato. In conviviis Magnatum, quantum coram obſervavi, corticem a pulpa ſeparant eumque rejiciunt; ego vero eundem cum pulpa iteratis vicibus guſtavi & ſaporem gratiſſimum deprehendi, id quod tamen parum refert, cum de guſtibus non ſit diſputandum. Triffolis recentibus Magnatum in menſis non ſolum inſtar obſonii in ſubſtantia veſcuntur, ſed & cibos alios illorum ope ſapidiores, fragrantiores guſtuique gratiores reddunt; torrefactis quoque Triffolis ad juſcula, condimenti ſapidiſſimi loco, utuntur. Solum natale horum tuberum quod attinet, utplurimum illud conſtituunt ſylvæ, ubi coryli, fagi atque quercus creſcunt, in quibus ſub ceſpite mox unius, mox duorum pollicum, interdum etiam dimidii vel unius pedis profunditate, immo altius reconditi ſunt; illi, qui palmæ transverſæ profunditatem ſitu adæquant, maximi utplurimum & tam quoad odorem, quam ſaporem, optimi eſſe ſolent. Terra inſuper, ſeu ſolum deſertum, pingue, nigrum, ſimulque arenoſum & quodammodo argilloſum, ubi liberior aeri conceditur tranſitus, optime iisdem conducit. Quodſi æſtas humida fuerit, tunc in acclivioribus vel planis plagis; ſicciori vero exiſtente in declivioribus, & quidem majori in copia circa arbores, vel ubi nemora aut fruticeta excelſa non ita pridem exſtirpata fuerunt, reperiuntur. Æſtate creſcunt, menſeque Septembre & Octobre maturitatem ſuam acquirunt, quam adepti, odorem perquam

quam fragrantem ſpirant, ita, ut hoc tempore facillime a canibus veſtigatoriis detegantur. Numerum quod concernit, interdum quatuor vel ſex, immo decem & plures in uno loco occurrunt, qui diverſæ magnitudinis, hincque etiam diverſi ponderis ſunt; alii namque avellanæ, alii juglandis, alii ovi, aliique pugni magnitudinem adæquant & ſuperant. Vidi egomet ipſe nonnullos Triffolos in Comitatu Caſtellenſi effoſſos, qui duodecim uncias ponderarunt. Optimi ſunt atri coloris, tuberoſæque circumferentiæ atque aſpredinis corticis & fragrantioris odoris. Nullum plane caulem emittunt, quotannis hieme putreſcunt atque corrumpuntur, hocque tempore fœtidiſſimum, loco antea gratiſſimi, odorem ſpargunt. Ad uſum Triffolorum eorumque virtutes quod attinet, eos inter euchymos cibos omnino collocari poſſe, nequaquam dubito, pulpa quippe ſeu medulla egregie languenti ſtomacho ſuccurrit, optimeque exſatiat & nutrit, quod ego plus una vice obſervavi & propria experientia edoctus fui, bonum quoque ac laudabilem, itemque copioſum & ſpirituoſum largiuntur chylum, unde etiam fœminis lactantibus lac, in viris autem ſemen eximie augent, impotentiam in enervatis atque ſenibus tollunt, veneremque ſtimulant, hancque ob cauſam celeberrimus nuper beate defunctus TEICHMEYERUS, in *Inſtitutionibus materiæ medicæ Sect. III. cap. 18. pag. 181.* omni jure eosdem aphrodiſiacis adnumerat.

Supereſt nunc modus, canes ad Triffolorum veſtigationem inſtruendi, quem nuperrime quidam Triffolorum veſtigator, qui haud raro unico die viginti, immo triginta libras horum tuberum eſculentorum collegit, mihi aperuit, atque ab aliis hujus rei gnaris per experientiam confirmatum fuiſſe, audivi, isque in ſequentibus conſiſtit: Sumitur canis docilis juvenis, qui nondum aliud quid veſtigavit, ſive ſit lanuginoſus, ſive alius; hic ſedulo fune alligatur, vel

tantum

tantum cuſtoditur, ne eſcam quampiam devorare poſſit, & tunc cepæ, panis ſimilagineus atque caſeus rancidus (cum pauxillo fellis bovini (odorem acuendi gratia,) miſcentur atque in unam maſſam coguntur, quæ maſſa in ollam recentem reconditur & operculo probe munitur, ſicque per nychthemerum adſervatur, poſtero vero die duo vel tres boli depromuntur, & ſub ceſpite negligenter defodiuntur, terraque effoſſa iterum pauliſper teguntur, quo facto, canis in aream, ſeu locum, ubi boli hi abſconditi ſunt, ducitur, ut fragrantiore hujus maſſæ odore allectus, bolos veſtiget, donec illos inveniat. Poſtea elapſa præter propter hora, iterum aliquot boli hujus maſſæ paulo profundius in terram defodiuntur, & poſtquam per unius horæ ſpatium ibidem latuerunt, canis iterum deducitur in illum locum, ſique hos bolos veſtigando iterum invenerit, tunc iterum alii boli dictæ maſſæ in terra abſconditi per totam noctem relinquuntur, & canis demum altero die in locum talem deducitur, hisque pariter ab illo detectis, poſt modum panis cum Triffolis vel eorum corticibus commiſcetur, & in olla nova, operculo probe tecta, iterum per viginti quatuor horas ſeponitur, tunc panis iſte ſimiliter ſub terram ceſpitoſam (uti maſſa ſuperior) reponitur, ibidemque diutius, quam antea dictum fuit, relinquitur, ſin & hunc reperiet, tunc canem libere veſtigare permittunt in loco Triffolis fœcundo, quoniam tunc ad illorum veſtigationem ſatis inſtructus & aptus eſt. Quodſi Triffoli tandem ſuperficiarie, vel non nimis profunde, in terra jaceant, tunc canis hos ipſe facili negotio eruere valet; quodſi vero altius ſint abſconditi, tunc veſtigator ope rhizotomi eos effodit, ne moram nectendo tempus fruſtra perdatur. Circa fel bovinum adhuc notandum eſt, hoc maſſæ ſupra deſcriptæ non ſemper admiſceri, ſed qui artificium hoc mihi revelavit, id pro arcano ſibi habet; addidit adhuc, fel tale odorem canis ejusmodi veſtigatorii per-

perquam acuere; ſic etiam addebat, ſe ad maſſam ſuam conficiendam panem ſiligineum præ ſimilagineo ob eandem cauſam eligere. Coronidis loco ſubnectenda adhuc reſtat regula à Triffolorum veſtigatoribus obſervanda: Canis nempe talis veſtigatorius, jejuno adhuc ſtomacho, in aream Triffolorum ducendus eſt, ne ſaturatus in veſtigatione ſegnitie corripiatur, veſtigator vero ipſe panem ſimilagineum butyro illitum ſecum ferre debet, & quoties canis unum vel alterum Triffolum detexit, toties quoque unicum bolum hujus panis butyracei illi porrigat, ut canis majori cupiditate flagret atque ſtimuletur in Triffolorum veſtigatione.

(*Rüdenhuſa Erfordiam miſſæ d. 30. Octobr. 1743.*)

OBSERVATIO IV.

DN. D. JO. GOTTLIEB de BOETTICHER.

De

Singulari excreſcentia in vagina uteri, a prægreſſo diuturno fluore albo enata.

Aromatarii & civis Hafnienſis uxor 53. annorum, temperamenti melancholico-cholerici, poſtquam a multis curis continuoque mœrore, ex adverſa fortuna jugiter ſuborto, (quippe opibus antea valens nunc egeſtate premebatur dura,) non ſolum mali hypochondriaci pathematibus, veluti ciborum digeſtione depravata, inflatione ventriculi poſt paſtum, frequentibus cardialgiis, ructibus copioſis, obſtructione alui, vertigine, hyſtericis pathematibus, itemque febre lenta, adflicta fuerat, ſed & inſuper fluore albo ultra 20. annos laboraverat, tandem excreſcentiam quandam, in introitu vaginæ uteri generatam, ſentit, quæ ſucceſſive

adeo augetur, ut vix urina adhuc exſtillare potuerit. Erat illa coloris albiſſimi, & ratione figuræ & ſtructuræ apum favis ſimillima, ſiquidem ſubſtantia ejus ex meris lamellis, ſibi invicem incumbentibus, conſtabat, unde etiam lamellatim, absque ullo doloris ſenſu, cum ſubſequente tamen inſigni ſemper hæmorrhagia, diſcerpi poterat, nec tamen hac ratione imminuebatur, quin potius id, quod uno die ablatum erat, altero ſtatim redintegratum adparebat, ad inſtar capitum Hydræ Lernææ. Materia, ex qua formatum erat illud concrementum, lenta quidem, non tamen admodum tenax deprehendebatur, & in aqua temporis tractu quidem deliqueſcebat, fruſta autem ita eliquata, abſterſo ſanguine copioſa filamenta in fundo vaſis deponebant. In ſuperficie hujus excreſcentiæ vaſa ſanguifera minima, oculorum aciem fere ſubterfugientia, in fundo autem paulo craſſiora conſpiciebantur. Quo majora interim hæc excreſcentia capiebat incrementa, eo magis quoque lenta febris augebatur, fluor vero albus imminuebatur.

Priusquam vero initium ſuum ſumeret præternaturale hoc concrementum, per integrum fere biennium inſignis fœtor & acrimonia fere corroſiva, circa materiam ſub fluoris albi forma prodeuntem, denotabatur, unde moleſtiſſimi hujus ſtatus pertæſa ægrota, tandem auxilium a Mulomedico petiit, variaque remedia adſtringentia ab eodem obtinuit, a quorum tamen uſu non ſolum febris lenta magis exacerbata fuit, ſuccedentibus ſimul atrocioribus capitis doloribus, ſiti intenſiſſima, agrypnia continua æſtuque vehementiori, ſed etiam paucorum dierum ſpatio excreſcentia iſta prognata fuit. Poſtquam dein illa in molem antea deſcriptam excreverat, ut urinæ etiam exitum fere præcluderet, extirpationem ejus urgebat multisque precibus a me efflagitabat ægrota, quam tamen, quoniam undique per totam vaginæ uteri peripheriam radices ſuas diſperſerat, abs-

que vitæ diſcrimine nequaquam ſuſcipi poſſe facile perſpiciebam, adeoque tantum internis convenientibus remediis humorum nimium adfluxum avertere & ulterius incrementum præcavere intendebam, prorſus tamen irrito cum ſucceſſu. Hinc tandem partim ob mali diuturnitatem, partim etiam ob mariti animum admodum moroſum, deſperabunda fere reddita ægrota, Medicum quemdam empiricum juniorem, *Hacquart* cognominatum, qui parturientibus & puerperis opem inprimis ferre ſueverat, me inſcio, vocari juſſit, iſque prævia ſuperficiali tantum inſpectione ſuſpecti hujus concrementi, absque ulla a me deſiderata informatione quoad originem & progreſſum mali iſtius, ſtatim deſiderio anxiæ hujus mulieris adnuit, & extirpationem ipſam temerario auſu ſectione quidem perficit, ſed adeo infauſto cum ſucceſſu, ut, ob ſtatim inſequentem hæmorrhagiam plane incompeſcibilem, abſoluta vix operatione, ægra unacum ſanguine copioſe profuſo, vires vitamque amiſerit. De reliquo an ipſa hæc excreſcentia ad *pſeudo-polypos* referenda forſitan ſit, utpote cum quibus tam ſubſtantiæ, quam reliquarum circumſtantiarum intuitu optime convenire mihi videtur, illud prudentioribus merito dijudicandum relinquo.

OBSERVATIO V.

DN. D. JO. GOTTLIEB de BOETTICHER.

De

Univerſali humorum dyſcraſia ſcorbutica, graviſſimis & plane inſolitis ſymptomatibus ſtipata, ex abuſu potulentorum ſpirituoſorum & feculentorum prognata.

Mercenarii & Zythopeptæ Hafnienſis ſervus primarius, annorum 38. poſtquam per aliquot annos tum ſpiritum

frumenti, tum etiam craſſiorem feculentam cereviſiam magna in copia ſemper ingurgitaverat, inſimulque otio & vitæ generi ſedentario nimium quantum indulſerat, tandem, mutato ſucceſſive florido faciei colore in luridum & pallidum, graviſſimam ſibi contraxit cachexiam ſcorbuticam, tumoribus pedum œdematoſis, maculis ſcorbuticis, flavis, cœruleis & rubicundis, ſcabie ſicca in plerisque corporis partibus prorumpente, languore totius corporis ulceroſo, dolore in ſterno preſſorio, frequenti dyſuria & ſtranguria, gingivarum cruentatione dentiumque vacillatione ſtipatam. Singulis hiſce ſatis jam ſonticis ſymptomatibus, cum tempeſtive convenientibus haud obviam iret medicamentis, ac in pravo & ſordido vitæ genere atque diæta perſeveraret, brevi temporis ſpatio ſucceſſit febris ardens ſcorbutica, in principio cum ſomnolentia, paucis vero elapſis diebus, cum cephalalgia atrociſſima, continuis agrypniis, vehementi æſtu, ciborum faſtidio, ſitique intenſiſſima conjuncta. Inprimis autem notatu perquam dignæ erant puſtulæ & veſicæ pendulæ, tertio hujus morbi die in toto corpore erumpentes, ſingulasque ejus partes obſidentes & defœdantes, ſimulque ratione magnitudinis, figuræ, coloris atque contentorum eximie inter ſe diſcrepantes: Quædam enim harum ovi anſerini, nonnullæ gallinacei, aliæ nucis moſchatæ, aliæ fabæ, aliæ piſi majoris magnitudinem & figuram referebant; quædam flavum, aliæ limpidum, aliæ ex flavo cœruleum, aliæ ex fuſco nigrum, vel etiam ex cœruleo atrum continebant ſerum, quod utrumque ſpiſſius & acrius erat flavo atque limpido, ſicque etiam pro diverſitate hujus ſeri color variabat, immo & ipſa cutis ſubjecta, poſt rupturam vel apertionem cuticulæ, veſicas has formantis, vel ex fuſco rubicunda, vel ex cœruleo nigricans & ſimul inflammata adparebat, inſuperque in illis locis, ubi color ejus ad nigricantem magis inclinabat, omni fere ſenſu deſtituta

& quaſi

& quaſi emortua deprehendebatur, in reliquis autem ad rubicundum colorem adhuc vergentibus locis, ſenſu ſatis adhuc exquiſito gaudebat. Proinde etiam undique fere ab acri & cauſtico ſero, in veſiculis iſtis contento, cutis non ſolum, ſed & ſubjacentes muſculoſæ partes eroſæ & vario tali colore imbutæ erant. Hac ergo ratione æger hic, ſicuti, ob corpus prorſus emaciatum, vivam mortis imaginem jam jam ſiſtebat, ita &, ratione univerſalis fere hujus eroſionis & exulcerationis, abominabile adſtantibus & familiaribus præbebat ſpectaculum. Pulſus erat celer, debilis & inæqualis, urina ratione quantitatis pauca, quoad colorem rubicunda & flammea, ac quoad conſiſtentiam gravis, lixivioſa, & in declinatione morbi craſſa, ex flavo rubicunda prodibat, copioſumque ſedimentum deponebat.

Interim non obſtantibus hiſce admodum ſonticis circumſtantiis, cum auxilium a me peteret æger, convenientia & ipſi ſtatui morbi adpropriata ſedulo exhibui medicamenta, ab initio nimirum temperantia, nitroſa, diapnoica, ſalia media, blanda diuretica & diluentia, interpoſito uſu Clyſterum, & in declinatione potionum mannatarum cum Liqu. terr. fol. Tart. itemque Pilularum balſamicarum cum Milleped. ppt. remixtarum; viribus autem ſucceſſive recurrentibus, antiſcorbutica, & depravatam humorum craſin corrigentia, incidentia atque reſolventia, ſubjunctis demum tonicis & roborantibus, in uſum vocabantur; externe vero aqua Calcis vivæ, cum balſamicis remixta, provide adplicabatur. Tali ratione primo maculæ ſcorbuticæ, ſanies & œdematoſi pedum tumores evaneſcebant, ſucceſſu autem temporis reliqua etiam ſymptomata mitigabantur, ut tandem, adſiſtente gratia divina, plenarie reſtitutus, nunc ſanus & obeſus adhuc vivat.

OBSERVATIO VI.

DN. D. JO. GOTTLIEB de BOETTICHER.

De

Frigidis quandoque ſalubritate calida ſuperantibus.

Matrona quædam octogenaria, per plures jam annos viduata & ſimul nephriticis doloribus, frequenter recurrentibus, diriſſime excruciata, ac ſceleti inſtar extenuata, jamque extra omnem ſpem recuperandæ valetudinis poſita, poſtquam ab adſumtis potulentis calidis morbum ſemper augeri, dolores denuo excitari, ac inſuper diarrhœam, qua alias quoque ſæpius adfligebatur, vehementiorem reddi animadverteret, tandem ab iis plane abſtinere decrevit, & hinc loco infuſi Thee vel Coffee, matutinis horis jentaculum ex cereviſia alba & pane Danico atro paratum, larga ſatis quantitate, optime non ſolum cum adpetitu, ſed & inſigni cum levamine, adſumſit, ita quidem, ut ab illo tempore ab omni dolorum nephriticorum cruciatu, nec non diarrhœæ & mictus cruenti inſultibus plane immunis vixerit, quæ ſingula tamen pathemata ſtatim recrudeſcebant, quamprimum vel cibos calidos, vel ſimilia etiam potulenta adſumſit. Proinde etiam id emolumenti ex novo hoc vivendi genere obtinuit, ut ciborum adpetitus, antea plane dejectus, plenarie redierit, atque nunc, licet ſolidos ſiccosque cibos quotidie ad ſatietatem usque adſumat, (cum etiam molliora eſculenta, licet frigida illa fuerint, haud adeo ſibi conducere deprehendat,) frigidaque potulenta ſuper ingerat, omnium tamen in admirationem melius ſeſe habeat, magisque integra ſanitate gaudeat, quam antea, cum ordinario & conſueto more calidis tam cibis, quam potulentis, uteretur.

OBSER-

OBSERVATIO VII.

DN. D. JO. GOTTLIEB de BOETTICHER.

De

Noxia admiſſione præmatura aëris frigidi, poſt ſuperatas Variolas.

Civis & Zythopeptæ Hafnienſis filia quatuor annorum, feliciter tandem ſuperatis Variolis mali moris confluentibus, intempeſtive ac præmature aëris autumnalis inclementiæ ſe ſe exponens, graviſſima primo adfligitur Ophthalmia ſanguinea, hacque convenientibus in- & externis remediis debite ſublata, materia illa peccans orgaſtica & fermentativa, ab Empirico quodam, ante meum acceſſum in conſilium vocato, neque diaphoreticis blandis, neque poſt plenariam deſiccationem factam laxantibus plenarie evacuata, per metaſtaſin ad aures, vel potius parotides, delata fuit, ibique ulcus quoddam chronicum excitavit, quod tandem adſiduo anticatarrhalium, diaphoreticorum fixorum & leniorum laxantium, nec non externorum mundificantium & balſamicorum remediorum uſu non ſolum ad conſolidationem deductum fuit, ſed & ipſa puella per integrum annum a defluxionibus catarrhalibus circa oculos æque, ac aures, prorſus immunis vixit. Vix autem, ceſſante triſtiſſima Hafnienſi Peſte, elapſum erat biennium, cum ex improviſo graviori quodam, priores illos multum exſuperante, corriperetur adfectu, frequentiſſima ſcilicet Syncope, leviſſimis etiam ex cauſis recurrente, v. g. quando corpus aliquod durum digitorum tantum apicibus tangebat, vel manibus prehendebat, quando in pavimento non undique plano incedebat aut obambulabat, quando torvam alicujus faciem intuebatur, vel

etiam aliquis oculorum aciem diutius eandem verſus dirigebat, vel denique paulo impetuoſius ipſam adloquebatur. Quamvis igitur ſatis periculoſum videretur hoc malum, favente tamen divina gratia, uſu remediorum cephalicorum & nervinorum itidem profligatum illud fuit; interim tamen dein per integrum triennium unacum alvinis fecibus materiam quandam, butyro vel pinguedini liquatæ ſimillimam, excernebat, recurrente ſimul & periodice alternante defluxione catarrhali circa oculos & aures, quæ, remoto tandem priore illo ſymptomate, denuo ulcus retro aures, conſolidationem difficillime admittens, poſt ſe reliquit. Huic dein ſucceſſit decubitus ſpontaneus impuritatum iſtarum, hinc inde per corpus oberrantium, pulmones verſus, & quidem verno tempore, cum mater ejusdem febre acuta, cum doloribus arthriticis vagis conjuncta, laboraret, unde tuſſis ſicca moleſtiſſima, diu noctuque continuans, & febris primo inflammatoria cum ſiti intenſiſſima & agrypniis, dehinc vero in lentam degenerans, maciemque totius corporis, adpetitus proſtrationem, & ſudores nocturnos inferens, provocabantur.

Hos ergo Naturæ conatus variosque translatorios motus obſervans, omnibus viribus præcavere conabar, ne forſitan materia iſta acris & fermentativa, ſpongioſam & mollem pulmonum ſubſtantiam adrodendo, ulcus inſanabile ibidem excitaret, quapropter eandem remediis demulcentibus, mucilaginoſis, abſorbentibus & diluentibus corrigere & dein per viam Naturæ convenientiſſimam tempeſtive removere, inſimulque continuantem adhuc ſanguinis orgaſmum mitigare intendebam, illumque in finem ſequentia medicamenta præſcribebam: 1.) Emulſiones ex Amygd. dulc. rec. excort., Nucl. Pin., Sem. Alth., Card. ben., 4. frigid. major. & Papav. alb. cum aqu. Scabios., Scorzon., Corn. Cerv. citrat., & Ceraſ. nigr. paratas, addendo iisdem Antimon. diaphor., C. C.

ſine

ſine igne ppt., Succin. alb. ppt. & Sacchar. Althææ. 2.) Decoctum pectorale, ex rad. Scorzon. Sarſaparill. Alth. Liquirit., herb. Tuſſilag. Hyſſop., flor. Violar. Borrag. Farfar. Bellid. min., raſur. C. C., fruct. Jujub. recent. & ſem. Fœniculi. 3.) Pulveres ex pulv. polychreſto, bezoard. Senn., C. C. ſine igne ppt., Arcan. duplic. & Nitr. depur. Denique 4.) Electuarium ex Conſerv. flor. Farfar., Specieb. diamargar. frig. rec. diſpenſ., Antihect. Poter. rite ppt. Syr. de Alth. Fernel. & Bellid. min. Singulis hiſce per aliquod tempus regulariter adhibitis, obſervata ſimul conveniente diæta, moleſtiſſima & perquam ſuſpecta illa tuſſis, unacum febre conjuncta, non ſolum divini Numinis auxilio penitus profligabatur, ſed & novus reliquorum ſymptomatum prægreſſorum inſultus avertebatur, ut tantopere adflicta ægra ab illo tempore in hunc uſque diem perfecta & vegeta fruatur ſanitate.

(*Hafnia Erfordiam miſſa d. 10. Novembr. 1743.*)

OBSERVATIO VIII.

DN. D. JOANN. DANIEL SCHLICHTINGII.

De

Diureſi copioſa & ſimul ſalutari, loco ſalivationis exorta.

Fœmina quædam 20. annorum ineunte æſtate anni præteriti meum implorabat auxilium, & â venerea lue, qua graviſſime adflicta & penitus fere confecta erat, liberari deſiderabat. Cum ergo malum hocce in ſupremo fere gradu conſtitutum deprehenderem, & hinc Salivationem abſolute neceſſariam fore concluderem, menſibus Julio & Auguſto ſucceſſive ingentem ſatis Mercurii quantitatem tum interne

eidem exhibui, tum etiam externe mediante inunctione adplicari juſſi, ita quidem, ut tandem per plures dies Panaceam mercurialem ad duas drachmas exhibuerim, nec non quotidie diu ſatis mercurius vivus ad unciam unam externe adhibitus fuerit, nulla tamen ſubſequente ſalivatione, nulla diarrhœa, nullo vomitu, nulloque ſudore, diſparentibus interim gravioribus illis venereæ luis ſymptomatibus, corpore autem ad extremam fere maciem deducto, ut vix oſſibus hæreret cutis, licet cibos æque ac potulenta copioſe ſemper adſumſerit. In cauſam ergo deficientis Salivationis exactius inquirens, deprehendi etiam in hoc ſubjecto, ſicut & in aliis quandoque obtigit, copioſam adeſſe urinæ excretionem, adſumtorum potulentorum quantitatem longe exſuperantem, inſimulque diureticam mercurii efficaciam multo manifeſtius obſervavi, quam in ullo alio ſimili caſu, licet pluribus vicibus copioſiorem diureſin loco ptyaliſmi ſufficientis adnotaverim: Quo plus enim mercurii huic fœminæ fuit exhibitum, eo magis etiam augebatur urinæ excretio, ſique doſis mercurii imminuebatur, ſtatim quoque diureſis parcior erat. Immo, licet etiam varia alia mercurialia remedia, tam mitiora quam fortiora, itemque conſueta alia, pro ſalivatione excitanda, artificia in uſum vocaverim, nulla tamen ſaliva, ſed ſemper copioſior urina inde prodiit.

Eodem illo anno ſimile quid etiam in puero novem annorum obſervare licuit, utpote cui tandem per dies decem mercurii vivi uncia una quotidie externe illita fuit, nulla tamen alia inde eveniente excretione, præter diureſin plane extraordinariam, & ſubſequente demum felici morbi venerei curatione. Patet ergo exinde eximius ille effectus reſolutorius & colliquativus, quem ordinarie mercurius in humores ſeroſo-lymphaticos exſerit, cujusque intuitu hi ipſi ita attenuati, ſi neque ſalivatione, neque ſudore, nec etiam ex aliis locis excretoriis removentur, facile renes verſus deturban-

turbantur, & non ſolum ſub forma urinæ eliminantur, ſed etiam cum iisdem miaſma ſeu fermentum noxium venereum ſimul expellitur, eodem circiter modo, uti per ſalivationem, quamquam hæc ipſa, ſi legitimo modo excitari, queat, in hoc morbi genere omnino reliquis ſingulis excretionibus præferenda ſit, ſuamque efficaciam citius atque ſecurius demonſtret.

OBSERVATIO IX.

DN. D. JOANN. DANIEL SCHLICHTINGII.

Carcinoma labii ſuperioris, ex cauſa venerea ortum & ſalivatione curatum.

Eodem fere tempore, quo in muliere ſupra adducta ſingularem illum effectum mercurialium remediorum obſervare licuit, alia quædam ſimilis ætatis, venerea lue pariter contaminata, ex prægreſſa puſtula, ſeu variola magna, in labio ſuperiori enaſci tandem ſentit ulcus cacoëthes, inæquale, cruentum, ſanioſum, fœtidum, coloris ruffi & liveſcentis, fungi inſtar prominens, naſi apicem fere attingens, cutim omnem labii depaſcens, ſummosque dolores ſimul inferens, quod a Medico & Chirurgo, hanc ob cauſam in conſilium vocatis, pro vero & ſimplici carcinomate reputatur, & hinc more conſueto, absque tamen ſalutari ſucceſſu, diu ſatis tractatur. Dubius ergo hærens Chirurgus, annon venerei ſimul quidquam latitet, mercurialia, pro excitanda ſalivatione, adhibet, qua vix incipiente ſtatim non ſolum fungoſa illa protuberantia, ſed & inferius adhuc ſanum labium, ipſæque genæ eximie intumeſcunt, unde Medicus nimium perterritus timidusque ægrotam illico derelinquit. Interim ptyaliſmo illo adhuc exiguo, ſponte iterum ceſſante, ego una-

unacum alio Chirurgo accerſitus, prævia exactiori indagatione omnium circumſtantiarum, venereas puſtulas per univerſam corporis peripheriam diſperſas, ipſumque ulcus ſuperioris labii in verum Cancrum mutatum deprehendi; probe autem ponderatis ſingulis hiſce, omnem ſpem reſtitutionis unice in ſalivatione perfecta & ſufficiente collocandam eſſe ſimpliciter declaravi, & idcirco non ſolum intra triduum integram unciam mercurii vivi inunctione applicari, ſed & ulceri ipſi quotidie mediante linteo carpto exiguam portionem unguenti, ex anatica quantitate mercurii vivi & Terebinthinæ Venetæ, imponi juſſi. Hac ratione copioſa excitata fuit ſalivatio, per integrum menſem continuans, hacque durante Carcinoma illud non ſolum feliciter conſolidatum, ſed &, quod magis adhuc mirandum eſt, ordinaria & naturalis labii figura & forma plenarie reſtituta fuit.

Ex hoc ergo & quibusdam aliis ſimilibus caſibus, ſubinde occurrentibus, per experientiam edoctus & confirmatus fui, quod carcinomata ex lue venerea prognata, mercurialibus ſemper facile & cito mitigentur tollanturque; ſimplicia autem, ex quacunque alia cauſa oborta talia ulcera, minime talia remedia ferre, quin potius qualicunque illorum uſu deteriora reddi, ut hinc appareat, quantæ neceſſitatis & utilitatis ſit provida diſtinctio, & exquiſita indagatio originis & cauſarum talium ulcerum malignorum.

(*Amſtelodamo Erfordiam miſſæ d. 12. Januar. 1744.*)

OBSER-

OBSERVATIO X.

DN. D. JOANN. CHRISTIANI THEMELII.

De

Copioſa materia purulenta, cum 32. lapillis in veſicula fellea reperta, & tribus in ductu hepatico latitantibus lumbricis.

Cum non ita pridem heic Annabergæ utilis mihi daretur facultas, cadaver veterani cujusdam noſtratium civis demortui cultro anatomico diſſecandi, quo cauſas tot dirorum cruciatuum & ferme inauditorum dolorum, variegato modo pulſantium, rodentium, ardentium, bullantium, & ceu ab animali vivente, hinc inde reptante, excitatorum, cum circa ſcrobiculum cordis, tum præcipue circa dextram hypochondriorum regionem, repetitis vicibus mirum in modum divexantium, variorumque expertiſſimorum Medicorum ingenia admodum exercentium, quibus & tandem ſuccubuit, penitiore inveſtigarem perſcrutatione; præſente Domino *M. Joann. Chriſtiano Genſelio*, Concionatore metallariorum optime merito, rerum anatomicarum inſimul haud imperito, & *Chriſtophoro Gottlieb Waglero*, notitia anatomiæ, aliisque, quæ Chirurgum præ cæteris ornant, non vulgariter imbuto, omni, qua licuit, diligentia & ſedula rerum contemplatione, dextre adnotavi ſequentia.

1.) Per omnes infimi ventris regiones externas nullibi quidquam a ſtatu naturali alienum noſtris oculis ſeſe obtulit, ſi ſaltem ſtigmata quædam ſuggillata circa ſiniſtrum latus exceperis, quæ etiam alias ex ſubitanea ſanguinis ſtagnatione evenire ſolent. Præterea neque inſoliti quid notatu dignum

 reperire

reperire licuit intra remota poſtmodum integumenta abdominis communia. Et pari modo ſeſe habuit externa pectoris peripheria, maculis tantummodo quibusdam parvis, ſuperius ad latus ſiniſtrum, antea memoratis æqualibus, conſperſa.

2.) Diſſecto parumper peritonæo, a cartilagine xiphoidea ſecundum longitudinem lineæ albæ, profluxit protinus fluidi flaveſcentis, paululum viſcidi & fœtentis, exigua quantitas, quam ſpongia excipiendam, & ollæ indendam mandavi, reliquamque ex ſucceſſiva ventris apertione inſequentem ſimili modo aſſervandam curavi, quantitate poſtmodum ſex circiter librarum ponderi æqualem.

3.) Provide ſic remoto hoc fluido, ne ſitus inteſtinorum aliorumque viſendorum turbaretur, decuſſatim diſcindere cœpi lateralia tegumenta abdominis, ubi viſcerum mirabile convolutum gyris atque anfractibus ordinatim contortum, protinus ſeſe manifeſtavit, minime tamen, quod naturali ordine evenire ſolet, vel ad partem quandam, ſive dimidiatam, ſive ſeſquialteram, vel uſque ad pelvim & os pubis, ullibi tectum aliqua omenti portione. Adparuerunt memorata parenchymata plane nuda, non tamen expanſa ultra modum, & modo faciem naturali rubicundiorem, ob vaſcula ſanguine turgidiora, præ ſe tulerunt. Eadem hæc facies in reliquis ſubjacentibus inteſtinis, quæ craſſa audiunt, in veſica urinaria admodum a fluido contento expanſa, nec non in meſenterio, & meſocolo, omnibusque reliquis partibus tectis, locum invenit. Tactu autem accedente, cum in meſenterio, tum in meſocolo globoſos, nucis avellanæ, juglandis, imo & ovi columbini magnitudinem, vel mentientes vel ſuperantes, aliarumque figurarum, variorumque colorum, pallentes, rubentes, puniceos, magisque vel minus tactui cedentes & induratos nodulos deprehendi copioſiſſimos, ex quibus diſſectis nihil, præter

ſpiſſum

ſpiſſum humorem, exprimere licuit. Huc & maxime referendum putavi, quod illa inteſtini coli portio, quæ ex inteſtino cœco oritur, & alias paululum oblique ad ventriculum adſcendit, eidemque ſubjacet, in hoc cadavere admodum puniceum, imo fere nigricantem colorem habuerit, ita ut myriades vaſculorum minimorum, quæ in aliis ſubjectis omnem oculorum aciem fugiunt, ob congrumati ſanguinis infarctum, mirando ſpectaculo ſatis fuerint conſpicuæ. Peculiaris & plane ab ordine recedens inteſtini hujus cum peritonæo dextri lateris a cœco usque ad limbum hepatici lobi majoris, mihi viſa fuit cohæſio, quam fiſſura, trium pollicum profunditatem ſuperante, ſecundum longitudinem peritonæi, intra memoratum ſpatium, vix tollere licuit. Deprehendimus enim pancreas Virſungii, cum portione omenti ita coalitum induratumque, ut unum corpus conſtituere viſa ſint, quo ceu communi involucro & colon & duodenum firmiter ſepta cingebantur. Mire hoc coalitum corpus junxit, dicto modo, utraque combinata inteſtina cum memorato peritonæo, & pari ratione cum laudato limbo hepatis, quæ alias liberius fluctuare ſolent, vel ſaltim alio modo alligantur.

4.) Sub fundo ventriculi, quem collapſum admodum contemplari licuit, colon modo deſcriptum in conſpectum prodiit, a quo omentum, quod alias inteſtina verſus deſcendit, ad ſuperficiem hepatis elevatum adparuit, quodque a cartilaginis enſiformis regione, ſecundum limbi hepatis ductum, firmiſſime & quoad longitudinem & quoad profunditatem, unacum pancreate, pyloro & inteſtino duodeno, quæ in ſe invicem coaluerant, cum ipſa hepatis ſuperficie concava concreverat. Deprehendebatur hæc omenti portio variis diſtincta coloribus, lividis, ruffis, nigricantibus, luteis, ex cœruleo gryſeis, numero infinitis tubercu-

lis,

lis, quæ glandulas induratas, vaſis ſanguiferis, lurido & ſqualido cruore turgidis, diſtinctas, referebant, imo & quædam corruptionis & ſphaceli haud obſcura veſtigia, cum ratione coloris, tum ratione fœtoris, ſeſe prodebant. Conſpurcatum hoc præternaturale convolutum in figura oblonga, ubi diameter latitudinis quatuor pollices, longitudinis octo eorundem referebat, tam arcte cum hepatis limbo cohæſit, ut, primo intuitu, hepatis lobum corruptum mentiri viſum ſit. Continebat informis hæc atque indigeſta moles, quæ quinque vel ſex vicibus ſtatum pancreatis & omenti naturalem ſuperavit, copioſiſſima corpuſcula oblongo-rotunda ſatis notabiliter indurata. Maximam autem hujus convoluti craſſitiem & duritiem, a dextra prope pylorum, cum inſigni partium inæqualitate, luridique ſanguinis copia refertam deprehendimus.

5) Remota parumper convexa parte hepatis in dextra diaphragmatis regione, obſervavimus hinc inde in parte ejusdem ſubſtantiæ muſculoſæ inferiore maculas albicantes, rotundas, oblongas, angulares, circulis rubentibus circumdatas. Ceterum & diaphragma, & pulmones, & cor, optime ſeſe habuerunt, nec minimum aut peregrini, aut a ſtatu ſaniſſimi hominis alieni, ullibi fuit obſervatum. Ubi lienem inveſtigavimus, præter tunicam exteriorem, paululum craſſiorem & corrugatam albicantem, nihil alieni vidimus, neque ſubſtantia interior mutata fuit, neque exceſſit pondere aut magnitudine. Breviter ut omnia complectar, excepto omenti, pancreatis, inteſtini coli & duodeni ſtatu depravato, reliqua omnia ſic ſatis ſeſe bene habuerunt, quantum externa contemplatione potuit attingi.

6.) Dum autem cultro anatomico omnia exploratiora habere anniſi ſumus, & priusquam hepar e corpore eximeretur, corruptum omentum, limbo hepatis adnatum, ſucceſſive ſeparare allaboravimus, jam autem ultra pylorum deventum,

atque

atque inteſtinum duodenum denudandum fuit, forte fortuna ingens quantitas materiæ purulentæ, ex luteo albicantis, optime coctæ, qualem vix in ulcere optimæ indolis reperies, ſine fœtore, ſimul atque ſemel prorupit. Quamprimum inopinatum hoc materiæ profluvium factum eſt, tres inſimul lapilli lubrici, politi, ex gryſeo nigricantes, pyramidalis figuræ duo, unus cubicæ, vix magnitudine fabam excedentes, eadem vi cum materia commixtos prorumpere vidimus. Applicatis paullo penitius digitis verſus hepatis cavum, ſubjacentes partes leniter compreſſæ novum ſubſequentem dedere materiæ illius proventum, copioſis ejusdem indolis, majoribus, minoribus, lentiformibus, rotundis, angularibus, lubricis & hiſpidis ditatum lapillis, idque omne evenit absque minimo bilis aut alius fluidi lutei indicio. Poſtquam profluvium ceſſavit, omnisque materia mediante ſpongia remota fuit, pro ulteriore diſquiſitione, hepar cum ventriculo, liene, inteſtino colo, & informi convoluto ſollicite eximebatur. Sub ipſa autem ſeparatione ex inteſtino jejuno non deligato, lumbricus octo pollicum decidit, figuræ & coloris prouti obſervantur frequentiſſime.

7.) Dum convolutum illud ex omento & pancreate tumidum, inæqualiter durum & informe, diligenter diſſecui, præter viſcidum gryſeum in nodis ſæpe ſæpius memoratis, nihil inveni, neque peculiare aut notatu quid dignum in tractu inteſtinorum complicato, ſeſe prodidit. Hoc ſaltem doleo, quod inſertiones ductuum choledochi & pancreatici, temporis penuria adſtantiumque quorundam intolerantia impeditus, detegere haud valuerim. Huc & maxime pertinere videtur, quod neque in inteſtino duodeno, neque in ventriculo, ſicuti alias evenit, vel tantillum bilioſæ materiæ invenerimus, dum, quidquid profluxit, omne colorem gryſeum, chymo proprium, monſtrabat, & fluidum in ventriculo paucum deprehenſum, odorem admodum aci-

dum graveolentem ſparſit, cui liquido fruſtula quædam placentæ recenter coctæ, quam ante aliquot dies comederat, vix notabiliter mutata, innatabant.

8.) Invento foramine, unde dictum pus (num. 6.) cum lapillis prorupit, dilatavi orificium ſecundum longitudinem a pyloro verſus cavum hepatis, & inveni cavernulam ex plurima parte oblongam, ita ut ex baſi ab hepate remota, latiore ſucceſſive, quo propius hepar accederet, eo magis magisque ad acuminatam figuram vergeret. Diductis & ſupinatis labiis, purulento liquore ſuperficiem internam conſpeximus obductam, ſaccus vero æquavit transverſe diametrum quinque pollicum, ſecundum longitudinem autem a pyloro verſus ſulcum hepatis, trium pollicum cum dimidio. Abluta materia, parietes tegebantur tunica alba ſplendente, variis perforata orificiis, ex quibus, ubi ſubjacentem corporis convoluti ſubſtantiam conquaſſavi, paucula ſcaturiebat homogenei fluidi quantitas purulenta, neutiquam tamen cultro anatomico tunica hæc ſplendens abradi potuit. Ipſa autem orificia, eorundemque propagines, ob prius allegatas circumſtantias proſequi non licuit.

9. Hunc ſaccum aperui deinde ulterius, & ubi cultro anatomico ad hepatis usque ſubſtantiam, & ad ſulcum, in quo veſicula fellea alias hæret, deventum fuit, in parte ejusdem ſuperiore canaliculum, diametro circiter quinque vel ſex lineis æqualem, ex quo denuo novæ materiæ ſupra dictæ albicantis notabilis aſcendit proventus, interſperſis quatuor lapillis, ex gryſeo nigricantibus & lævigatis, uno majore oblongioris figuræ, & magnitudinis fabæ fructus Coffee minoris, unacum tribus aliis minoribus, verſus ſiniſtrum latus, oblique paulo deorſum flexum, inveni. Continuavi aperiendo huncce canalem ad pollicis latitudinem, & ſub fine, cultelli mucrone tetigi corpus durum & aſperum. Repurgatis omnibus mediante ſpongia, ductus hic oblique ver-

vergens, eadem tunica, qua integer ſaccus, albicante nimirum, conſtitit, nihil vero ulterius, niſi quæ ſponte effluxit, premendo elicere potui memoratæ materiæ.

10.) Incidenda mihi fuit porro hæc cavitas, & canalem dictum lapide luteo, figuræ fere circularis, ſcabro, friabiliore prioribus inventis, orificium firmiter claudente obſtructum deprehendi. Quamprimum minima, in parte ſuperiore prope dictum calculum, canalis facta fuit apertio, fluidum bilioſum, quod vel cochlear repleviſſet, ejusdem plane conſiſtentiæ, ac alias in veſiculis felleis, ſecando maleficorum cadavera, reperitur, vidimus profluere. Diſſecto hoc ductu, unacum ſuperimpoſita hepatis portione, ſecundum longitudinem, omnem laudato fluido reperimus turgidum ſatisque dilatatum, more prorſus inſolito. Aſcendit hic canaliculus ad duorum pollicum diſtantiam, quem inveſtigavimus per hepar, copioſosque laterales ductus in huncce dextrorſum atque ſiniſtrorſum hinc inde hiantes, ex hepatis ſubſtantia collectos, ceu in vas excretorium commune, eodem fluido bilioſo admodum infarctos obſervavimus, ductumque hepaticum illum fuiſſe hinc merito ſtatuimus. Præter fluidum hoc bilioſum, quod copioſum ſubito profluxit, varii lapilli lentiformes, majores minores, nec non arenoſa ſubſtantia, admodum flaveſcens, inſtar auri fulminantis optime tincti, totum canalem repleverunt. Duos lumbricos, ſecundum canalis ſitum poſitos, ita exſiccatos, ut nihil niſi exuviæ ſuperfuerint, lutea materia tartarea obductos ſimul offendimus. Præter hos & unum enecatum deprehendimus recentem, qui ſuperiore parte ad dimidium in vaſculo quodam hepar intrante abſconditus erat, facili tamen negotio protractus inferiore dimidio canali aperto inhæſit. Quemadmodum vero recentis hujus lumbrici viam inveſtigavimus; ſic & quo vergerent exſiccati vermiculi diſpiciendum fuit, atque deprehendimus, quod linea recta

prope orificium; ubi calculum majorem (num. 10. ſub initio) memoratum offendimus, eorundem fuerit deſcenſus, unde & extrahere licuit utrosque vermiculos quincunces, canalem vero huncce inferius poſitum, cum ſæpius allegato convoluto cohærentem, copioſa ſaburra, fluido bilioſo commixta, repletum aperire dein potui, quæ tamen apertura ultra pollicis latitudinem ſeſe non extendit, ubi caſu, neſcio quo, abſciſſus finiebatur canaliculus, unde ulterius eundem proſequi haud valui.

11.) Omnis ſubſtantia hepatis ſarta fuit tectaque, ut neque externius, neque interius, omnibus optime inveſtigatis, vel minimum quid vitii reperiundum fuerit, neque figura, neque magnitudo, neque textura, cum ratione complicationis vaſorum, tum ratione mollitiei, a ſtatu naturali aberravere, niſi unicam ſuperius notatam (num. 3.) in limbo concreſcentiam cum citato convoluto (num. 4.) excipias, & quod diſcindendo varios hinc inde canaliculos, bilioſa materia plus juſto repletos, obſervaverimus.

Ignoſcent mihi omnes, quod prolixiori verborum ambage omnia quæ vidimus, explicare placuerit; cum de rebus abditis rariusque occurrentibus, variorum judicio & expectationi exponendis non ſatis poſſimus eſſe ſolliciti.

Jam quoque præcipua memoratu digna ex hiſtoria morbi proferre juvabit. Fuit vir ætatis aliquot ultra ſeptuaginta annorum, gracilis & emaciati corporis habitus, temperamenti ſanguineo cholerici, facie pallida & flaveſcente, deſcripti ceteroquin vitæ generis, & ſedulus lemniſcorum textor. Ante viginti & quatuor annos, ex lapſu quodam graviori, dum montem aſcendit, in hypochondrium dextrum, per aliquot hebdomades decumbere coactus, de diris doloribus ſub coſtis ſpuriis, & præcipue circa ſcrobiculum cordis, conqueſtus eſt. Remiſerunt omnia poſt aliquot temporis ſpatium, & præterlapſis ſex integris annis, ex improviſo de-

nuo

nuo graviter ad terram proſtratus, redintegrantia circa dictas regiones perſentiſcere cœpit pathemata. Continuarunt dolores modo rodentes, modo ardentes, alternis vicibus. Ceſſarunt per anni quadrantem & plures hebdomades. Durarunt modo per horam unam vel plures, modo per diem unum vel plures, raro tamen ultra unam alteramve hebdomadem vel plures. Quo magis appropinquavit ſenectus, eo magis ingraveſcere viſa eſt miſeri ærumna, ita ut non ſolum crebrioribus vicibus, ſed & diuturnioribus & vehementioribus cruciatibus fuerit divexatus. Præcipue ſicco pede hic non tranſeundum puto, peculiarem illum doloris ſenſum quem *bullantem* vocare libuit. Ante aliquot annos ipſemet retulit mihi, quod ſi graviſſimus dolor compreſſivus & lancinans circa ſcrobiculum cordis & verſus dextram regionem ſub coſtis ſpuriis ſeſe extendens, jam accederet, præcedere quandam ſenſationem, quam comparavit cum ſtrepitu illo, qui oritur, ubi vitrum, anguſto orificio & collo fundo pedetentim latiore præditum, aquæ immergitur vacuum, & quando ſucceſſive repletur, bullulæ aëreæ aſcendunt. Parimodo ſæpe ſæpius conqueſtus eſt, reptare animalia viva intra corpus, & adſcendere verſus ſcrobiculum cordis, variis proinde adhibitis anthelminticis, nunquam tamen, expulſione unici ſaltem lumbrici, votis reſpondit effectus. A die obitus elapſæ fuerunt ſex integræ hebdomades, ubi dolor, per tot annorum ſeriem crucians, omni vi miſerum aggreſſus eſt ita, ut durante hoc tempore ſine omni intermiſſione eundum excruciaverit. Quorſum etiam ſe verteret, nullibi tamen levaminis aut ſolatii quidquam invenit. Omnis appetitus fuit proſtratus. Sitis vehementiſſime aucta, dolor lancinans & ardens, die noctеque intolerabili plane ratione ipſum divexarunt, donec tandem, præter omnium opinionem, vitam miſerrimam cum morte feliciter commutavit.

Si quid eſt deſideratorum, quod adhuc ſolliciti Medicorum filii anhelant, ſane eſt abſceſſuum internorum hiſtoria, eorundemque omni dubitatione & exceptione major cognitio. Suffragantem in eo ſequor clariſſimum Doctorem *Joannem Adamum* RAYMANNUM *), cujus verba hæc ſunt: „Omnino itaque eſſet optandum, ut omni ſtudio decenti„que ἀκριβείᾳ interiorum abſceſſuum hiſtoria ſcriptis manda„retur, eorumque decurſus, quantum fieri poſſet, manife„ſtaretur, ad obtinendum hac ratione habitum ſufficientem, „partim illorum præſentiam conjecturando dignoſcendi, par„tim illis feliciter medendi: laboris namque profecto mul„tum, & profundior œconomiæ actuum vitalium cognitio, „& acre ingenium requiritur, ſi in abſceſſuum internorum „diagnoſi hallucinari, & turpiter nos dare nolumus. Varias in infimo ventre hinc inde generatas exulcerationes, nemo niſi rei anatomicæ & ſectionis cadaverum ignarus omnique practica experientia deſtitutus, ibit inficias. Sic deprehenderunt nonnulli apoſtemata hepatis a), lienis b), omenti c), umbi-

*) Act. phyſ. med. Acad. Nat. Cur. Vol. IV. p. 36.

a) HALY *Abbas*, Pract. Lib. VII. cap. 32. de hepatis apoſtemat. medel. AVICENNA, Lib. III. Tr. 3. c. 1. *Rembert.* DODONÆUS, Obſerv. rar. c. 28. *Philipp.* SALMUTHUS, Obſ. med. cent. 1. p. 18. *Dan.* SENNERTUS, Lib. III. pr. P. 6. c. 8.

b) *Jo. Petr.* LOTICHIUS, Obſ. med. Lib. VI. cap. 3. obſ. 11. allegat. ſteatoma capitis magnitudine protuberans ad regionem lienis, & hinc ſaltim ad abdominis apoſtemata referendum id eſſe ducimus. *Alexand.* BENEDICTUS Lib. XVII. c. 14. 15. & 16. *Frid.* HOFFMANNUS lib. I. cap. 19. Meth. med. *Dan.* SENNERTUS Pr. Lib. III. part. 4. c. 7.

c) *Felix* PLATERUS, Obſ. Lib. III. de atheromate ſub omento. RIVERIUS Pr. med. Lib. XIII. c. 5. de ſcirrho & tumore omenti. RAYMANNUS in Act. phyſ. med. Nat. Cur. Vol. IV. p. 37.

umbilici d), coxarum e), pancreatis f), inteſtinorum g), meſenterii h), renum i), veſicæ urinariæ k), ventriculi l), ani m), matricis n), nullum tamen, quantum mihi innotuit, copioſiſſima librorum ſuppellectili privato, inveni auctorem, qui de apoſtemate aut materia purulenta in veſicula fellea hærente, quidquam notaſſet o). Hinc eo magis

d) BLASIUS, Med. univerſ. c. 5. & SENNERTUS Prax. med. Lib. III. p. 10. c. 3.

e) *Roder. a* FONSECA Conſult. med. Lib. I. Conſ. 31. Sic quoque de aliis abdominis ulceribus videatur *Paul. de* SORBAIT, Med. pr. Tr. V. c. 48.

f) TULPIUS, Obſ. med. Lib. IV. c. 32. VINDO, in progymnaſm. exercit. 44. SALMUTHUS, Obſ. med. Cent. 1. p. 5.

g) *Nicol.* BERTRUTIUS, Meth. cognoſc. morb. HILDANUS, Obſ. chirurg. Cent. II. obſ. 54. p. 152. & obſ. 61. pag. 175. de ſcirrho & ulcere cancroſo in inteſtino cœco, indeque exorta iliaca paſſione.

h) *Thom.* BARTHOLINUS, Hiſt. anat. rar. Cent. IV. hiſt. 69. *Nicol.* TULPIUS, Obſ. med. Lib. III. obſ. 173. item Acta phyſ. med. Nat. Curioſ. Vol. IV. obſ. 73. p. 291.

i) *Guilh. Fabric.* HILDANUS Obſ. chir. Cent. 6. obſ. 44. *Frid.* HOFFMANNUS, Conſult. P. II. Caſ. 72. p. 321.

k) *Frid.* HOFFMANNUS, l. c. BLASIUS de med. hum. corp. affect. c. 6. L. 14. HORSTIUS, Obſ. med. Lib. IV. obſ. 80.

l) BARTHOLINUS l. c. Cent. VI. obſ. 21. HOFFMANNUS, meth. med. Lib. I. c. 9.

m) *Frid.* HOFFMANNUS, Med. conſult. T. II. Caſ. 23. p. 125.

n) Idem l. c. p. 439. *Fel.* PLATERUS, Obſ. de uteri cancro.

o) Collectionem principaliorum Auctorum invenies apud WALTHERUM in *Sylva medica* p. 1410. & 1411. quos recenſere nolumus, variiſque evolutis, nullibi quempiam invenimus, qui de materia purulenta in veſicula fellea hærente, aliquid conſignaverit. Duos ingentis molis lapillos delineatos, exhibuit HILDANUS Obſerv. chir. Cent. IV. majorem, XIV. drachmarum, minorem, unciæ ac drachmæ dimidiæ. Similiter

gis commotus ſum, ut doctiores excitarem, qui hocce argumentum ulterius proſequantur. Quæ vero mea circa hanc obſervationem fuerit ſententia, quantum paginarum anguſtia permittit, breviter explicabo. Minime omnium imprimis prolixiori opus erit probatione, deſcriptum apoſtema

α) hæſiſſe primario in veſicula fellea, quæ maximam ſacculi partem conſtituit, & hinc jure meritoque *apoſtema veſiculæ felleæ* appellari illud poſſe. Deinde etiam

β) quilibet facile conjecturando adſequetur, ex inflammatione quadam partium coalitarum, id eſt, omenti, pancreatis & ſuperficiei hepatis, ortum illud eſſe, quam inflammationem, præter coalitum, uti indureſcentia, ſic & ſuppuratio quædam ſubſecuta eſt. Etiamſi

γ) non eximam corpora quædam peregrina, præcipue autem vermes, aliquid ad morbi aliorumque pathematum exacerbationem & mali augmentationem attuliſſe. Ad tria hæc potiora momenta omnia redeunt, ſpeciatim nunc explicanda. Quod ad primum attinet, ulcus hocce repertum titulo *apoſtematis veſiculæ felleæ*, quoad maximam partem, inſigniri, haud erit abſonum, dum & alia apoſtemata illis cavitatibus, quibus inhærent, tribuuntur & ab iisdem denominantur; ſit nobis inſtar omnium empyema thoracis. Etiamſi autem haud negaverim, fontem atque originem in pancreatis & omenti inflammati coalitique ſubſtantia ponenda eſſe; veſiculæ tamen felleæ haud derogandum puto, quod cavitatem deſcriptam (num. 9.) conſtituerit, ſeu ſaccum illum, qui ex tunica ſplendida albicante continua compoſitus fuit, potiſ-

liter quoque vermes in veſicula fellea deprehenſos Cent. I. obſ. 60. p. 174. deſcribit, nullibi autem quidquam de materia purulenta, ibidem collecta, deprehendi, hinc obſervationem hanc dignam judicavi, qua excitarem alios, ut rem penitius inveſtigarent.

potiſſimum effecerit, ad menſuram memoratam ſeſe quoque extenderit, idque præcipue, quoniam

a) tunica ejusdem texturæ & indolis omnis ſacculus fuit circumdatus, ac una eademque fuit continuitas.

b) Quoniam e fundo ampliore deſiit in ſpatium anguſtius memoratus ſaccus, & præciſe ad proboſcidem usque veſiculæ felleæ (num. 8. & 9.).

c) Dum alias quoque non plane impoſſibile eſt, veſiculam felleam ultra modum æque extendi poſſe, ac alias corporis vivi tunicas p).

d) Quia, ſectione apoſtematis facta, ſtatim ſub fundo lapilli ad inſtar aliorum in veſicula fellea concretorum, poſt exſiccationem aquæ innatantes, candelæ admoti flammam concipientes, inſtar corporis plane ſulphurei, protinus proruperunt, inſimulque, quo magis aſcendimus, eo copioſiores inſecuti ſunt.

e) Quoniam omnis ſitus ulceris, ſecundum veſiculæ felleæ poſitum directus fuit.

Non tamen eousque, dum hæc aſſerimus, progreditur ſententia, ac ſi hunc materiæ purulentæ proventum in ipſa veſicula fellea obortum ſtatuamus, nec aliunde. Optime enim habemus cognitum ac perſpectum, quod absque fibrarum ſolidarum corruptione, ex ſolis fluidis materia purulenta neutiquam progigni poſſit, multo minus ſtatuimus, quod ex fluido bilioſo, in veſicula fellea ſubſidente, pus laudabile, probe coctum, albicans, dulce & ſpiſſum oriri poſſit. Hinc nec tantum tribuimus veſiculæ felleæ, quod absque cor-

p) Idque ſatis evincit HILDANI obſervatio citata, ubi tantæ molis lapides in cavitate veſiculæ felleæ hæſerunt, ex quibus facile intelligi poterit, ſatis extenſam eos impleviſſe cavitatem, ut taceam, quam in theatro anatomico Jenenſi quondam videre licuit veſiculam admodum ampliatam.

corruptione partium adjacentium pus colligere potuerit, ſed horum corporum inter ſe coalitorum ſtatus præternaturalis huc maxime in auxilium vocandus venit. Hiſce enim ita conſtitutis, neceſſario contingere debuit, ut, qua ratione purulentæ materiæ in veſicula fellea hærenti ſcaturiginem præbuerint, & qualem in ſimul ſacculi portionem conſtituerint, etiam viſu dignoſci non potuerit. Patefient hæc omnia, ubi ſecundum aſſertorum membrum perſpexerimus.

Ex pathematum hiſtoria, morbi origine, progreſſu exacerbatione, doloris indole & terminatione, facili negotio perſpicere licet, quod poſt lapſum graviorem duplici vice dextram verſus hypochondriorum regionem factum, & ſpeciatim poſt primum, quo protinus dolere incœpit, ſub dicta texturæ & temperamenti ſanguineo cholerici conſtitutione facta quadam contuſione & conquaſſatione viſcerum, copioſiſſimis vaſculis ſanguiferis refertorum, vel ſi ſuperficietenus factam concipias, quædam inflammatio ſuborta ſit, unde humorum ſtagnantium extravaſatio, parenchymatum glanduloſorum intumeſcentia, cum induratione & coalitu, non inaudito & congruo modo, contingere facile potuerunt. Et tali ratione ſucceſſivam partium, ſibi invicem proxime adjacentium, concretionem naturali ordine auguraberis, cum ſubſequente præter naturali intumeſcentia, absque ſubitanea partium plenaria conſumtione, vitæque ſtatim ſubſecuto periculo. Ubi poſt aliquot deinde annos demum eandem vim ſecunda vice perpeſſus eſt, dicta inflammatio recrudeſcere cœpit, atque eo magis, quo aptiores fuere partes jam ſemel læſæ, adeoque haud mirum videbitur, quomodo in glandulis quibusdam veſiculæ felleæ propinquis, pus generari, ſubſequentibus vicibus accumulari, & omne fluidum extravaſatum, unacum dilaceratis fibrillis, lenta coctione in laudatam materiam mutari, ac ita augeri

potue-

potuerit, ut eroſas veſiculæ felleæ tunicas continuo affluxu per tot annorum ſeriem penitus repleverit. Modum hunc generationis confirmat poſt mortem detectus partium ille inſignis coalitus, quas inflammatas, induratas, ſatisque tumidas deprehendimus. Abſit igitur, ut a vermibus aut calculis explicati apoſtematis derivemus primordia; dum, quod lapillos attinet, potius concipiendum, ante repletionem a materia purulenta, jam in veſicula illos hæſiſſe procreatos. Dic quæſo, quomodo 32. lapilli majores minores, ejusdem plane coloris, ex flavo nigricantes, lævigati, in materia plane albicante dulci progigni potuerint, ut nihil materiæ albicantis, ſaltem ſtriatim una concretum fuerit? nihil autem ullibi, ne in ſtriis quidem, obſervavimus. Omnino potius, conſumta prius omni materia bilioſa ex induratione in lapides, concipere licebit puris ſubſequentis colorem plane albicantem. Primariam igitur purulentæ materiæ originem in adjacentibus & cum veſicula fellea concretis partibus ponendam ducimus, ex quibus deinde perforatæ veſiculæ influxit, totamque illam replevit, ac ſucceſſive ita, cum orificio, etiam dilatavit parietes, qui cum reliquis cohæſerunt, ut unicum corpus conſtituere viſi ſint, unde ſacci amplitudo facilius intelligenda venit. Etiamſi autem optime norim, ipſeque aliquando, in theatro anatomico Jenenſi, in meretricis cujusdam viginti & aliquot annorum veſicula fellea, quosdam notatu dignos invenerim lapillos, quos celeberrimus pie defunctus Præceptor, *Hermannus Fridericus* TEICHMEYERUS, procul dubio adſervavit, absque ulla ſanitatis læſione, ex ſubſidente inerti, viſcida, ſulphurea & terreſtri bile calculos generari poſſe; multum tamen ad horum productionem, excitatas dicto modo ac reiterantes inflammationes contribuiſſe, exinde demonſtrari poſſe judico, quod omnis calor fluidum quodcunque, ex partibus ad coalitum & indurationem aptis conſtans, citius & firmius indu-

 reſcere

reſcere faciat. Exinde tot calculorum proventum, majorum ac minorum, recurrentibus tali modo inflammationibus, non multum miraberis. Specialius jam & curioſius non examinabo, ne in majorem molem excreſcant paginæ, quantum dicti lapilli ad ſubſequentes & ſe invicem excipientes dolores conferre valuerint, intuitu nempe ponderis, figuræ, ſitus & preſſionis verſus membranoſo-nerveas partes, tantummodo extra omnem dubitationis aleam ponendum duco, quod

tertii aſſerti evincet certitudinem, Vermiculos, circa memorata loca (num. 10.) hærentes, haud minimum ad dolorum reſuſcitationem, augmentationem, & plus ſimplici vice recurrentium, dire excruciantium, ceu ab animali reptante productorum, conferre potuiſſe. Conſtat alias, quod per integrum inteſtinorum tractum, aliaque convenientia loca, ubi dulcem chyloſum victum delibare licet, domicilia ſua ordinarie quærant lumbrici, & plus millies edocet experientia, eos vel leviter amareſcentibus & enecari & expelli poſſe ex corporibus; hoc autem loco mirandum ſane eſt cum *Guil. Fabricio* HILDANO q), lumbricos quæſiviſſe habitaculum, nutrimento incongruo & adverſo infarctum, in quo duo mortui, ſubſtantia bilioſa indurata incruſtati, deprehenſi fuerunt, unico adhuc ſalvo exiſtente. Diſpiciendum ergo hoc loco eſt, num amareſcentium anthelminticorum, toties & ubique laudatorum, efficacia ſit omni exceptione major, atque eadem idcirco omnibus aliis merito anteponenda ſint. In hoc caſu, omni bilis amaritie neglecta, lumbrici per ductum cholidochum adſcenderunt. Vix autem

q) Vid. Cent. I. Obſerv. LX. ubi refert, D. *Galenum* WIERUM id demonſtraſſe, ac deinde addit: *quod ſane mirabile, cum nihil ſit in corpore humano felle amarius, cumque & hominibus & brutis, ipſisque adeo plantis, (ut teſtatur* GALENUS,) *amara omnia adverſiſſima ſint, & ad nutritionem inepta.*

autem quid bile invenies amarius, nec tamen impedivit tranſitum. Eſto ſaltem memor circumſtantiarum, quibus tamen diutius non immorabimur. Sufficiat nobis, quod hac ratione facillimo negotio triſtem toties reiteratam, ceu ab animali reptante quodam excitatam, ſenſationem percipiamus, quando factum illum, per ductum cholidochum in hepaticum, vermium adſcenſum conſideramus. Minime enim adſeverare lubet, lumbricos in ipſa hepatis ſubſtantia generari, ob nutrimentum incongruum, nec non ipſorum lumbricorum figuram & longitudinem, plane convenientem cum conditione externa illorum, qui in cavitatibus inteſtinorum inveniuntur, etiamſi aſcarides & cucurbitinos vermes in vaſis ſanguiferis hepatis evolvi poſſe concedam. Quod autem vermiculi hi, ubi ad dictos illos canales acceſſerunt, ob amaritiem in diverſas agitationes rapti, comprimendo varia actione parietes vaſorum ſenſiles, diverſos dolores concitaverint, haud videbitur improbabile; & quemadmodum duorum exuvias unumque recentem, mortuum tamen, inveni; ſic haud erit incredibile, quod intra viginti quatuor annorum ſpatium plures adſcenderint, qui, ſucceſſive demortui planeque corrupti, nihil veſtigiorum reliquerunt, itemque, quod toties novi cruciatus excitati fuerint, quoties novus quidam adſcendit, unde & merito graviſſimos, imo lethales, ſub finem vitæ ortos, unacum aliis cauſſis memoratis, merito derivamus. Tantum igitur tribuimus vermibus, quamquam ab iisdem memoratum in veſicula fellea hærens ulcus neutiquam derivemus.

(*Annaberga Norimbergam miſſa, d. 24. Januar. 1744.*)

OBSERVATIO XI.

DN. D. JOBI BASTER.

De

Generatione & incremento oſſium in corpore humano.

§. I.

α) Omnis illa maſſa, ex qua homo conſtat, incredibiliter parva particula excepta, concrevit ex iis, quæ antea erant ſubtiliſſimum fere, quod producitur, colliquamenti liquidum.

β) Ex hoc autem liquido oriuntur ſolida prima, tenerrima, liquidis ſimillima, ut jam ſentit celeberrimus HARVÆUS a), dicens: *Omnes partes ſimilares ex eodem primitivo glutine oriuntur, initio enim craſſæ fibræ naſcuntur, quæ mox nervoſæ, dein cartilaginoſæ redduntur, ac tandem in oſſa concreſcunt & indureſcunt.* Quoniam ergo hæc prima ſolida ita cum nervis conveniunt, jure hinc ea *nervos* vocare licet.

γ) Accedente dein ſanguinis motu, nervi illi (§. I. β.) qui ſunt vaſa minima, tenerrima, laxa, pulpoſa, liquidis turgida, facile elonganda & diſtendenda, ex quorum contextu fiunt membranæ, a liquido ejusdem vaſis majoris, cujus latera conſtituunt, preſſa, exſucca redduntur; collapſa itaque ac amiſſo cavo concreta & calloſa facta, membranam formant, magis, quam ante, elaſticam aut cartilagineam induunt naturam. Minime autem credas, omnia illa, quæ in adultis *oſſa* vocas, in infantibus fuiſſe cartilagines, ut quon-

a) HARVÆUS de generatione animalium, Exercit. 55.

quondam voluere KERKRINGIUS b) & alii, quibus tamen nimium contrariatur experientia: ſcimus enim omnes, nulla cranii oſſa unquam fuiſſe cartilaginea, ſiquidem membrana *fontanellæ* ſic dictæ, ex perioſtio & dura matre conſtans, in fœtu eo eſt latior, quo propior eſt ſuæ origini, unde concludi poteſt, ætatem dari, qua totum ἐγκέφαλον binis illis membranis coerceatur, & obſervavit jam ſuo tempore PECHLINUS c), *cartilagines, etſi alias oſſibus affines, minus tamen in oſſa mutari.*

δ) Remanentibus cauſis memoratis (§ I. γ), hæc membrana, magis magisque elaſtica facta, liquidorum augebit motum, unde jam comprimuntur vaſa, quæ minus antea fortis circulatio obliterare non potuerat: & ſic ſolo ſanguinis motu, partes molles per gradus ſucceſſivos mutantur in oſſeas: & revera noſtri corporis partes eo fieri ſolidiores, quo plura vaſcula in illis obliterata denſiusque compacta fuerint, evicit LEMERY d) docens, cartilaginem proportione ſervata, multo minus terræ præbere, quam oſſa ſimili modo in cineres redacta; certo indicio, in cartilagine majorem liquidi, & minorem ſolidi quantitatem, quam in oſſe, ſub eadem mole, contineri, adeoque his minorem vaſorum liquida vehentium numerum ineſſe.

§. II.

Hæc oſſificatio (§. I. γ. δ.) in omnibus oſſibus non fit eodem modo, ſed *in planis*, in medio oſſis circiter oriuntur hinc inde variæ & minimæ quædam fibræ tenuiſſimæ, quæ numero & craſſitudine auctæ, & ſibi invicem accretæ, centrum formant oſſeum, ex quo centro, jam ſolidiuſculo,

b) in Oſteogenia, pag. 1.
c) in Obſervat. phyſ. medic. pag. 312.
d) Diſſert. ſur la nourriture des os.

lo, radii emittuntur, divergentes ad circumferentiam, diſtincti, qui eo compactiores, quo propius diſtant ab ipſo puncto oſſificante, ſive a centro, ſuntque ibidem & craſſiores: in fine autem, ubi hærent ultimæ, cum membranacea adhuc continuæ, fibræ oſſeæ, ibi ſunt tenuiſſimæ, & ſimul maxime a ſe invicem diſtantes: extremum enim fibræ oſſeæ continuatur in membranaceam, eadem lege, ac oſſeæ exporrectam, ſicuti in muſculo fibra carnea exporrigitur in tendinoſam.

§. III.

Oſſa fibulæ alio modo generantur, nam in medio ſecundum longitudinem generationis, ſive ortus, principium ducunt: inde vero verſus extremitatum fines creſcendo, pro longantur & extenduntur.

Scilicet in medio oſſis, a centro oſſeo radii oſſei, per totam ſuperficiem verſus extrema juxta longitudinem extenduntur, & hi juxta ſe invicem poſiti, tanquam vaſa, membranam ſeu laminam oſſeam conſtituunt, ut in juniorum oſſibus, præcipue coſtis, elegantiſſime obſervare licet. His vero lamellis, durantibus cauſis memoratis (§.I.γ.), ex ſimili materia nova fibrarum plana ſuperinducuntur, quæ omnia firmiora reddita, & ope fibrillarum transverſarum, claviculis quaſi ſimilium, arctius compacta, os durum tandem conſtituunt, quod eo craſſius, quo plures laminæ ſupra ſe invicem incumbunt, & perioſtium, tanquam vinculum circumcingens, radiorum extenſionem juxta longitudinem promovet, juxta latitudinem vero impedit. Fibræ, ſive radii oſſei, per longitudinem decurrentes, ad finem tamen aliquantum divergunt, dum numerus illorum in toto oſſe idem, hinc interſtitia ad extremitates ſunt cava majora & os ibidem magis ſpongioſum: & ex mechaniſmo motus,

os in medio ſuſtinere debebat maximam flexionis vim, hinc in medio magis ſolidum eſt & fortiſſimum.

§. IV.

Credendum vero non eſt, omnes has lamellas ſeſe immediate contingere, ſed interpoſita eſſe vaſcula quædam pauca tenerrima; quemadmodum circa juncturas, ubi ſpatia majora a receſſu laminarum relinquuntur, & major majorum vaſorum copia adeſt, patet ad oculum. Inter lamellas hæc vaſa dari, anatomica injectio quidem non evincit, cum hæc ultra ſecundum vaſorum genus non procedat, ſed ſatis probant microſcopium & obſervatio chirurgica in oſſibus fractis, utpote quæ docent, os fractum, ſi bene apponatur, & appoſitum bene retineatur, jam intra viginti & unum dies unitum & concretum eſſe (non vero firmum, quod intra quadraginta & ultra dies tantum fit) materia quadam ex iſtis vaſculis, intra laminas decurrentibus, emiſſa.

§. V.

Sterni vero *os*, *apophyſes* & *epiphyſes*, quæ in juniori ætate *cartilagines* ſunt, & non niſi jam nato infante in oſſa mutantur, alio modo hoc iterum faciunt, quam *oſſa plana* aut *fibuloſa*, ſicuti, quantum ſcio, ego primus detexi, & in peculiari Diſſertatione anno 1731. publice demonſtravi. In infante jam nato, & per novem menſes in utero matris adſervato, in medio apophyſios cartilagineæ, oriuntur quædam fibræ parvæ, craſſiores, diſtinctæ, per microſcopium pulchre obſervabiles, quæ deinde craſſiores factæ, punctum formant oſſeum, quod creſcente infante ſenſim creſcit, & cauſis (§. I. 7.) memoratis agentibus, ſphærulam, ſive nucleum formant oſſeum, qui deinde ita augetur, ut tandem totam conſtituat apophyſin, remanente modo cruſta cartilaginea, lævi, motum facilitante. Ut clarior eſſet novæ rei

 idea,

idea, pro exemplo oſſis femoris apophyſios figuram adne-ctere placuit. Vid. Tab. I. Fig. 1. & 2.

§. VI.

Dicit EUSTACHIUS e), humani fœtus ſternum eſt totum cartilagineum, prorſus continuum, nullaque linea diſtinctum: ſed ſi quis accuratius humani fœtus ſternum cartilagineum intueatur, poſtquam omne perichondrium prudenter abſtulerit, quod paululum difficilius ſuccedit, quam diſtinctiſſime illud in tres partes diviſum eſſe videbit, æque ut eſt ſternum adulti: Adeoque puncta illa oſſea, quæ delineantur a KERKRINGIO f), monſtrant, ſterni oſteogeniam tot diverſis locis & punctis, ſive nucleis, incipere, non vero in tot partes diviſum eſſe; & hi nuclei eodem modo ſe habent & creſcunt, ut in apophyſium oſteogenia diximus.

Explicatio Figurarum 1. 2. Tab. I.

A A. Os femoris infantis, duas ſeptimanas circiter nati, per medium diſciſſum, ut intima oſſis ſubſtantia poſſit videri.

B B. Apophyſis ejus cartilaginea.

C C. Nucleus oſſeus in media apophyſi.

D. Nucleus ille ex apophyſi exemptus, in cujus ſuperficie parva foraminula & cavitates conſpiciuntur.

E. Idem Nucleus per medium diſſectus.

F. Fibrillæ oſſeæ in eo ſe viſui offerentes.

G. Fruſtulum oſſeum relictum, ut oſſis craſſities poſſit conſpici.

OBSER-

e) in Opuſc. de oſſium examine.
f) in Opuſc. de Oſteogenia, in fig.

OBSERVATIO XII.
DN. D. JOBI BASTER.

De

Generatione pilorum in corpore humano.

§. I.

Pili, a plerisque Anatomicorum pro extremitatibus nervorum habiti, ſunt corpora ſingularia, tenuia, oblonga, teretia, acuta, pro parte infra cutim, pro parte extra illam eminentia, diverſa in omnibus humani corporis partibus, diverſa etiam in diverſis nationibus, temperamentis, ætatibus, ſexubus.

§. II.

Ut hoc clarius demonſtrem, divido pilum in *corpus*, ſive *truncum*, & *radicem*, ſeu *bulbum*. *Bulbus* non unica radice, ſed quaſi per faſciculos, plerumque ab octo ad duodecim, ut ſubtilis obſervavit LEEWENHOEKIUS, oritur, & quidem

1.) vel ex folliculis in ipſa cute hærentibus, aut

2.) ex illis in membrana celluloſa exiſtentibus, quod fit, ubi firmiorem baſin requirunt, ut in capite, barba, &c. vel

3.) ex propriis vaginulis obliquis, ut in ſcroti adipe, &c. Eſt ibi in ortu ſuo mucoſus, pellucidus; quo magis vero cuticulæ appropinquat, eo fit durior, magis tenax & minus pellucidus, donec extra cutim tranſeat, tunc enim pergens cum epidermide, qua, docente RUYSCHIO, inveſtitur, durus, tenax, opacus, verus pilus eſt.

§. III.

Ad bulbum pili reperiuntur arteriæ, nervi, venæ. Arteriæ adferunt humorem ad vitam & nutritionem neceſſarium;

rium; nervi ſenſum ibi acutiſſimum, forte & nutritionem præbent; venæ humores ab arterioſis vaſis allatos reducunt.

§. IV.

Si quis ſumat duo fruſta humanæ cutis, unum a capite, alterum de quacunque alia parte corporis, ubi tenuis lanugo eſt, ſeparatum, hæcque ſupra tabellam expanſa in fervida maceret, & manu anatomica cuticulam inde ſeparet, videbit, quod in fruſto capitis cuticulam pili non ſequantur, ſed cuti firmiter inhærentes maneant; ſi tunc cautiſſime dein, ab eadem cute inverſa, ita pinguedinem auferat, ut hinc inde tamen pinguiferos quosdam folliculos cutis ſuperficiei adhærere permittat, pulcherrimo ſpectaculo videbit, quod omnes pili ibi in capite cutim perforent, & radicibus diſtincti hæreant in folliculis membranæ celluloſæ. Eadem ratio obtinet in barba, & in animalibus, quibus pili veſtimentorum loco inſerviunt: In his enim omnes ex ipſis cellulis membranæ adipoſæ oriuntur, maxime in dorſo, collo, &c. Sic in apro & porco ſetas oblique per cutim fere ad dimidii digiti latitudinem tranſire, & ex lardo ortum ducere, vidi. Contrarium obtinet in altero fruſto, ibi enim detractam epidermidem ſequuntur pili, & admoto microſcopio videbit, ſi cuticulam ſubtiliſſime elevat, ſenſim extrahi omnes pilos, & eorum radices albicantes, mucoſas, multo breviores, quam quæ cutim perforant; & ſi hic ab averſa parte, cute adhuc cum epidermide cohærente, omnem adipem ſeparet, nullam inveniet pili radicem, quæ cutim perforet, ut in celluloſam penetret. Patet ergo clare differentia longitudinis pilorum, quamvis craſſities ipſius cutis non differat.

§. V.

Si ergo pili jam eſſent papillarum nervoſarum productiones, plurimi eſſent pili, ubi plurimæ papillæ; obtinet

vero contrarium: In manuum volis, pedum plantis, & digitorum apicibus ſunt papillæ quam plurimæ, nulli autem folliculi, & nulli pili: in capite, barba, ſub axillis, in pectore, in inguine, circa anum, copioſiſſimi ſunt & folliculi & pili. Dum ergo in illis locis, ubi folliculi deficiunt, & pili deſiderantur, jure meritoque idcirco concludimus:

§. VI.

Pilos ex illis folliculis oriri; ſive hæreant in cute, ſive in membrana celluloſa, ſive obliqui ſint, ut in ſcroto, & non eſſe productiones nervorum. Præterea ſi horum eſſent productiones, cur pili ipſi eſſent inſenſiles, dum inſcio homine flecti, uri, ſcindi poſſunt? Oritur dolor non niſi in bulbo, ſi pilus lente & ſenſim trahitur, quia hic ex arteriis, nervis & venis conſtat; quippe, dum pilus tenditur, trahitur bulbus, & extenduntur nervuli, & omnis pars, nervis inſtructa, illis extenſis, dolebit.

§. VII.

Creſcunt hi pili propulſione, ita, ut particula, quæ hodie intra cutim, ut radix, hæret, poſt unum alterumve diem extra cutim pili truncum conſtituat; hinc abſciſſi continuo renovantur. Arteriæ & nervi in bulbo (§. III.) reperti, ſunt vaſcula, humores nutritios advehentia: cum vero in corpore, maxime adulto, non fiat nutritio, niſi ſimul illud ultimum, in cujus locum nutriens ſuccedit, auferatur, nullum eſt dubium, quin & illud obtineat in pilis, cumque pilus creſcat propulſione, ut particulæ ſeſe invicem exteriora verſus ducant, ultima elementa neceſſario cadunt, cum ultimum nutriens ad ea non amplius perveniat.

OBSERVATIO XIII.
DN. D. JOBI BASTER.
Curatio epilepſiæ, in ſiniſtra manu oriundæ.

Juvenis XVIII. annorum, per tres aut quatuor annos epilepſia laborans, opem meam poſtulavit; acutiſſime omnia ad indagandam mali cauſam inquirenti reſpondit ægrotus, ſe paulo ante paroxyſmum ſemper quaſi convulſionem, aut ſpaſmum ſentire in tendinibus muſculorum, qui digitos ſiniſtræ manus elevant: juſſi ergo, ut, quam primum hoc ſentiret, ſtatim arcto vinculo coriaceo, idcirco geſtando, carpum conſtringeret, quo levi remedio paroxyſmum ſæpiſſime inhibuit. Purgato dein corpore, arteriam temporalem ſiniſtram ſecari, & fonticulum in manu ſiniſtra, paulo ſupra annulare ligamentum, excitari curavi, atque interne ſic dicta quædam ſpecifica exhibui, quibus remediis intra ſeptem vel octo hebdomades curatus fuit. Fonticulus per tres menſes apertus ſervatus fuit, dein claudebatur, & jam immunis ab hoc malo vivit.

OBSERVATIO XIV.
DN. D. JOBI BASTER.
Abſceſſus in puero quinque annorum, qui intra 24 horas os tibiæ a ſua epiphyſi ſeparaverat.

Rogatus viſitavi infantem, quinquennem, qui, poſt acutiſſimam febrim, ſequenti die conquerebatur de vehementiſſimo dolore in tibia, paulo infra genu; reperi abſceſſum jam pure plenum, hincque ſtatim eum aperui, ſed miro ſpectaculo, remoto & abſterſo pure, vidi os tibiæ quaſi cuneo ab epiphyſi ſua ſeparatum, ita, ut digitus poſſet interponi;

terponi; margines epiphyſios & ipſius oſſis carie erant arroſi, quapropter vulnus dilatavi, & cauterium prudenter applicui, quod felix ſeparatio ſequebatur, deinde læſionem hanc ad inſtar fracturæ compoſitæ tractavi, & ſic, absque ullo incommodo aut claudicatione, intra 13. hebdomades fuit curatus.

OBSERVATIO XV.

DN. D. JOBI BASTER.

Fiſtula Veſicæ, triginta jam annos durans, intra 28 dierum ſpatium curata.

Nauta quidam, quadraginta annorum, opem meam imploravit, cui puero decenni calculus fuit extractus, remanente ſemper per 30. annos fiſtula, per quam maxima urinæ pars continuo effluebat. Scalpello igitur dilatavi fiſtulam, ejusque in fundo ſenſi aliquid calculoſi, quod forcipe extraxi, & prævio accuratiori examine deprehendi, illud eſſe fruſtulum ſpongiæ, articulum minimi digiti magnitudine referens, cui materies calculoſa fuerat accreta, & quod ex negligentia prioris Chirurgi ſine dubio in vulnere remanſit. Turundam hinc, corroſivo mitiori illitam, fiſtulæ immiſi & per quatuor horas ibi reliqui, ad calloſitatem abſumendam, tunc alteram, unguento baſilico obductam, ad ſeparationem promovendam, quam & quinto die obtinui. Ab eo tempore ſingulis diebus minor urinæ quantitas effluebat & fiſtula ipſa recentis ulceris faciem induebat, quod idoneis medicamentis ita tractavi & firma ac ſtricta ligatura bene compreſſi, ægroque injunxi, ut unum ſupra alterum genu ponendo, in quiete ſe contineret, alvum emollientia aſſumeret, & ſæpiſſime lotium emitteret, quo facto intra 28. dies ſanatus fuit.

OBSER-

OBSERVATIO XVI.

DN. D. JOBI BASTER.

Nuclei prunorum deglutiti, mortem inferentes.

Vir quidam, triginta annorum, conquerebatur de dolore ſtomachi continuo, lancinante, ad omnia, quæcunque aſſumta, ſive alimenta, ſive medicamenta, ingraveſcente; nihil hinc, niſi tepidum lac, aut jus carnium, & ea non niſi in exigua quantitate, aſſumere poterat; alvus tamen erat adſtrictiſſima, quæ per clyſteres ſollicitata, non niſi pauca & duriſſima ſcybala reddebat, tandemque ſumme emaciatus homo fame & dolore miſer obiit. In cadavere poſt mortem aperto, in ſtomacho reperi decem nucleos prunorum integre deglutitos, qui pylorum fricando ulcus magnum ibi formaverant, cum excreſcentia carnis fungoſæ, quod ſine dubio ſumme dolorificæ hujus mortis cauſa extitit.

OBSERVATIO XVII.

DN. D. JOBI BASTER.

Hernia umbilicalis in Hydropico cauſa mortis.

Nobilis quidam Dominus, hernia umbilicali laborans, incidit in Aſciten, quæ, quotidie ingraveſcens, totum abdomen, ſed quam maxime membranas dictæ illius herniæ ita extendebat, ut per eas, valde tandem extenuatas, ipſa aqua quaſi exſudaret. Opem meam tunc imploranti prædixi ſubitaneam mortem, metuens ſcilicet, ne ſternutatione, tuſſi, &c. aut graviori inſpiratione hæ membranæ diſrumperentur, & ſic animam cum aquis effunderent, id quod etiam non multo poſt accidit: Graviter enim tuſſienti, quamvis firmiter omnia comprimi curaveram, rumpitur

umbi-

umbilicus, & ingens aquarum copia effluxit, ſubſequente altero die morte.

OBSERVATIO XVIII.
DN. D. JOBI BASTER.
Duo ureteres in rene ſiniſtro.

Aperui anno 1739. cadaver virginis viginti circiter annorum, in quo ren ſiniſter habebat duos ureteres, digiti latitudine a ſe invicem diſtantes, & usque in veſicam ita exporrectos. Naturalis erant ambo magnitudinis; dextri autem renis ureter tantæ erat capacitatis, ut facile pollicem caperet. Reliqua omnia naturaliter conformata erant.

OBSERVATIO XIX.
DN. D. JOBI BASTER.
Vomica pulmonis feliciter ab Agyrta curata.

Nauta quidam robuſtus laborabat Vomica in lobo pulmonum dextro, valde dolorifica ac corpus emaciante & debilitante. Fruſtra adhibitorum remediorum tandem pertæſo, & apud omnes auxilium quærenti, ab agyrta præſcribitur vomitorium, ex croco metallorum aliisque, unde enormiter vomebat, & magna vi rumpebatur Vomica, unde maximam puris copiam exſpuebat, ac non multo poſt, uſu balſami Locatelli, ſanabatur.

OBSERVATIO XX.
DN. D. JOBI BASTER.
Calculus ſat grandis infra linguam exciſus.

Nobiliſſimus quidam Dominus oſtendit mihi tumorem duriſſimum, linguam inter & ſiniſtri lateris dentes mo-

lares inferiores, qui etiam externe ſentiebatur, & maximam loquendi difficultatem creans, jam per annos quinque ibidem ſubſtiterat. Facta ergo prius exploratione mediantibus digitis, inciſionem ſupra ipſum tumorem feci, & extraxi calculum, nucem avellanam magnitudine æquantem, quo facto vulnus paucorum dierum ſpatio feliciter conſolidatum fuit.

OBSERVATIO XXI.
DN. D. JOBI BASTER.
Oeſophagi paralyſis in virgine.

Virgo 20. annorum ſuppreſſis menſibus admodum evadebat cachectica & valde emaciata; opem meam implorans, conquerebatur de maxima difficultate cibos aut potulenta deglutiendi. Cogitavi primo de excreſcentia carnis, aut ſcirrho glandularum œſophagi, unde virgam balænaticam, ſpongia armatam, in os intruſi; ſed patulum usque ad ventriculum erat iter; quapropter judicavi, adeſſe paralyſin muſculorum œſophagi, ſed plurimis adhibitis antiparalyticis remediis non favebat eventus, quin potius increſcebat malum, ut nihil amplius deglutire poſſet. Ne ergo fame conficeretur, conſului, ut cibos bene manducatos primo digito, dein inſtrumento, ex virga balænatica confecto, in gulam & ſtomachum detruderet, quod cum demonſtraveram, ſatis bene huic methodo adſueſcens, per quatuordecim menſes vitam ita ſuſtinuit. Interim corpore paulatim ex bono nutrimento vires recuperante, etiam œſophagus munere ſuo fungi incipiebat, & afflicta ſine ullo alio remedio perfecte tandem fuit curata.

(*Zürckſea Erfordiam miſſæ, d. 12. Februar. 1744.*)

OBSER-

OBSERVATIO XXII.
D. D. JOANN. SEBAST. ALBRECHT.

De

Raphano majori, cortice nigricante C. B. Pin. 96. radice oblonga, foliis luxurioſe in cavitatem radicis deorſum natis.

Semina plantarum perfectarum matura & incorrupta, terræ fertili commiſſa, vi ſua vegetante protrudere germen unacum radicula, notiſſima res eſt. Germen illud comitari uno, duobus pluribusque cotyledonibus, & ſic recta ſeu verticaliter aſſurgere, deinde totam foliorum cohortem ſucceſſive cum caule in eadem linea ſuccedere, niſi vel mollitie, ut in flagellantibus, vel gravitate in pluribus, ab hoc creſcendi modo deflectant oblique, docent nos obſervationes. Experimenta inſuper manifeſtant, in radicibus quibusdam, carnoſis imprimis, oblique terræ commiſſis, ſanis, foliis radicalibus antiquioribus reſciſſis, eadem flectendo proxime ad perpendiculum, denuo germinantia, & ad eandem lineam iterum ſuccreſcentia, conſpici. Quoties itaque alium a naturali naſcendi modum præternaturalem, ſeu inconſuetum, obſervamus, toties per impedimentum aliquod, ſive extra terram, ſive in terra, tanquam occaſionalem cauſam, vim iſtam naturalem turbatam eſſe, ut concludamus neceſſe eſt. Vegetabilia omni imaginationis vi deſtituta ſunt, itaque monſtrorum cauſa in hoc regno, niſi in ſemine jam defectus adſint, unice in externis, ſeu iis, quæ ad plantam ipſam non pertinent, ſed ejus vegetationem, figuram & creſcendi modum occaſionaliter modificare poſſunt, quærenda eſt. Rem jucundo aliquo ſpectaculo declarabimus, cum multum conferant lucis ejusmodi curioſæ obſervationes nego-

tio vegetationis. Inter plures raphanos majores, oblongos, cortice nigricantes, quos noſtrates Hortulani groſſe Rettige vocant, & ob radicem molliorem, ſucculentam & acredinem magis temperatam, multis in deliciis ſunt, aluit hortulus meus quendam, in quo, ex terra recenter extracto, externe præter fiſſuram aliquam in medio, inter ipſa folia radicalia, nihil alieni obſervatum fuit. Cum vero ob magnitudinem, per longitudinem, ſeu verticaliter cultro divideretur in duas partes æquales, ut in taleolos ſemicirculares ſciſſus commodius poſſet ore aſſumi, accidit, ut in interioris parenchymatis ſubſtantia cavitas major obſervaretur, ſine ullis præviæ aut præſentis putredinis, aut alius corruptionis ſignis. Ipſa hæc cavitas, terrei coloris, reti aliquo fibroſo vaſculoſo albidiori ornata, jucundo ſpectaculo alebat folia quinque criſpa, a capite per fiſſuram ſeu hiatum deorſum nata, varie & eleganter flexa atque reflexa, virideſcentia albida, perfectam diviſionem felici caſu illæſa. Vid. Fig. 3. Tab. I. Inter plures, qui rarum hoc phænomenon intueri & admirari dignati ſunt, fuit & ipſa Sereniſſima Ducalis domus, unde etiam pictori aulico delineanda vivisque coloribus diſtinguenda tradita eſt hæc pars vegetabilis, quæ alias quoque longiorem ætatem tulit: Nam marceſcere viſa, ſi in aquam imponebatur, non ſolum folia denuo expanſa, ſed & magnitudine ſucceſſive multum aucta, læte monſtrabat.

Qui ſtructuram plantarum æque mechanicam, ac animalium, ſi motum voluntarium excipias, cognitam habet, & ſimul novit, determinari progreſſum & directionem fibrarum varie, pro minori vel majori reſiſtentia externa, interdum etiam pro occaſionali læſione aliquot fibrarum, vaſculorum, tunicarum ex fibris contextarum, qua oppoſitæ majori vi trahunt, perpendicularem faſciculorum fibrarum ſe-

riem

riem in vaſculis, &c. a recta in curvam reflexamque viam facile ſic deduci, ſeu cogi poſſe, ſtatim judicabit x).

Accidiſſe autem aliquid, hiatus ſeu fiſſura, in ſuperiori parte inventa, & cavitas abſente omni putredine orta, evincit, dum forte vermis compagem fibrarum ſolvit, ipſa læſione etiam fibris inducta, aut quod ſuspicor, me inſcio, quis experiri voluit, an experimentum ſuccedat, quod hortulani celebrant ad augendam raphanorum molem, & *inoculationem* vocant, ubi ſubula perpendiculariter intruſa cavitatem parvam faciunt, cui novum ſemen, tanquam utero, committunt, quod, adultioris radicis ſuccis nutritum, coaleſcere cum antiqua radice dicunt, ut quaſi in duplicem molem adoleſcat radix novo impraegnata germine. Quia vero ſemen hoc fatuum fuit, aut læſum, aut cavitatem non attigit, fieri potuit, ut læſis per ſubulam fibris, hæc ſe contraxerint, cavitatemque formaverint, in quam, æquali ſublata fibrarum tenſione, folia ſeſe retraxerunt, quæ ab acceſſu liberioris aëris probe munita, minus perſpirarunt, ideoque non firmiorem, ſed laxiorem habitum, nec æque læte virentem colorem, ſed pallidiorem, acquiſiverunt, quemadmodum in ipſis hominibus aliisque animalibus ex eadem cauſa idem hoc contingere, quotidie obſervamus.

Explicatio Fig. 3. Tab. I.

a. b. duorum foliorum initia.
c. d. e. trium reliquorum initia.
f. craſſities albæ ſubſtantiæ incorruptæ.
g. cavitas fibroſa, terreo colore tincta, ſuperinducto reti fibroſo-vaſculoſo albido.

(*Coburgo Erfordiam miſſa d. 20. Februar. 1744.*)

 OBSER-

x) De radicis Raphani ſtructura vid. *Marc.* MALPIGHII *Oper. anatom. de rad. plantar. p. m. 157.* De cauſis monſtroſor. vegetabilium autem *Jo. Dan.* MAJORIS Diſſ. de *planta monſtroſa Gottorpienſi, Schlesvviga 1665. 4to.*

OBSERVATIO XXIII.
DN. D. JOANNIS van WOENSEL.
De
Muliere gravida, vivam devorante anguillam.

Eſt adpetitus inordinati ſpecies *Pica*, non virginum duntaxat & matronarum, ſed virorum etiam & puerorum ludibrium, cujus cauſam phyſicam latentem, qui in ſucci gaſtrici exaltatam acrioremque indolem,ſimulque in errantis phantaſiæ vitium retulerit, a vero forſan haud multum aberraverit. Præ nobiliori ſexu tamen huic affectui magis obnoxias eſſe fœminas, & quidem eo potiſſimum, quo fœtum in utero geſtant, tempore, cunctis in confeſſo eſt. Tanta utique tum inſani hujus adpetitus in quibusdam mulierculis vis eſt, ut non modo vitioſæ qualitatis edulia abliguriant, ſed & talia crebro, a quibus alias natura ſana abhorret.

Avus conjugis meæ chariſſimæ, Amſtælodami in foro piſcario dum verſatur, piſces empturus, a latere ſuo ſtantem animadvertit pauperculam gravidam, quæ avidis oculis venum expoſitam majorem anguillam luſtrat, atque de pretio paciſcitur, quod cum ipſi ſolvendo nimium eſſet, tandem diſcedit triſtis. Abiturientem Avus revocat, ſolvit pretium ipſique donat hancce adeo anxie deſideratam anguillam, qua obtenta præ gaudio lachrymas fundit paupercula, actisque gratiis mox ſeſe ſurripit Euro velocior; famulum ſuum interim jubet Avus, ut mulierem e longinquo obſervaret; ſecedit illa in angiportum, a populi turba ſemotum, ubi voracitate incredibili brevi vivam, vixque manducatam, ingurgitat anguillam.

Occurrit apud *P.* FORESTUM *Lib. XXVIII. obſ. 65.* caſus huic ad amuſſim ſimilis, de fœmina Alcmariana, quæ

ad forum veniens, anguillam coëmptam ſtatim crudam devoravit. Aliorum quoque vivorum animalium, a gravidis Pica laborantibus devoratorum, apud Auctores hinc inde exempla occurrunt. Sic BIERLINGIUS in *Ephemerid. Nat. Curioſ. Dec. I. Ann. II. obſ. 210.* meminit mulieris Dresdenſis, Cyprinum, pondere ferme unius libræ, vivum a capite usque ad caudam edentis; nec non de alia, nomine Rebecca, ibidem ſcribit, quod, prima vice gravida, duodecim vivorum Mullorum capita avidiſſime demordens, illico eadem devoraverit. *Victor* TRINCAVELLIUS de matre ſua, dum in utero gereret, gammaros fluviatiles crudos comedente, hiſtoriam refert *Lib. VII. Curat. particul. affect. cap. 4.* Celeberrimus LANZONUS in *Ephemerid. Nat. Cur. Dec. III. Ann. II. obſ. 28.* refert de militis cujusdam uxore, quod pullum gallinaceum vivum, cum plumis, pedibus, inteſtinis & excrementis, ſumma aviditate devoraverit.

Quandoque etiam mulierculas, hoc affectu laborantes, tenet incompeſcibile non minus, quam execrandum ipſius carnis humanæ deſiderium, quod RODERICUS a CASTRO, *Lib. III. de morbis mulierum, Cap. 9.* depravati & laſcivi animi ſignum merito vocat. *Non defuerunt noſtra memoria*, inquit MARCELLUS DONATUS Lib. IV. Hiſtor. Med. mirab. Cap. I., *quæ conſpecto viro quodam toroſo ac corpore ſucculento, morſu hujus appeterent armos.* LUDOVICUS VIVES, *Comment. ad Cap. XXV. Lib. XXVII. divi Auguſtini de civitate Dei*, hiſtoriam exhibet de fœmina gravida, morſus cervicis denudati alicujus juvenis ardore flagrante, quæ abortum pene feciſſet, ni avide infixis dentibus illum momordiſſet. Caſus ejusdem fere commatis mentionem quoque facit SALMUTHUS, in *Obſerv. med. Cent. I. Obſerv. 61.* Omnem tamen relatam jam edendi, ut ita dicam, rabiem, multis ſuperat paraſangis illud mulieris cujusdam horrendum facinus, quod *Joannes* LANGIUS, *Lib. II.*

Epiſt.

Epiſt. med. XII. ſequentibus verbis deſcribit : *Elapſis non plus duodecim annis mulier in pago non longe ab Andernaco, Epiſcopatus Colonienſis oppido, in littore Rheni, malacia laborans, carne mariti veſci deſiderabat, quem ei percharum occidit & dimidia fere carne conjugis dilecti ſaturata, reliquum ſale maceravit.* Inordinata & exlex fames, quid non mortalia pectora cogis?

(*Harlemo Erfordiam miſſa d. 15. Mart. 1744.*)

OBSERVATIO XXIV.
DN. D. JOANN. JACOBI HUBERI.

De

Fœtus præcluſo ano, ex ſuſpecta gravidæ matris imaginatione ita concreto.

Magnam eſſe imaginationis in homines vim, & maxime quidem in mulieres gravidas, aliunde patet, & mira exempla, omni exceptione majora, ſatis ſuperque id teſtantur. Illud, quod hic profero, exemplum, obſervationem chirurgicam ſimul exhibet. Utraque ratione commotus integram obſervationis hiſtoriam narrare volo. Mulier triginta annorum & quod excedit, equiſonis in ſtabulo regio uxor, mater trium infantum, cum in quarto graviditatis quartæ menſe eſſet, infantum ſuorum unus, puer quatuor circiter annorum, levi ex ulcere laborabat in nucha. Coaleſcere incipiens ulcus illud & ad conſolidationem vergens mater aliquoties intuita eſt, forteque horrorem inde contraxit, dicens aliquoties puero ſuo, *futurum, ut in nucha cicatricem ano ſimilem nanciſcatur.* Quid factum eſt? Juſto partus tempore mulier illa filium enixa eſt (die 2. Nov. 1743.) optimæ formæ, quoad conſpici poterat, atque vitalem.

lem. Cum vero puer ille, die a nativitate ſua tertio, nihil tum meconii deponeret, inquirens obſtetrix in rei cauſam, reperit perinæum ad coccygis os usque penitus clauſum, ibique loci, ubi apertura ani eſſe ſolet, leves aliquot plicas conſpicit, concreti vulneris cicatricem quaſi referentes. Cognito itaque morbo, pater infantis ſtatim auxilium quærit, rogans Chirurgum aliquem, vellet operationem, qua opus eſſet, inſtituere. Chirurgus quoque id mox præſtandum ſuſcipit, ſed fruſtra: levem enim inciſionem cum feciſſet, deprehendit, majus opinione eſſe malum, & profundiorem longe requirere inciſionem, nec tantum pellicula (uti haud raro obſervari licet in atretis,) clauſum eſſe anum, adeoque dimittit patrem cum infante absque ulteriori auxilio. Pater dein alium adit Chirurgum, & tandem die 6to Novembr. (qui quintus poſt partum erat dies) cum Chirurgus ille neſcio quam ob cauſſam nihil tentaſſet, meum ſibi expetit conſilium atque operam. Facile mihi erat auxilium unicum ex profunda ſatis ad cavum inteſtini recti, vel etiam, ſi pejus malum foret, coli adeo finem inciſione petere. Quapropter mox juſſi Chirurgum juſto, quem ipſi indicavi, loco, perfodere infantis perinæum ope lanceolæ. Ita surſum dirigebatur lanceola ante os coccygis oſſisque ſacri infimam partem repetitis vicibus, ut tandem ad duos fere digitos latos ferrum penetraret, absque magna ſanguinis emiſſione, ſed tamen absque ullo effectu. Ulterius vero immitti lanceolam, ob latitudinem ejus auctor eſſe nolui, quia prævidebam, commodius atque opportunius operationem ope fiſtulæ centimalis (le trois-quarts) abſolvi poſſe. Neſcio autem qua levitate, an commiſeratione magis ductus infantis pater, ulterius quid tentari in debili infante recuſavit. Etamſi revera metuendum erat, ne puer in ulteriori operatione exſpiraret, non tamen niſi ægerrime patrem cum infante, præter omnem ſpem & opinionem fruſtra vexato, diſce-

dere vidi. Anceps enim remedium ſemper nulli præferendum, maxime cum ſit unicum, quo intermiſſo mors certo inſequatur. Evenit nempe, ut die a nativitate ſeptimo ſpiritum, vix acceptum, redderet infans miſellus. Mirandum hac in re, quod tranquille ſatis, id eſt, absque convulſione, vel clamore, vel vomitu, vel colore cutis mutato, pedetentim mortuus ſit. Curioſus ego cum eſſem, explorandi tantam inteſtini recti concretionem, patrem pecunia conduxit Illuſtris Præſes Collegii Regii medico-chirurgici, quod heic, Caſſellis nempe, floret, ut cadaverculum aperire me ſineret. Aperto itaque abdomine, tumente valde atque ſubduriuſculo, reperi inteſtina tenuia aëre plena, ultima inteſtini ilei parte excepta. Erant nempe ilei infima portio, ſpithamam longa, totumque colon, infarcta meconio, ſolito more nigricante, uti & portio, quæ aderat, recti. Magnæ curvaturæ coli, ſeu S. Romani portio ultima, divergens deorſum in latam recti expanſionem deſinebat, quæ expanſio modo ad mediam usque partem & paullo infra veſicam urinariam, ampla & meconio plena erat. Ibi vero evaneſcebat rectum in carneo-pinguedinoſam maſſam quandam, craſſam valde, nullumque amplius recti veſtigium relinquentem. Lanceola eam fere totam penetraverat, ut levi modo vi fiſtula centimali penitus perfodi & in cavum recti penetrari potuiſſet, ſicque alvi exoneratio procurari. Ceterum omnia naturaliter ſe habebant. Per veſicam urina valde diſtentam, exprimere tentavi urinam urachum verſus, ſed fruſtra: nec ſucceſſit experimentum, nec unquam illud ſuccedere adhuc comperi. Quæ de matris hujus infantis terrore ſupra dixi, non plane ſuſpecta mulierculæ narratio eſt, ſed ipſe quoque Chirurgus, fide dignus, qui pueri quatuor annorum ulcus curabat, eadem mihi de matris gravidæ terrore quodam, non valde vehementi, narravit, atque de pueri cicatrice, quam mater cum ano comparavit. Quapropter ego non facile

cile negarim: Imaginationem illam fuiſſe partus non naturaliter conſtituti cauſam. Utcunque ſit; hiſtoria de puero vera eſt, quantum ad ulcus, & ani illa clauſura ipſa quoque certa.

(*Caſſellis Erfordiam miſſa d. 29. Mart. 1744.*

OBSERVATIO XXV.

DN. D. JOANN. DANIEL SCHLICHTING.

Incipiens oculi hernia, acu pertuſa, & poſt hac preſſa, feliciter conſolidata.

Integer annus eſt, ex quo prægreſſa ophthalmia ruptoque abſceſſu perrupta ſimul de nocte fuit cornea oculi tunica, paululum ſupra pupillam, ſecedente ac prominente mox uvea per factum illud corneæ foramen, quæ herniæ inſtar tumens, ſed livida & parva adparuit, muſcæ caput referens, unde & tumor hic μυοκέφαλον audit, eſtque nil niſi ſtaphyloma imminens. Namque de die in diem augebatur ita, ut dimidiam afficeret pupillam, decreſcente videndi potentia, ac perbrevi temporis ſpatio in ſtaphyloma vertendus præſpiceretur.

Agitato conſilio, ac ciliis ſpeculo diductis, tumorem acu pertundendum, lympha mox exſiliente, atque eundem oleo myrrhæ per deliquium deliniendum, ac complicato linteo premendum curavimus. Quo facto intra dies quatuordecim, omni tumore repreſſo, priſtinum oculo reſarcitum eſt videndi acumen, obducta ſolum parva admodum cicatrice jam reſidua, quæ vix pupillam tangit, nec ullo modo viſum impedit.

OBSERVATIO XXVI.

DN. D. JO. DANIEL SCHLICHTING.

Quinque fungi teretes oblongi, ſub ptyaliſmo e lingua prognati.

Seplaſiarius audax & avarus nuper ancillæ, diu ſatis fruſtra ab ipſo decocti lignorum uſu excruciatæ, exhibet tandem mercurium ore aſſumendum. Tum fontibus ſalivæ cito apertis, unda ubertim excurrit. Aſt Medici hic ſimius mox inhorreſcens, portenta intuitus, contagium forte, an mercurium metuens, eminus convenit ægrotam, idque ſubinde non quotidie, cum illi hoc ipſum, facile alias eveniens, admodum fuerit & grave & horrendum. Interim medicaſtri incuria quinque fungi mox ex antica linguæ parte, iique teretes & oblongi, excreſcunt, quorum unus, licet tenuis pennæ inſtar, pollicem longitudine æquavit. Chirurgus filo tum ligat ſingulos, qui & 24. horarum ſpatio delapſi ac funditus ſublati ſunt, absque ullo alio inſecuto malo. Sed poſthac orta eſt peripnevmonia, ſubjunctis febre acutiſſima, diarrhœa, delirio, &c. indeque ſine inſtituta phlebotomia, & ſine uſu remediorum febrem quatantenus mitigantium, miſera ſatisſuperque incuria, ignorantia & ſtultitia Seplaſiarii vexata, diem tandem obiit ſupremum. Ita licitum eſt hic ludere de corio humano; quod cum nuper animadverti primum, nec unquam alias relatum legi, ideo curioſis referendum duxi.

OBSERVATIO XXVII.
DN. D. JOANN. DANIEL SCHLICHTING.

Hydrops articuli prægrandis, diſſectis & ipſis ligamentis, ſiccatus.

SExtus eſt annus, ex quo Magiſter Ebræus, qui vix ex ephebis exceſſerat, me conſultum it, perſuaſus, & confiſus, eſſe adhuc remedium ingenti ad genu ſiniſtrum tumori, qui, licet per octo annos multis artificiis, tam in Germania, quam Londini, tum & Pariſiis, illorumque in noſocomiis, ne minimum quidem auſcultaverit, ſed quotannis potius increverit; adeo, ut & mediam tandem oſſis femoris ac ſuræ partem omnem cavitas multum prominens occupaverit. Complures Medici & Chirurgi heic quoque loci conſulti, Chirurgiæ efficaciam inutilem judicarunt, aut mortem brevi poſt ſubſecuturam annunciarunt. Cuncta tamen hæc haud impediverunt, quo minus, adſiſtentibus quinque Chirurgis, audaces & præmeditato opus aggreſſi, circa internum rotulæ latus, a tibia usque ſurſum, diſciderimus cutim, adipem, aponevroſin, atque artus ligamentum, vulnere ad ſpithamæ longitudinem extenſo, adhibita primum lanceola obtuſa, tumque novacula. Illico vi unda excurrit ubertim, eaque limpidiſſima, ad menſuram circiter, quæ albuminis ovi inſtar ignis calore concrevit. Circa idem tempus excerptæ quoque ſunt digito meo quatuor glandulæ Haverianæ ſeparatæ, nec adjunctæ amplius, ex artus cavo, quæ ſingulæ nucis moſchatæ aut fabæ magnitudinem æquabant. Hiante ergo ſic ſatis vulnere, nuda cruris & tibiæ oſſa atque patella, tum viſui, tum tactui comparuerunt, qui adſpectus Chirurgis æque ac aliis horrendus quidem erat aſt felix, quem ſperabamus & prævidebamus, ſucceſſus, ſtimulum nobis addidit, omnia experiundi.

Artus ligamentum, quod *capſulare* audit, ſupra & infra fuerat undæ copia jam diu ſatis ante diſruptum, ut facile ſtylum infra muſculos, tibiam qui extendunt ſurſum & lateraliter, ſupra medium cruris, & deorſum ſub cute, ad medium interius ſuræ, immittere poſſemus, explorata ſic longitudine & latitudine cavernæ prægrandi, in quam poſtmodum, quæ ſiccant, medicamina, ſiphone quotidie infudimus. Hæc vero non inhibuerunt, quo minus enormis ejusmodi gelatinæ moles, ad libram circiter, quotidie deſtillaret; *gelatinæ* dico, nullum enim pus primis diebus conſpici potuit, ſed lympha ſolum, quæ calore denſata in coagulum abit, & in ceteris tumoribus unda repletis animadvertitur.

Secundo die poſt factam operationem chirurgicam, febris vere cauſos cœpit exæſtuare per tres dies, quæ uſu aquæ frigidæ, ſucci citri & opii, ac regimine maxime refrigerante, intra id tempus deferbuit. Interea temporis ex vulnere excreſcit ruber fungus, lymphæ exitum ad modum impediens, dolorem inferens, &, longitudine vulneris occupata, latitudinem palmæ ac altitudinem trium transverſorum digitorum referens, ultra vulneris labia tandem circumcirca expanſus & prominens. Cauſticis ſecurioribus & mitioribus fruſtra adhibitis, fungum ſublimato mercurio ſicco ad unciam dimidiam unica vice perfricare, reliquumque inſpergere juſſimus, ſubjuncta conſueta deligatione. Hoc ergo modo omnis ille fungus, licet antea prægrandis, poſtero die penitus quaſi igne combuſtus atque deletus adparuit, tumque ſponte natura, ſub uſu tincturæ myrrhæ ac ſpiritus terebinthinæ, quæ & in cavum ipſum quotidie injecimus, eſchara brevi poſt ſeceſſit, labiis interim & poſthac per emplaſtra & faſcias adductis. Cavitas autem univerſa poſtmodum linteis complicatis extus compreſſa, circumligata & vi coarctata fuit, ſervata ſic ligatura non ſoluta per ſex integros dies. Ita demum ampla cavitas intra id tempus coaluit per-

fecte conſolidata, atque reſiduum vulnus ſolis ſiccantibus, & quæ fortiter arctant faſciis, temporis ſucceſſu ad cicatricem redactum eſt, ut intra duorum menſium ſpatium tota curatio fuerit abſoluta, ipſeque Judæus poſthac libere, absque omni incommodo, incedere potuerit. Hac occaſione illud iterum in mentem mihi venit, quod omnes illi, quibus ejusmodi tumor tempeſtive non aperitur inciſione quadam, ſed ubi, facta demum lymphæ corruptione atque oſſium carie inducta, cutis multis foraminibus ſponte perrumpitur, perpetuo continuante ichoris fluxu, tandem tabe commoriantur, uti ipſe ego quinquies id vidi, atque a peritis quibuslibet mihi notis Chirurgis ſimiliter confirmari deprehendi.

OBSERVATIO XXVIII.

DN. D. JO. DANIEL SCHLICHTING.

De

Singularibus quibusdam phænomenis, manifeſto demonſtrantibus, omne virus rabidi animalis primum partes ſalivales adficere.

Quoties & quamdiu, ſub conſideratione & curatione ægrorum rabidorum, perpendi, quales maxime effectus noxios venenum iſtud, rabidi canis feliſve morſu communicatum, exſerat, & quomodo potiſſimum agat, toties & tamdiu quam maxime eos miratus ſum; deprehendi autem poſtea, præſente hydrophobia hæcce præcipue occurrere ſymptomata:

1.) Anxietatem ſummam circa præcordia;

2.) gulæ conſtrictionem, ac ſi offa illic eſſet infixa rotunda, qui ſenſus naſcitur a conſtrictione muſculi pharyngæi, a quo usque adeo comprimitur pharynx circa rotundam cartilaginem cricoideam;

3.) per-

3.) perpetuam fere ſalivæ exſpuitionem;

4.) nauſeam ac denique vomitum muci & lymphæ copioſæ, ac ſi æger ptyaliſmo laboraret, quæ ſingula alternatim magis minusve exacerbantur & ceſſant;

5.) cutim univerſam & extremitates frigidas, cum ſudore frigido perpetuo;

6.) ingentem furorem, ſed ita per vices, ut ſubito tales rabidi anxii ſe agitent, exſiliant, pedibus calcitrent, manibus proximos prehendant, clament; neſcii tum omnino quid agant, &c. neque in iſto temporis momento verbis ullis, ſed vi tantum coërceri poſſint. His autem cito iterum evaneſcentibus, reſpirant fortiter, ſuſpiria edunt, loquuntur apte, conqueruntur anxii, exſpuunt in terram, ſitiunt, averſantur omne liquidum, & ſaltem panis fruſtum quandoque deglutiunt, atque in omnibus mente ſibi iterum ad tempus conſtant; ſed mox denuo adficiuntur iisdem motibus ſpaſmodicis, idque per vices tamdiu alternare ſolet, donec intra triduum moriantur omnes, ſuperveniente apoplexia ſpaſmodica.

His ergo probe ponderatis, judico, venenum illud tandem translatum ad ſalivæ fontes, ad pharyngem, ad œſophagum, ventriculum & inteſtina, ibidem ciere ſpaſmum, unde aquæ metus, majore copia humorum ſeroſorum e corpore illuc affluente. Tali autem ſpaſmo veneni quidem pars aliqua expellitur, ſed criſi inani & imperfecta, cum maxima ejus pars intus retineatur. Cerebrum autem unacum nervis, ceterisque corporis partibus, conſenſu cum ſalivæ partibus communi irritari & affici autumo. Opinatus quoque ſum, diu tamen hæſitans, mercurium forte remedium contra hydrophobiam conſtituere poſſe prophylacticum, & en! quod diu meditatus ſum, & diſcipulos jam diu docui, & duos ante annos publice expoſui in libro *Syphilidos mnemoſynon criticon* inſcripto, ejusque parte prima, id Zeelan-

diæ

illæ Medici, verum, ut ajunt, experti, memoriæ prodiderunt & ſcriptis reliquerunt, fuiſſe videlicet, quibus commorſis per ſalivæ fluxum, hydrargyro commotum, hydrophobia fuerit præventa. Qui utrum per traditionem, an ipſi meditati, rem eandem eodemque tempore reſciverint, me latere profiteor.

OBSERVATIO XXIX.

DN. D. JO. DANIEL SCHLICHTING.

Vulnus venæ jugularis internæ feliciter ſanatum.

Septem jam præter lapſi ſunt anni, cum tumorem cyſticum durum ſimulque fungoſum, ad latus tracheæ ſiniſtrum ſuper internam jugularem venam conſpicuum, qui per multos annos nullis remediis cedens, tandem ovi gallinacei molem ſuperavit, lata lanceola incidendum & aperiendum curavi per ſenem Chirurgum, qui, incuria paululum infra tumorem nimia vi intrudendo inſtrumentum, venam prædictam ſauciavit, cruore mox vi maxima excurrente rivi inſtar, ac ſi ex arteria carotide mactati animalis exſiliiſſet. Stupefactus tremensque artifex, conſilii ac remedii inops, obmutuit; ſed ego animum illi mox addidi, atque ſanguine ad libras temporis momento profuſo, vulnus Vitriolo, crepitu lupi involuto, implendum, ac multis linteis carptis & complicatis venam fortiter premendam, atque preſſam commoda faſcia ſat longa, circa collum & caput omne circumducta, retinendam curavimus; quo facto coërcita & ſufflaminata eſt extemplo enormis & impetuoſa illa hæmorrhagia, neque unquam recruduit, præcipue cum caveremus, ne intra quatuordecim dierum ſpatium vinculum laxaretur aut ſolveretur.

Ecce igitur vulnus venæ jugularis internæ, Chirurgiæ efficaci,a neutiquam lethiferum. Merito itaque mirari licet, quod inter Gallos pariter & noſtrates adhuc dum ſint, qui vulnera hujus venæ ſemper & abſolute lethalia eſſe perhibent.

(*Amſtelodamo Erfordiam miſſæ d. 3. Majī 1744.*)

OBSERVATIO XXX.

DN. D. JOANN. HIERON. KNIPHOFII.

Singularia quædam in Ictero nigro notata phænomena, cum ſectione anatomica.

Aurifaber annorum 48. temperamenti cholerico - melancholicī, a pueritia cereviſiariæ diætæ adſuetus, artis ſuæ magis magisque excolendæ gratia ad exteros ſe confert anno ætatis 20. ubi neceſſitate ita poſtulante vinum pro potu ordinario ſeligere cogitur. Vix quinquennio ita elapſo in patriam reverſus, in malum hypochondriacum, graviſſimis ſtipatum ſymptomatibus, incidit, complicatum cum hæmorrhoidum moliminibus, quæ omnia tamen conſiliis & auxiliis feliciſſimi cujusdam Practici tunc temporis, poſt octo menſium decurſum in tantum iterum ſublata fuerunt, ut matrimonium inire, & quinque liberorum pater fieri dein potuerit; interim vero quotannis dicta ſymptomata malum latitans, etiamſi obſcure, prodebant, donec hoc anno frequentius de dolore quodam obtuſo per aliquot menſes conquereretur, qui ipſum lecto prorſus adfigebat. Erat autem lectus in hypocauſto ita collocatus, ut dextro lateri incumbere neceſſe haberet, ſi per januam intrantes conſpicere, & quæ in hypocauſto fiebant obſervare vellet. His tamen non obſtantibus abſque incommodo primis ſex ſeptimanis in ſi-

niſtro

niſtro bene dormire poterat latere. Quod autem primo voluntatis erat, id nunc neceſſitas poſtulabat, quia dolorem gravativum ſentiebat, quam primum ſiniſtro incumbens lateri quietem quærebat. Ex ſignis diagnoſticis ab initio morbi ad complicationem mali hypochondriaci, calculi renum, & hæmorrhoidalium moliminum concludere licebat; quoad pathognomonica autem, totius ſuperficiei flavus color *icterum*, & hunc *nigrum* eſſe, urina atro-rubens confirmabat. Maxime autem de dolore tenſivo ac lancinante in regione epigaſtrica, hypogaſtrica, renali atque pubis conquerebatur, qui modo aſcendebat pectus verſus, modo transverſim ad ductum diaphragmatis, ægrotum excruciabat, modo locum, ubi veſicula fellea deliteſcere ſolet, occupabat, atrociſſima autem pertinacia regionem hypogaſtricam circa umbilicum affligebat. Averſatio a potu ordinario in cauſa erat, quod per totum morbi decurſum non niſi medicatis decoctis atque infuſis uteretur; medicamenta autem, quæ exhibebantur, erant rhabarbarina, digeſtiva ſalina ac balſamica, ictero adpropriata. Alvus interim tardius ſuccedebat, & excrementa, quæ cineritii ſemper coloris erant, ægerrime ſemper, in forma globulorum compactiorum, prodibant; urina autem per 14. hebdomadum ſpatium copioſe quidem, ſed nigerrimo tincta colore, reddebatur. Tandem ſputum purulentum, unacum plenaria totius corporis conſumtione tabida, univerſam hanc ſcenam claudebat, vitæque finem imponebat.

Sectio anatomica poſt mortem inſtituta, varia curioſa aperiebat phænomena: Omentum enim, panniculus adipoſus omnisque pinguedo ſubjacens, erant conſumta; in inteſtino colo reperiebantur ſex globuli fecum induratarum, prope valvulam coli Bauhini jacentes, cui colorem gangrænoſum conciliaverant; renum ſubſtantia erat ſumme flaccida, ſed ſana & crumenam quaſi collapſam referebat; ve-

ſicula fellea utriculi inſtar turgida, bile quidem fluida, ſed nigerrimi coloris, ad inſtar atramenti ſcriptorii, erat repleta, nullusque in ea reperiebatur calculus; ductus biliarii, maxime autem hepatici, capacitatem atque diametrum triplo majorem habebant, & bile memorata nigricante infarcti conſpiciebantur, ac inſimul totum hepar bile ſimilis ſubſtantiæ & coloris repletum undique erat. Pancreas Virſungii, quoad totam ſubſtantiam ſcirrhoſum, ductu ſuo excretorio, cum ductu choledocho communem in inteſtinum duodenum agnoſcebat inſertionem, & in hoc inſertionis puncto pars quædam glanduloſa pancreatis ſcirrhoſa reddita, cum glandulis, uti videbatur, in choledochi fine exiſtentibus, pariter ſcirrhoſis, exitum hujus ductus biliarii communis ita obturaverat, tamque firmam concretionem induxerat, ut inciſione & ſeparatione non niſi, manu chirurgica facta, reſtitui potuiſſet, quæ tamen in vivo corpore, perfecte licet cognita hac cauſa, minime locum obtinuiſſet.

Notatu autem maxime digna in hoc caſu occurentia potiſſimum videntur ſequentia:

1.) ductus choledochi præcluſio a pancreate ſcirrhoſo;

2.) quod urina nigredine ſumma imbuta, in ictero excreta, non ſemper præſentem gangrænam & mortem inſtantem indicet, ſed, ſi non niſi ex regurgitatione bilis ex hepate ad univerſam ſanguinis maſſam oriatur, per multas ſeptimanas durare poſſit;

3.) ſcirrho diſpoſitionem præbuiſſe corporis habitum macilentum; augmenta vero dediſſe fumum argenti vivi inter deaurandum aliosque labores aurifabris inevitabiles; complementum demum attuliſſe diætam mutatam ex cereviſiaria tenui in vinoſo-ſpirituoſam.

4.) Tabem atque totius corporis conſumtionem a pancreate ſcirrhoſo oriri poſſe, quod etiam *M. A.* SEVERINUS, de

de recond. abſceſſ. nat. Sect. II. cap. 36. & BLASIUS, *Obſerv. med. Part. I. obſ. 23. & obſ. anat. p. 127.* teſtantur.

(*Communicata Erfordiæ, d. 7. Jun. 1744.*)

OBSERVATIO XXXI.

DN. D. DANIEL FISCHERI.

Sectio anatomica juvenis febre hectica defuncti.

Studioſus Lycæi noſtri ſuburbani, annorum circiter 17. conſtitutionis ſiccioris & debilioris, ingenii tamen vivacis & acuti, per vitæ ſuæ curſum debilis, pauco cibo & potu contentus, ſæpe morbidus, & ſemper ad ſudores proclivis; cum vacillantis ſanitatis & conſtitutionis debilioris, optima diæta potuque aquæ fontanæ potiſſimum, rationem primariam ſemper haberet, nihilo tamen minus nullo modo id impetrare poterat, ut effugeret morbum, quem ipſe metuebat, Medicique prædicebant, videlicet febrem hecticam; cumque hanc jam jam ſentiret, omni adhibita attentione, convenienti diæta illam adhuc ſubigere intendebat, idque longo ſatis tempore, ita, ut jam tanquam hecticus per duos annos integros ſcholas tamen frequentare ſtudiisque ſuis incumbere diligenter ſatis potuerit. Sed vis morbi tandem magis magisque increvit ita, ut, licet exquiſitiſſimam vitæ rationem indeſinenter obſervaverit, tamen ille pedetentim optimæ ſpei juvenem viribus orbavit, ut lecto continuo adfixus manere coactus fuerit. In his conſtitutus anguſtiis, cumque etiam res eſſet anguſta domi, nec quidquam commoditatis, præter officia illa, quæ alumni noſtri ipſi præbebant, haberet, *b. Georg. Buchholzium*, Rectorem, exorabat, ut is ſtatus ſui miſereretur, atque, ut meam ipſi opem medicam præſtarem, a me impetraret; quod etiam

beatus ille Vir, optimus & ſincerus meus amicus dum viveret, præſtitit, nihilque intermiſit, quod in ſolatium Studioſi hujus hectici ullo modo cedere poſſe autumabat. Idcirco etiam, cum me adiret rogaretque, ut illum viſitarem neceſſariaque ordinarem, ſtatim id feci, adivi, invenique miſerum jam in gradu tertio hecticæ conſtitutum, quem calor continuus, & ad adſumta quævis eſculenta vel potulenta increſcens, urina in ſuperficie pinguis, ſudores nocturni, languor ſummus & conſumtio corporis, absque omni tamen dolore, hypochondria ſurſum ad thoracem convulſa, ventre tamen contracto & inani, certo indicabant. Hæcce obſervans, illico *b. Dn. Rectori* expoſui, cum annexo prognoſtico, malum hocce nullam amplius medelam ex artis ſalutaris loculis habere poſſe. Sed diuturnum illud cum eſſe ſimul dixiſſem, b. ille Vir me rogabat, ne absque conſolatione bonus iſte Studioſus maneret, ut facerem tamen, quæ artis eſſent. Annui, & ordinavi emulſiones temperantes ſimilesque gelatinas, quæ ſimul etiam reſtaurarent, uti & ſerum lactis caprilli, ſed absque ullo effectu; & licet ſimul quoque exquiſitiſſima obſervata fuerit victus regiminisque ratio, nihilo minus tamen, totus exhauſtus emaciatusque, mortis in prædam ceſſit.

Deſiderium illud, quo flagrabam, videndi interiora corporis, quo eo certior eſſem, in dijudicandis Medicorum ſententiis, quas hactenus in diverſum abeuntes, legi, perpendi, nec tamen plenarie inde convictus fui, me quoque incitavit, ut diſponerem laudatum antea *b. Rectorem noſtrum*, ut corpus exanime cultro anatomico ſubjiceretur; annuit ille æque mecum curioſus, illicoque omnia diſponi curavit. Acceſſimus ambo, cum plerisque Studioſis Lycæi noſtri, corpusque extenuatum & conſumtum aperui, cumque remotis integumentis abdominis, ut moris eſt, interiora jam jam conſpectui ſeſe offerrent, non ſine admiratione vidimus

in ipſo cavo abdominis ſerum extravaſatum, ac præter omentum fere prorſus conſumtum, meſenterium inflammationis indicia exhibens, ſimilisque conſtitutionis inteſtina tenuia; hepar ingens & induratum, planeque nigrum deprehendebatur, ac non modo lateri dextro, ſed & diaphragmati, ventriculo & inteſtino colo fortiter adnatum. Ventriculus ipſe exiguus cernebatur, ita quidem, ut perfecte formam inteſtini celluloſi ſiſteret, pro quo etiam facile reputari potuiſſet, niſi inſertio œſophagi & tranſitus in inteſtina tenuia aperte demonſtraſſent, verum hunc eſſe ventriculum; lien quinque lobos monſtrabat, ceterum vero ſanus erat. Curioſitas hæc me quoque ulterius invitavit ad luſtranda interiora thoracis, ad quæ ſpectanda cum integumenta removerem univerſalia, unacum muſculis, atque pro reponendo ſterno, cartilaginoſam partem coſtarum incidere voluerim, obſervavi non tantum locum illum, ſed integrum quoque ſternum & coſtas ipſas, meram conſtituere cartilaginem, quod ut eo certius obſervare poſſem, non modo coſtas a muſculis ſeparavi, ſed & ſternum ipſum paulo penitius luſtravi, & facta ubique fere inciſione, totam harum partium ſubſtantiam cartilaginoſam deprehendi. Separato ergo & remoto ſine difficultate ſterno, pulmo in conſpectum prodibat, undique ſtagnante ſanguine repletus & diſtentus. Cor flaccidum, ſed ſatis magnum, ſecundum proportionem corporis, aſt ſanguine vacuum adparebat. Pericardium ſero maxime repletum erat, perfectamque Hydrocardiam ſiſtebat, unde tantæ cordis oppreſſiones, & quandoque ſupervenientia deliquia animi, ſuam ducebant originem. Plura lubentiſſime adhuc luſtraſſem, ſpeciatim autem capitis quoque interiora, & ſuturarum cranii conformationem, quam pariter præternaturalem fuiſſe, exinde ſuſpicabar, quoniam in puerili ætate graviſſimis capitis doloribus diu laboraverat; ſed avocatus ad parturientem nobilem, in pago quodam vi-

cino commorantem, curioſitati finem imponere, nolens licet, coactus fui.

Quæ itaque culter detexit anatomicus, modo relata & expoſita, ea multum omnino conferunt ad determinandas diverſas Medicorum illuſtrium ſententias, quas in deſignandis morbis eorumque differentiis ſatis admirati ſumus hactenus. Vix enim verbis ſatis enunciari poteſt confuſio, quæ obſervatur in Clinicorum libris, circa notiones hecticæ & lentæ febris, tam antiquiſſimorum, quam noſtri etiam ævi, ita, ut Neo-Practicus dubius omnino hæreat, cui fidem adhibere debeat. Cum autem anatomica ſectio lydium quaſi præbeat lapidem, qui errores manifeſtat, veritatemque confirmat ſolidius; hinc, cum in noſtro caſu manuductione deprehendamus, ad facilius clariusque explicandas notiones febris hecticæ & lentæ, quæ & *tabifica*, omnium Medicorum conſenſu, ſalutatur, tentare nunc conſtituimus, quid humeri valeant, unicuique libertatem ſentiendi jure æquali relinquentes, qua & nos in præſentiarum uſi ſumus.

Febri laboraſſe defunctum noſtrum, nemo certe negabit, quo autem epitheto ſalutanda ſit illa, num *hectica*, an *lenta* dicenda ſit, non omnium eadem eſt ſententia Medicorum. Et hoc quidem nullam aliam ob rationem, quam quod apud HIPPOCRATEM, Veteresque Græcos pleroſque, hecticæ pariter ac lentæ febris nulla fiat mentio. HIPPOCRATES enim *Lib. de intern. affect. N. XI. ſequ.* prædictas febres, addita *cachecticæ febris* notione, ſub *Tabis* nomine generali comprehendit, prout ex additis deſcriptionibus cuique patet. Primus, qui apud Latinos *febrium lentarum* notionem adhibuit, eſt A. C. CELSUS, *Lib. III. de re medic. Cap. 12.* qui & prædictas Tabis ſpecies paullo clarius delineavit, ſed pariter easdem ſub generali titulo *Tabis* includit. Huic in acceptis referre debemus pleniorem ac luculentiorem prædictarum Tabis ſpecierum differentiam & deſcriptio-

deſcriptionem. Fatendum tamen omnino eſt, quod & is, febrim hecticam ſub nomine *atrophiæ* ſiſtendo, dubius admodum & obſcurus ſit, ut ob deficientem meliorem clarioremque rerum conceptum, juniores Medici vix ſciant, an atrophiam ſimpliciter ſic dictam, i.e. ſine febre, an hecticam intellexerit Auctor optimus, licet ipſa ceteroquin deſcriptio ſufficienter innuat, quod hecticam ſub hoc nomine indigitare voluerit. Illa enim generalis admodum eſt, ita, ut & atrophiam ſine febri, & hecticam ipſam exponat. Cum autem nullum reſpectum habeat ætatis, ideo concludere licet, quod hecticam ſaltem denotare voluerit, quippe quæ, datis occaſionibus, omnes omnino homines invadit, cum e contrario atrophia ſpeciatim ad infantum ſenumque referatur morbos. Omnium autem clariſſime notiones prædictas exponit, differentiamque declarat *Cœlius* AURELIANUS, *Lib. III. morb. chron. cap. 7.* qui ex ipſa experientia, fidiſſima rerum magiſtra, illam depromit, dum tres ſpecies conſumtionis corporis ad unam claſſem ſpectare judicat, hecticam nempe, tabem ex viſcerum læſione, & ex ulcere. Uti autem Tabes ſemper conjuncta eſt cum viſcerum læſione & cum ulcere etiam; ſic hectica febris nulla tali læſione ſtipata eſt, niſi quod in ea nimiæ adſint excretiones, quod potiſſimum de urinæ profluvio (quibus addimus & ſudorem ſeminisque ac ſanguinis nimiam excretionem,) Auctor exiſtimat intelligendum eſſe. Ne autem quisquam putet, AURELIANUM ſub hectica intellexiſſe atrophiam, bono conſilio ſimul aliam conſumtionis corporis ſpeciem adducit, quæ ſine febri homini evenit, & vi hujus differentiæ diverſam quoque medelam exponit.

Atque prædicto in ſenſu veteres Medicinæ antiſtites notiones ſpecierum Tabis explicarunt, a quorum explicatione & uſu jamjam recepto Medici nequaquam recedere debuiſſent; ſed dum noſtro hoc ævo in optimis artis incrementis

nos verſari arbitramur, neglecta tamen lectio antiquorum auctorum illuc nos adegit, ut plane contrario ſenſu, & contra veterum Medicorum receptum ſtylum, notiones explicari, in ſcriptis Medicorum etiam principum, deprehendamus. Veteres enim diligenter differentes Tabis ſpecies notaſſe, harumque notas exhibuiſſe, ſcripta eorum teſtantur; recentiores hinc Medici notiones iſtas retinere & obſcuras deſcriptiones claris perſpicuisque conceptibus explanare debuiſſent. Aſt aliud plane adparet ex lectione ſcriptorum, Medicorum noſtro ævo celeberrimorum, dum prædictarum ſpecierum notiones confundunt, ac in deſcriptionibus ea, quæ febri hecticæ non niſi propria ſunt, febri lentæ, cui nomen *tabificæ*, ob meliorem rei conceptum, addi deberet, adſcribunt, & vice verſa febri lentæ tabificæ ea adſcribunt, quæ hecticæ non niſi competunt.

Equidem ſuo jam tempore ORIBASIUS, *Synopſ. Lib. VI. cap. 21.* febris hecticæ rationem tam in fluidis, quam in ſolidis ſitam eſſe ſtatuebat; imo *Alexander* TRALLIANUS, *Lib. XII.* eam in ſolidis unice tantum collocat, & inde forſitan inducti fuerunt recentiores Medici, præſertim præteriti & noſtri ſeculi, ut hecticam febrim ſemper cum viſcerum labe aut ulcere conjunctam eſſe, ſtatuerint, quemadmodum id feciſſe legimus *Joann.* FERNELIUM *Theod.* ZWINGERUM, SCRETAM, STAHLIUM, *Frid.* HOFFMANNUM & complures alios; Miramur etiam merito doctiſſimum cautelarum medicarum ſcriptorem *Eliam* CAMERARIUM, in *Syſtemate Cautelarum med. cautel. pathol. cap. IV. & cautel. ſemiot. cap. II.* rem hanc haud cautius & judicioſius perpendiſſe, dum ejusdem erroris & negligentiæ lectionis veterum ſcriptorum, ſemet reum facit, nec officio ſuo ſatis functus cordatioribus eſſe videtur, cautelas medicas ſcribendo, nec tamen errores tales ſedulo ſatis evitando. Hunc obſervantes errorem, Medici cautiores, febres chro-

nicas

nicas omnes, & hecticas & lentas dixere, ita ut prædictas notiones indiſcretim ſemper in ſcriptis aſſumſerint, exiſtimantes, hoc modo optime quoque antiquorum Medicorum terminos uſitatos explicari, cum tamen in ipſorum quoque monumentis notaverint, differentiam expoſitam fuiſſe febrium longarum, ſive chronicarum, ideoque cum prædictas denominationes pro ſynonymis reputaverint, factum dein eſt, ut differentiam admiſerint inter febrim hecticam, ſive lentam, *primariam*, & *ſecundariam*, illamque ſine vitio partium ſolidarum, hanc vero cum vitio earum occurrere autumaverint, quemadmodum id factum eſſe deprehendimus ab ETTMULLERO, *Prax. med. p. m. 323. ſeqq.* omnibusque fere reliquis, qui caſtra ejus ſecuti ſunt. Cum autem nec hoc modo ſenſui Veterum ſatisfiat, quoniam notiones ipſæ ſenſu ſuo verbali, uti paullo poſt exponetur, aliud indigitant, Veteresque differentiam ipſam, ex natura & genio horum morborum vere fluentem, adnotarunt, licet apud HIPPOCRATEM & CELSUM nulla hecticæ febris mentio fiat, utpote quam primus forſitan *Cœlius* AURELIANUS introduxit; facile hinc quilibet judicioſus rerum exiſtimator colligere poteſt, prædictorum adſertiones, nec naturæ & genio morborum, nec ſenſui verbali notionum, quibus iſtæ tabis ſpecies, inſigniuntur, exacte convenire. Cum etiam porro verba, ſive notiones, ſint perpetui veluti characteres morborum; illæque ſemel receptæ, uti conſuetudinis lex dictitat, ſemper retineri debeant, ſecundum tritum illud dicterium: *verba valent, ſicut nummi*; hinc eo minus nobis illarum explicatio probari poteſt, ſi evitare ſtudemus confuſiones, quæ in animis incautorum facile excitantur, imo etiam acutioribus viam ſternunt, ad inutiles, vel plane etiam noxias quæſtiones. Hinc enim factum eſſe, firmiter nobis perſuaſum habemus, quod a Medicis diſputetur, deturne vera hectica, an ſecus? ubi alii hanc febrem morbum

eſſe adſtruunt, alii vero plane negant, uti videre eſt apud PIENS *de febb. Part. II. pag. 49.* Inde quoque exortæ ſunt diſputationes Medicorum, ita ut SCRETA, *Lib. de febr. caſtrenſ. malign.* ſtatuens, hecticam ſemper latentem aliquam viſcerum obſtructionem, inflammationem aut abſceſſum pro cauſa agnoſcere proxima, acriter ſatis caſtigetur a *Günth. Chriſtoph.* SCHELHAMMERO *in Diſſertatione de genuina Febr. curand. method. Part. III. Sect. I. §. 29.* Imo vitio vertitur idem cum priori ſtatuenti *Georg. Erneſt.* STAHLIO, *in Diſſertatione de Febr. hectica, abſceſſuum internorum comite*, hypotheſi ſuæ præſidium majus tali ratione quærenti, a *Celeb. Joann. Godofredo, Nobili Domino a* BERGER, *in Diſſertatione II. de acido inſonte*, §. 9. Si autem rem ipſam perpendimus, prout ea id poſtulat, omnes illas diſputationes inanes eſſe, facile patebit, cum nulli horum Auctorum in mentem venerit, ut ſtatueret, nullam dari febrim longam, ſeu chronicam, absque vitio partium ſolidarum, utpote qualem omnes & ſinguli admittunt; ſed in eo ſolum a recepto ſtylo receſſerunt, quod, uti ſupra expoſuimus, febri hecticæ adſcripſerint, quæ febri lentæ tabificæ, & vice verſa febri lentæ tabificæ ea, quæ hecticæ competunt. Si ergo hunc ſaltem non commiſiſſent errorem, vix aliqua quæſtio moveri potuiſſet. *Error igitur errori viam ſternit.*

Quo vero rem ex ſua natura dijudicemus, ita tamen, ut recepto uſui notionum, quemadmodum eas jam expoſuimus, certitudinem ſuam ſtabiliamus, juvabit paullo preſſius naturam febrium chronicarum breviſſimis adumbrare, quo eo magis differentia earundem innoteſcat, eoque clarius, ita tamen, ut differentes notiones, quibus excipiuntur, naturæ & genio morborum conveniant. Conſtans eſt ſententia Medicorum, differre hecticam & febrim lentam tabificam, tanquam ſpecies unius generis, fereque dixerim, ut febres continuæ acutæ eſſentiales & ſymptomaticæ, ita,

ut & illi Medici, qui notionum valorem, inter antiquiſſimos receptum ſuſque deque habent, hanc agnoſcant differentiam, febres chronicas omnes ſub *hecticæ* notione comprehendentes, quam tamen rurſus differre exiſtimant, unde aliam dicunt eſſe *hecticam eſſentialem*, aliam *ſymptomaticam*, quam differentiam alii notionibus *primariæ* vel *ſecundariæ* exprimunt, quemadmodum id factum eſſe deprehendimus a BALLONIO, *Lib. I. Conſil. med. Conſ. 16.* Vid. quoque STAHLIUS, *in diſſertatione de febre ſecundaria;* interim tamen hi omnes hecticæ notionem conſtituunt, ut ſummum genus febrium chronicarum, ſeu longarum.

Nos autem conſtanter in praxi noſtra hactenus notavimus, febres chronicas eſſe vel hecticas, vel lentas, & quidem cum additamento, *tabificas*, ita tamen, ut ex natura morborum conſtans notetur ſemper differentia, prout ſpecies unius generis differre conſueverunt, inſimul vero etiam genius cujuslibet ſpeciei, adæquata & convenienti notione excipiatur.

Hectica igitur nobis eſt, ut verbis acutiſſimi quondam *Joann. Godofred. a* BERGER *l. c.* §. *9.* loquamur, illa febris longa, quæ pulſu frequenti ac debili, caloreque, tactu primo mitiore, poſtea vero, imprimis juxta arterias, acri & mordaci, ſed æquabili tamen, nec niſi poſt paſtum, unacum pulſu aliquantum aucto, conjuncta conſumtione virium ac corporis univerſi, ſenſim, tarde & gradatim ad ſummam usque maciem progrediente, ſine ulla latentis, vel obſtructionis, vel ulceris & corruptelæ viſceris cujusdam, tanquam fomitis cauſæque conſervantis nota, ſe prodit ac perſeverat, & niſi ipſis initiis occurratur, plerumque tandem ægros e medio tollit.

Febris lenta tabifica, eſt febris longa, initio hecticæ inſtar mitis, ita ut vix febri homo laborare videatur, ſed paullatim creſcens, & pro vario gradu corpus nunc ſenſim, mo-

do ſubito debilitans, & quadam quaſi facta colliquatione & marcore conſumens, ac vitiis viſcerum atque ulceribus ſuperveniens.

Hæc eſt natura & genius prædictarum febrium chronicarum, quæ, num notionibus etiam reſpondeat? jam inveſtigandum venit. Hectica febris dicitur ἀπὸ τῆς ἕξεως, quod *habitum* denotat. Vi itaque ſignificationis deſcriptio hecticæ convenit & notioni. Patet enim, hanc habitualem indigitare febrim, ſeu longam, ut difficulter, vel plane non ab habitu corporis repelli poſſit, prout idem & *Dan.* SENNERTUS, *Lib. III. de febr. p. m. 333.* ſuo etiam confirmat calculo; fervidior enim ſanguinis diatheſis, eaque continua & perſeverans, habitualem facit, & hinc etiam a *Laurentio* BELLINO, de Febr. p. 258. & 320. *habitualis febris* adpellatur.

Febris autem lenta dicitur ob tardiorem & mitem, imo ſub initium fere inſenſibilem progreſſum. Alias ordinarie audit cum additamento *tabifica*, quoniam cum omnis generis obſtructionibus, exulcerationibus & abſceſſibus ſeſe conjungere ſolet, & in his vitiis quaſi fundata eſt, unde rurſus ſpeciale additur epitheton, quo ſingulis partibus, vel obſtructis, vel exulceratis, vel in abſceſſum abeuntibus, aut ſolum infarctis, ſuus maneat reſpectus, nec horum vitia inter ſe confundantur.

Eluceſcit igitur ex dictis ſole meridiano clarius, febrim hecticam eſſe chronicam eſſentialem febrim, quæ intemperiem, juxta Veterum loquendi formulam, pro fundamento habet; febrim autem lentam tabificam eſſe chronicam ſymptomaticam, quæ vitium viſcerum pro fundamento habet. Hæc enim non invadit ſubjecta, niſi præſente jam aliquo vitio viſcerum; excitatur enim vel a purulenta materia, ſanguini commixta, vel ab impedito motu progreſſivo ſanguinis, ſpeciatim in viſceribus. Inde facile colligitur, febrim

lentam

lentam tabificam eſſe vere ſymptomaticam, cum ſemper ſit conſequens, ſive pediſſequa præfatorum vitiorum. Pro comperto enim habemus, & quotidiana experientia idem cordatioribus Clinicis confirmat, in ſubjectis quinquageſimum annum transgreſſis, ulcera, ſpeciatim in pulmonibus, ſine febre primo fieri, ac pus coctum albumque fundere, & tandem demum febrem accedere, citius quidem ac celerius, quo magis adhuc ab iſta periodo diſtant, & in juvenili adhuc ætate conſtituti ſunt ægroti; tardius vero, quo magis ab anno illo quinquageſimo ad decrepitam ſenectutem eos vergere deprehendimus, ut idcirco vere omnino dixerit *Henr.* MEIBOMIUS, *in Diſſ. de Phthiſi* §. *39.* ſcribens: *Neque ſtatim, ubi ulcus in pulmone factum eſt, adeſt febris, ſed ubi illud aliquamdiu manet, nec curatur. Intenditur etiam, ubi pus non libere expurgatur ex pectore; remittit autem, ubi promte educitur.*

Neque tamen negari poteſt, prout etiam ſectiones cadaverum cuivis monſtrant, atque inter alios ſimul confirmat *Elias Rud.* CAMERARIUS *in Poſit. inaugur. Jo. Chriſt. Gerlachii*, febrim hecticam, licet non excitetur a vitio viſcerum aliquo, in ſummo tamen ſuo gradu vitiare viſcera, & hinc ab horum tandem læſione magis foveri, ut fatalis etiam inde producatur eventus. Luculentum hujus rei teſtimonium perhibet caſus ſuperius a nobis deſcriptus, quippe qui adſertum noſtrum ex aſſe confirmat. Quare cautos eſſe decet clinicos, ne vitia, a hectica febri inducta, habeant pro cauſis eandem producentibus; quemadmodum etiam caſus adductus hoc reſpectu incautis facile imponere potuiſſet, ſed in quo tamen manifeſte adparet, quod vitia viſcerum, ſub ſectione anatomica detecta, non niſi effectus fuerint febris, quemadmodum hoc vel ſola hydrocardia ſufficienter confirmare poteſt.

(*Kesmarckio Erfordiam miſſa, d. 24. Junii, 1744.*)

OBSER-

OBSERVATIO XXXII.

D. D. JOANN. HERMANN. FURSTENAU.

Vulnus rami arteriæ brachialis funeſtum.

Studioſus, vino Gallico ad exceſſum hauſto ebrius, a commilitone pariter ebrio noctu in flexura cubiti dextri enſe vulneratus, tantam ſanguinis vim profudit, ut cruoris in foro diſperſi copia mane ſequenti prætereuntium ſtuporem, & mactati forſan animantis ſuſpicionem excitaret. Is mox in hoſpitium, unde modo egreſſus erat, delatus ab hoſpite, Chirurgo quondam, per integrum dierum ſeptenarium deligatus, ab eodem interna quoque medicamenta ordinata accepit. Circa ſeptimi finem diei erumpente hæmorrhagia enormi vulneris, unacum Chirurgo ſuo perterritus vulneratus, Medicum ſimul & verbi divini Miniſtrum noctu acceſſit; quorum ille ſubito advolans, quæ hæmorrhagiæ ſiſtendæ congrua judicavit, mox apparari curat, ſpiritum imprimis vini rectificatiſſimum, cum ſpiritu terebinthinæ maritatum, & ſimilia, quorum uſus in caſu præſenti Chirurgo iſti veterano plane incognitus erat; prævia quoque in oppoſito brachio inſtituta venæſectione & internis remediis lege artis præſcriptis, advocato ſimul alio Chirurgo, vulnus religari curat, in quo nulla fere hæmorrhagiæ veſtigia apparuere, in parte vero brachii ſuperiore notabilis inflammatio, coloris fuſci, cum metu gangrænæ, & contabeſcentia in ſenſus incurrens, in inferiori vero ejusdem parte, ad dorſum usque manus, tumor quidam mollis, & quaſi œdematoſus, adfuere. Abhinc febris vulneraria exorta, cum vigiliis perpetuis, delirio, ſiti, alvi adſtrictione, lipothymiis ex levi qualibet cauſa, capite v. g. erecto, frequenter adventantibus, per plusculos ex ordine dies vulneratum affli-

xit,

rit, ac plerisque licet ſymptomatibus ſenſim remittentibus, mira tamen virium proſtratio, appetitu licet integro, & lipothymiæ levi de cauſa redeuntes, ut & parcus puris in vulnere proventus, monſtri quid alere vulnus, haud obſcure indigitarunt, donec die abhinc nono, a vulnere autem ſexto & decimo, hæmorrhagia vulneris iterum inſignis, & cum ſaltu, absque cauſa manifeſta, ſimul & ſemel facta, ingentem iterum terrorem vulnerato & adſtantibus incuteret, & conceptam vitæ ſpem, qua eidem ſibique ipſis non nulli blandiebantur, plane tolleret. Namque omnibus hinc remediis externis atque internis, prohiberi non potuit, quin eadem hæmorrhagia circa diem a vulnere vigeſimum ſimili ratione rediens, ſemel licet atque iterum vi externa compreſſa, accedente ad extremum gravi terrore, ex incendii proxime furentis metu, horrore, hinc reſpiratione difficillima & convulſione univerſali, die a vulnere inflicto vigeſimo primo, corpus ſanguine ſuccisque vitalibus plane exhauſtum letho traderet.

Facta poſt meridiem ſectione, arteriæ brachialis ramus, una cum adjacente vena baſilica, per transverſum fere diſſectæ ſunt deprehenſæ, & veritas prognoſeos, a *Thom.* BARTHOLINO *Anat. reform. p. 432.* factæ, quoad ſectionem venæ baſilicæ, ſi non aliunde hinc ſatis conſtaret, ſimul confirmata. Interiora ſingula plane ſalva, ſed vaſa omnia & viſcera fere exſanguia obſervabantur; ventriculus, ultra modum extenſus & leviter inciſus magnam potulentorum copiam, brevi ante obitum hauſtam, profudit, pulmonis dexter lobus pleuræ leviter adhærebat, reliquis omnibus in tribus cavitatibus ſecundum naturam exiſtentibus.

SCHOLION.

Vulneris hujus occaſione, ut frequenter fieri ſolet, non defuerunt, qui varia & plane diverſa, ante & poſt obitum

vulnerati, quoad eventum, ferrent judicia, aliis, vulneratum extra vitæ periculum verſari, perſuaſis, aliis, ſimili caſu edoctis, triſtem eventum ominantibus. Nec defuerunt, quibus poſt obitum plane paradoxum viſum eſt, vulnus brachii funeſtum fieri, cum totum quandoque brachium amputari absque vitæ periculo, conſtet. Quibus omnibus ut ſatisfaciat, a Medico requiri ſolet, neque abs re. Et ſi dicendum, quod res eſt, vulnus hocce non niſi per accidens lethale fuit, ebrietate, quam ſolidam cum *Olao* BORRICHIO haud immerito dixeris, nec non initiali & finali terrore, maximum ipſi periculum conciliantibus. Primis quid ſeptem diebus cum vulnerato actum ſit, juxta cum ignariſſimis ſcio, neque mei poſtulat ratio officii, ſollicite omnia perquirere. Illud certum eſt, poſt meum adventum, ob febrem vulnerariam, lipothymias frequentes viriumque ſummam proſtrationem, de brachii amputatione non deliberandum fuiſſe, ut taceam, defunctum neutiquam hanc operationem admittere voluiſſe, eamque, toties licet ab imperitis decantatam, in ſimili caſu nequaquam omni vitæ periculo carere. Inter reliqua hæmorrhagiæ cohibendæ dicata præſidia, mentionem haud infrequentem injici audias ligaturæ vaſorum, filo ſericeo perficiendæ. Præterquam autem, quod *Roſino* auctore LENTILIO, Chirurgi, præſertim juniores, omnia teneant, ſaltem, ubi Rhodus eſt, ibi ſaltare non poſſint, opportune hic incidunt, quæ Illuſtris *Henr.* MEIBOMIUS, *de Vuln. Cura Lib. VII.* ſcripta reliquit: *Norunt præterea in arte exercitati, vaſa majora abſciſſa, volſella vel hamulo apprehenſa, filo ſerico arctiſſime ligare, ut profluvium ſiſtatur, quod quamvis aliquibus, ut Clar.* HORNIO, *verbis facilius, quam opere perfici videatur, ipſe tamen in magno Florentiæ noſocomio ab exercitatiſſimo Chirurgo felici cum ſucceſſu fieri vidit; addendo: Habet tamen id locum potiſſimum in artificialibus artuum*

ampu-

amputationibus, ubi poſt abſciſſionem vaſa notari poſſunt. Enim vero, quando Clar. *Wilhelmus Uldaricus* WALDSCHMIDIUS, in peculiari Diſſertatione, vulnera arteriarum in artubus ſæpius eſſe funeſta, raro lethalia, evincere ſtudet, unicum tantum in ea Diſſertatione occurrit exemplum juvenis nobilis, ex ſimili vulnere ægre & difficulter ſervati, de quo inſuper dubitare licet, an & quamdiu conſtans fuerit auxilium, plura cum ibidem & paſſim alias obvia ſint, triſtis eventus paradigmata; ut parum idcirco abſit, quin vulnera arteriarum, in artubus ſæpius funeſta & vix non lethalia pronuncianda duxerim.

(*Rintelio Erfordiam miſſa d. 4. Julii, 1744.*).

OBSERVATIO XXXIII.

DN. D. JOBI BASTER,

De

Abſceſſu in fronte, ex quo cum pure ipſa cerebri ſubſtantia prodibat, ſubſequente lethali eventu.

Uxor G. V. H. 34. annos nata, per ſedecim hebdomadas conquerebatur, de dolore intolerabili in medio oſſis frontis, qui omnia, quæcunque adplicabantur, remedia eludebat, cum tandem quinto Decembr. 1741. in fronte ſub capillis ad latus dextrum oriretur tumor ruber, mollis, inſtar furunculi majoris; ex quo aperto, magno ſaltu exſiliebat ſanguis, quaſi ex vulnerata arteria, ita ut arcta compreſſione & ſtypticis fuerit cohibendus, dolor mox minuebatur & tumor intra 10. aut 12. dies erat ſanatus. Vix autem biduo elapſo oriebatur tumor, priori ſimilis ſupra ejusdem lateris ſupercilium, qui apertus fundebat materiam viſ-

cidam inæqualem, & multo majori in quantitate, quam talis tumor, habita proportione magnitudinis, fundere poterat. Immiſſo ſtylo, os nudum & corruptum eſſe obſervabam, atque vulnere integumentorum idcirco dilatato, videbam rimam in ipſo oſſe, quæ ſtylo in cranii cavitatem aditum permittebat. Sectione igitur transverſa vulnere iterum magis dilatato, ſatis facile elevatorio tale fruſtum oſſis frontis extraxi, quale fig. 4. Tab. I. delineatum ſiſtitur, cujus ablationem fluxus craſſi puris & ſanguinis ſequebatur, quo mitigato, ingens adparebat cavitas, & cerebrum usque ad corpus calloſum conſumtum. Repurgatis omnibus, ſeparationem carioſi oſſis & corruptæ ſubſtantiæ cerebri promovere conabar, & feliciter obtinebam, eratque tunc cavitas adſpectu ſatis terribilis. Æger interim optime, ſine ullo ſymptomate, ſe habebat, ſed cum vulnus jam ſubſtantia quaſi carnoſa circum circa repleri incipiebat, obſervabam ingenium vacillare & indies minui, tandemque 29. Decembr. ſubito apoplexia corripiebatur, qua nulli cedente remedio ſupremum diem obiit. Aperire caput poſt mortem non licuit.

OBSERVATIO XXXIV.

DN. D. JOBI BASTER.

Excreſcentia cartilaginea in ore poſt evulſionem dentis.

Anno 1742. vidi virginem, cui in ore, ſupra maxillam ſuperiorem, poſt evulſionem dentis, excreverat tumor inſtar ovi gallinacei, qui magnam deformitatem ſummamque moleſtiam edendi aut loquendi creabat, & adhuc indies augebatur. Dexterrimus Chirurgus, qui me in conſilium vocaverat, cultello, inſtar ſemicirculi ad hunc finem fabrefacto, tumo-

tumorem amputabat, qui ob ingentem magnitudinem ex ore extrahi debebat, & ſubſtantiæ erat cartilagineæ. Hæmorrhagia ſtypticis ſiſtebatur, ſicque ſatis breviter & feliciter fuit curata.

OBSERVATIO XXXV.

DN. D. JOBI BASTER.

Fœmina, cui menſes per ulcus fluebant, filium ſaniſſimum in lucem edit, ſubſequente ulceris conſolidatione.

Uxor R. M. poſt partum febre correpta, me accerſiri jubebat, & accedenti referebat, ſe nunquam ordinario modo menſium fluxum expertam fuiſſe, ſed decimo quinto ætatis anno ulcus quoddam in pede ſiniſtro, ſupra talum, accepiſſe, quod quolibet menſe de novo ſponte ſeſe aperiens & perrumpens, duo aut tria cochlearia ſanguinis effuderit, & iterum poſt tres aut quatuor dies ſponte iterum coaluerit. Filium nunc eo, quo me vocari curabat, tempore, ſaniſſimum enixa erat, & lochiis rite fluere incipientibus, brevi ulcus iſtud plenarie conſolidatum fuit.

OBSERVATIO XXXVI.

DN. D. JOBI BASTER.

Fiſtula in inguine dextro, alimenta transmittens, ingravidatione curata.

Fœmina 36. annorum, hernia afficitur in inguine dextro, quæ pro abſceſſu ab imperito Chirurgo habita, ſimpliciter emollientibus cataplaſmatibus fovebatur, donec tria diſtincta foramina ooo materiam ſtercoraceam & alimenta

ſemidigeſta fundentia, errorem oſtenderent. Per tres aut quatuor menſes tunc varia adhibuit remedia, ſed fruſtra, cum ipſa tandem ad me veniret. Præſcripſi interne decocta vulneraria pro potu ordinario, & balſami Meliloti & Locatelli ana drachmam dimidiam, quater de die ex lacte tepido, cui vitellus ovorum erat immiſtus, ſumere juſſi, ſed pariter fruſtraneo cum eventu: modo enim unum, modo alterum quidem claudebatur foramen per hæc interna, itemque injectiones & conglutinantia, ſed mox iterum ſingula aperiebantur.

Interim illa gravida erat facta, cumque menſe tertio aut quarto abdomen magis intumeſcere inciperet, mucoſam & viſcidam tantum materiam hæc foramina fundebant, quæ indies minuebatur, evaneſcebat quoque odor ſtercoraceus, & menſe ingravidationis octavo circiter deſinebat fluxus, fiſtula conſolidabatur, & nono menſe perfecte ſanum fœtum enixa poſtmodum & ipſa ſana manſit.

(*Zürckſea Erfordiam miſſæ, d. 16. Julii 1744.*)

OBSERVATIO XXXVII.

DN. D. JOANNI GRASHUIS.

De

Colicæ habitualis & dyſentericæ feliciſſima curatione ope Corticis Simarubæ.

Die 12. Septembr. anni 1742. accerſitus fui ad Virum 30. circiter annorum, natione Anglum, ex illuſtri familia natum, dolore ventris acerbiſſimo decumbentem. Colicum dolorem, qualem nunc patiebatur, ipſi a nativitate, vel primis ſaltem infantiæ annis, fuiſſe familiarem, narravit, vix medicamentis cedentem, aliquando tamen pro tempore ſeda-

ſedatum. Peregrinatus jam fuerat a primo Vere anni ſupra nominati, fere ad hoc usque tempus, ex Anglia *Amſtelodamum*, *Amſtelodamo* magnam partem Germaniæ peragratus erat usque *Pragam*, *Praga* diſcedens *Berolinum* petiit, *Berolino Hamburgum*, *Hamburgo Bremam*, & exin per terram denuo *Amſtelodamum* appulit. Varias non tantum corporis defatigationes, ſed aëris inclementis præcipue injurias perpeſſus fuit, adeo quidem, ut curru vectus, per 30. præter propter dies, noctesque perpetuis fere pluviis & imbribus fuerit expoſitus, imo & terra marique innumeras corporis vexationes tulerit. Toto interim hujus peregrinationis tempore dolorem colicum ſecum traxit, ad quem ſuperandum ipſi invito licet, *Pragæ* multum ſanguinis ex utroque pede fuit detractum, quo valde debilitatus, non niſi ſumma cum moleſtia inde *Berolinum* profectus fuit. Hic vero per tres circiter hebdomadas, propter intenſiſſimum dolorem, detentus fuit, nullis vel optimis medicamentis a Clar. Dn. D. *Lieberkühn* exhibitis, levatum. *Bremæ* iterum præ dolore decubuit, & in maximum vitæ periculum fuit conjectus. Juſſu Medici, ægro contrarium ſuadente, experientia edocto, denuo larga fuit inſtituta venæſectio, nullo quidem cum levamine, & magna virium jactura; quin & calidiſſimis inſimul exhibitis medicamentis dolor magis fuit exacerbatus. Benignitate naturæ tandem utcunque levatus, *Amſtelodamum* rediit, ubi dolor iterum immaniter increvit, ut antea dictum. Alvus ipſi & liquida erat & torminoſa. Præſcripſi in hoc rerum ſtatu decoctum lenitivum, quod ingrediebantur flores chamæmeli & rheum, addita Syrupi diacodii uncia dimidia. Dolor ſequenti die fuit paullo mitior, alvi egeſtiones magis compactæ, ſomnus autem per totam noctem omnino nullus. Præſcripſi denuo ſimile decoctum ſine rheo. Nox, quæ ſequebatur, ſomnum 4. vel 5. horarum conceſſit. Dolor multum fuit imminutus, alvi

deje-

dejectiones & minores, & compactiores noctu, altero vero mane iterum frequentiores & liquidiores.

Decimo quinto Septembris noctem tranſegit inſomnem, Dolor matutino tempore ſummopere fuit auctus. Feces decocto adſumto ſimiles, cum pauxillo ſanguinis permixtæ. Adpetitus tamen vigebat. Exhibui conditum quoddam roborans & demulcens, quod licet adſumſerit, vix ullum levamen attulit. Morbi longitudinem conſiderans æger, in patriam redire voluit, neque diſſuaſi ego, curationem vix prævidens. Circa veſperam dolor vehementiſſime ſæviit, alvi dejectiones eædem erant, ut ante, & cruentæ. Narravit, in Anglia ſibi quandoque exhibitas fuiſſe quinquaginta guttulas laudani liquidi Sydenhamii, optimo cum ſucceſſu. Præſcripſi itaque hauſtulum cum ſimili quantitate celebris hujus tincturæ anodynæ, duabus vicibus adſumendum. Quo ex hauſto, ſatis commode noctem tranſegit, licet per unicam tantum horam dormiverit. Non depoſuit alvum, niſi proximo mane. Dolor valde fuit imminutus.

Decimo ſeptimo Septembris vix dormivit. Dolor non quidem vehemens, dejectiones tamen perpetuæ erant. Laudani liquidi prænominati copiam petiit, ut in itinere patriam verſus, urgente neceſſitate, legitimam doſin haurire poſſet. Valedixit mihi, jam *Londinum* profecturus. Poſt meridiem autem denuo miſit ad me, ut præſcriberem enema quoddam adſtringens, ut diarrhœa pro tempore ſaltem cohiberetur, dubius, an ſtatus ejus ſuſcipiendo itineri aptus foret. Exhibui clyſma cum duobus opii crudi granis, quod per tres quatuorve horas quidem retinuit, poſtea tamen eodem, ut antea, modo dejecit, neque proficiſci præ dolore & continuis alvi egeſtionibus potuit. Circa veſperam & mane ſequenti febricitabat, & leviter delirare videbatur. Præſcripſi conditum roborans cum cortice Peruviano, & epithema ventri applicandum, ex ſpiritu vini & theriaca. Veſpertino

tem-

tempore dormibundus erat & delirans, dolor non auctus, feces copioſæ fuſcæ & ſanguinolentæ. Enema valde adſtringens injici curavi, quod per tres vel quatuor horas quidem retinuit, poſtea vero ſingulis iterum horis & ſemihoriis alvo obſequi coactus fuit.

In his rerum anguſtiis, cum non niſi certa mors expectanda videbatur, periculum facere volui, an cortex Simarubæ ante aliquot annos, poſtquam a Cel. D. JUSSIEU deſcriptus fuerat, a me primo, quantum novi, in hiſce regionibus in uſum introductus, & in fluxionibus cruentis ſæpiſſime cum fructu exhibitus, aliquid efficeret ad ſiſtendas alvi fluxiones ſanguinolentas. Præſcripſi itaque corticis hujus drachmam unam, in ſex pulviſculos dividendam, quorum omni bihorio unum adſumſit.

Decimo nono Septembris, pomeridiano tempore obdormire incepit, & totam fere ſequentem noctem placide transegit.

Vigeſimo Septembris melius ſe habet. Feces mucoſæ, albicantes, nullo fere ſanguine permiſtæ, caruncuIas quaſi continentes, dejiciuntur. Dolor non magnus. Febris vix ulla. Vocatus nunc fuit in auxilium Collega meus doctiſſimus, D. *P. van* LEEND, qui uſui corticis Simarubæ continuando adſenſum dedit. Pro potu exhibita fuit panatella, cui ingens cinnamomi quantitas fuit adjecta. Circa veſperam aliquoties iterum dejecit, feces autem magis naturales erant. Ultima, quam habuerat hoc tempore, dejectio, valde torminoſa fuit, quapropter clyſma ſedativum denuo fuit injectum.

Die vigeſimo primo nox antegreſſa placida fuit. Bis tantummodo & parum dejecit. Nauſeabundus nunc utcunque, quod ab uſu corticis Simarubæ frequenter obſervatur. Veſperi bene ſe habuit, vix dejecit. Dolor fere nullus. Perſiſtit in uſu pulverum corticis Simarubæ.

Die vigeſimo ſecundo alvi egeſtiones perpetuo imminutæ, feces compactæ, dolor nullus, adpetitus viget, vires revertuntur.

Die vigeſimo ſexto in meliorem ſtatum redire continuo pergit, & ſanitatis integræ ſpes magna adfulget. Conqueritur tantum de dolore circa exteriores ani partes, cum dejecit, qui ab hæmorrhoidibus externis, ut videbatur, ortus, emolliente quodam linimento facile ſuperatus fuit. Sicque bene valens in patriam diſceſſit, in quam feliciter & bene conſtitutum ſe adveniſſe, literis ad me datis poſtea ſignificavit.

Notatu maxime dignum eſt, morbum hunc longum valde & difficilem, nullis medicamentis allevari potuiſſe, Simaruba autem exhibita, non allevatum tantum, ſed ſublatum penitus viſum fuiſſe. Meretur ſane cortex hic penitius examinari, & quibus in caſibus conveniat, nec ne, obſervari diligenter. Virtute adſtringente eum pollere, variis inſtitutis experimentis, nullo modo detegere potui. Agit itaque vi quadam ſpecifica, hactenus non explicata. In nullis eum convenire caſibus, niſi qui fluxionibus ſanguinolentis ſtipati ſunt, experientia confirmat; quod ipſum a Clar. Dn. D. DEGNERO quoque animadverſum & adnotatum fuit.

(*Amſtelodamo Erfordiam miſſa, d. 3. Aug. 1744.*)

OBSERVATIO XXXVIII.

DN. Lic. JO. JACOBI SCHLIERBACH.

Sudor pedum cum fluore albo alternans.

Medicina, inprimis practica, præcellentiorem hodie faciem, longo multarum iteratarum obſervationum & experimentorum factorum uſu, præ ſe ferre videtur, quam olim, excepto tunc temporis HIPPOCRATE, cujus obſervatio-

vationes medico-practicas accuratas hodie, propter ſingularem & uſu comprobatam diligentiam & ἀκρίβειαν, maximi facimus & admiramur. Et quanquam hinc inde poſterioribus temporibus quidam fuerint, qui hujus Senis veſtigiis inſiſtere anniſi ſint, multum tamen adhuc dum ſupereſt, quod neſcimus. Nihil dicam, quantum & hodie in Theoria medica procul dubio in puteo ignorantiæ Democriti abſconditum re ipſa lateat, & quidem tanto magis in cauſis genuinis morborum recte & vere inveniendis & detegendis, ubi adhuc diverſus & haud parvus numerus morbidarum adflictionum in corpore humano occurrit, quarum proxima cauſa, origo ac ipſa vera ſedes præterit etiam ſagaciſſimorum notitiam, quæ non niſi poſt mortem, & ſic ſatis ſero, per cultrum anatomicum, imo vix dum hac ratione patefiunt, ſicuti horum caſuum plane obſcurorum hiſtoria medica hinc inde deplorandum cumulum adfert & profert. Tanto profecto majores difficultates ac ſæpe obſcuritates, imo hallucinationes ſeſe produnt in ea parte, quæ potior merito dicenda eſt, ſcilicet in practica, ſeu clinica; quamobrem etiam Excellentiſſ. Dn. Prof. FURSTENAU haud injuſte permotus fuit, ut inter ſua deſiderata longam recenſeret & referret ſeriem, quæ in clinica adhuc deficiunt praxi & idcirco jure meritoque adhuc reſarcienda & ſupplenda forent.

Medico itaque prudentiori diligentique omnino incumbit, ſagaci, qua fieri poteſt, ſtochaſmo veras origines, cauſas morborum & ſedem ſcrutari, quo his dein felici cum ſucceſſu genuinam medendi methodum opponere poſſit, atque hoc non in morbis ſolum eminentioribus, ſic dictis cardinalibus, ſed & tanto magis in illis, qui aliquando obſcuram originem ac parvæ conſiderationis ſcaturiginem habere videntur.

In hujus adſerti comprobationem afferre jam lubet caſum, de ſudore pedum cum fluore albo reciprocante, ubi

parvum malum magni certe morbi initium evaſit. Alii interim in genere de ſudoribus hinc inde ſcripſerunt, uti ZWINGERUS *in Diſſertat. de fœtoribus totius corporis*; quemadmodum etiam hinc inde variæ proſtant obſervationes, de ſudore & fœtore manuum, ſub alis, in inguine, in utroque poplite, de hirciſmo pudendorum, &c. a variis Auctoribus conſcriptæ, ac ſparſim & per fragmenta ex practicis libris colligendæ. Ipſe autem ille caſus ſequentis eſt tenoris:

Fœmina 30. annorum, ſanguineo-melancholica tempore graviditatis fluore albo adfligitur, qui tamen poſtea, cum ſudor pedum fœtidus accederet, prorſus conquieſcit & evaneſcit. Interim hic ſudor per aliquod tempus toleratus, moleſtiam tantam creabat, ut ejus ſuppreſſionem a Medico efflagitaret, qui vero eandem ſub variis perſuaſionibus, in experientia fundatis, renuebat; quare mulier incommodi hujus pertæſa admodumque impatiens, tandem ad cohibendam illam excretionem, ex muliercularum conſiliis, pedum plantis ſupponit folia alni, indeque voti ſui compos redditur. Aſt dicto citius diſparentem pedum ſudorem dein fluor albus excipit rurſus, unde iterum Medicum adit, ac fluoris albi ſublationem poſtulat, qui etiam interne adhibitis alexipharmacis & ſuccinatis interpoſitisque laxantibus, cum externa frictione, mediante excutia in pedum plantis, feliciter ceſſabat, exſurgente iterum fœtido pedum ſudore, tanquam malo minori & tolerabiliori, omnem ſub continuo ſuo ſucceſſu prioris adfectus recurſum plenarie poſtmodum intercipiente.

EPICRISIS.

Demonſtrat hic caſus evidentem & ſingularem conſenſum & metaſchematiſmum fœtidi ſudoris pedum cum fluore albo. Quo minoris enim momenti & conſiderationis talis

pedum

pedum ſudor, ſingulari conatu a Natura in extremis partibus, ad ſeparanda & eliminanda ſuperflua recrementa ſeroſa, in ſanguine deliteſcentia, inſtitutus, in communi vita habetur, tanto manifeſtius exinde eluceſcit ejus utilitas, & inprimis conſervationis neceſſitas, ad vitam ſartam & incolumem ſervandam. Quotidie enim obſervamus, quod per alimenta & potulenta liquidorum ſatis magna copia in corpus noſtrum ingeratur, quæ cum chylo ad ſanguinis maſſam tranſeunt, & cum illa per totum corpus circulantur; cum autem multa peregrina his liquidis admixta deprehendantur, ſalutari hinc conſilio in glanduloſis & vaſculoſis partibus, per totum corpus obviis, talia iterum ſeparantur, ſicque ſanguis & lympha quotidie depurantur, ac ab imminente alias corruptione præſervantur.

Quando ergo in quibusdam ſubjectis tranſpiratio imprimis peripherica haud ita libere ſuccedit, ſerum interim in corpore exuperat, tunc Natura ſubinde ſalutariter talem particularem ſeri per plantas pedum excretionem inſtituit, & hac ratione ſupplet defectum aliarum ſolennium excretionum. Notum enim eſt, quantæ utilitatis, imo neceſſitatis, tranſpiratio inſenſibilis rite & debite procedens, exiſtat, quod præ aliis SANCTORIUS a SANCTORIO, *in Med. ſtatic. Sect. I.* §. 4. primum evicit atque indubiis ſimul argumentis demonſtravit, quod per illam major omnino excrementitii ſeri copia quotidie eliminetur, quam per omnes reliquas conjunctim ſumtas ſenſibiles excretiones.

Hoc vero peculiare hic ſudor habet, quod ut plurimum præ reliquis, in aliis partibus erumpentibus ſudoribus, fœtorem ſimul propter loci aptitudinem de ſe ſpargat, & quo major in humoribus præſto eſt impuritas, & copioſior ſalino-ſulphurearum particularum ſubtiliorum proventus, eo major fœtor, imo plenaria etiam excoriatio ipſius cutis inde eveniat, inſimulque copioſius etiam in pedibus erumpat,

 quam

quam in aliis corporis partibus. Proinde etiam particularis talis ſponte a Natura excitatus ſudor tantæ conſiderationis & utilitatis exiſtit, ut quovis modo interne vel externe turbatus, varia & admodum ſontica, modo acuta, modo chronica pathemata, pro diverſitate temperamenti, ſubjecti, ætatis, ſenſibilitatis & materiæ peccantis copia, inducere valeat; ſic enim obſervamus, febres acutas, lentas, hecticas, modo vertigines, dolores præcordiales, aurium tinnitus, auditus gravitates, difficiles reſpirationes, ventris immanes dolores, modo & alia pathemata ſpaſtica, cardialgias, aſthmata & arthriticos vagos & fixos dolores, œdematoſos tumores, &c. exinde emergentes, quemadmodum etiam in noſtro ſubjecto fluorem album induxit.

Non minus quoque & hoc notari meretur, quod ſudor talis fœtidus, extra hunc ſtatum, uno tempore copioſius prodeat, pluraque incommoda adferat, quam alio, idque inprimis ſolennius eveniat circa æquinoctia, eodem fere modo, ſicuti aliæ criticæ & periodicæ a Natura inſtitutæ excretiones, quæ communiter uno tempore magis, quam alio, augentur, & majori ſecretorio impetu urgentur; imo, quemadmodum conſuetudo, etiamſi non ſimpliciter ſalutaris ſit, alias excretiones ſucceſſu temporis magis confirmat & habituales reddit; ita & hæc excretio per plantas pedum contingens tandem pariter pertinax, rebellis & continua evadit, ut vix ac ne vix quidem amplius dein emendari poſſit. Sic quoque ulterius experientia comprobat, excretionem hanc pro diverſitate temperamentorum multum omnino variare. In ſubjectis enim floridioris & præcipue ſanguineo-melancholicæ, inprimis autem cholericæ conſtitutionis, majorem de ſe ſpargere ſolet fœtorem; in humidioribus & ſeroſis autem excretoria copia ſaltem quantitate & copia majori moleſta evadere ſolet. Frequentior etiam teſtatur obſervatio, quod multi in ſtatu adhuc ſanitatis tolerabili copioſiorem talem

lem particularem ſudorem quotidie fere experiantur, hacque ratione alias nihil fere morbidi ſentiant, niſi quando hic excretorius Naturæ motus, alias continua ſerie placide ſuccedens, aliquomodo turbatur; tunc enim quilibet facile obſervare poterit, quod in œconomia corporis varia gravia pathemata quaſi reſuſcitentur, manifeſto ſane indicio, quod hujus excretionis turbatio unice morboſa talia inducat conſectaria.

Interim ex bono Naturæ, providæ illius medicatricis corporis ſui, conſilio & directione excitatur talis ſudor, ubi ob univerſalem excretionem, vel in tantum, vel etiam in totum præpeditam, particularia ſeligit loca, & ex his ſerum impurum proſcribit, hacque ratione humores abundantes in corpore, ad putredinem ſemper & maxime pronos, optime imminuit & omne alias metuendum periculum tempeſtive avertit. Ab aliis vero ſudoribus hæc ipſa excretio admodum diſtincta eſt, & idcirco huc non pertinent ſudores univerſales periodici, ac annuis recurſibus, circa æquinoctia, maxime vernum, largius, per aliquot dies, imo ſeptimanas, profluentes, ſtataque ſua tempora ſervantes.

Quando itaque legitime ſuccedit hic ſudor, nullas functionibus, ad vitam & ſanitatem neceſſariis, turbas infert, quin potius ſanitatem in ſua integritate conſervat, hacque ratione ipſo tam effectu, quam eventu, magnam utilitatem præſtat; & quanquam etiam aliquæ cum illo conjunctæ forſitan ſint moleſtiæ, probe tamen ſimul perpendendum eſt, quod nullum commodum ſine omni incommodo ſit, eaque propter convenit potius qualescunque tales moleſtias patienter tolerare, quam placidum ad partes externas & extremas directum Naturæ molimen talem ob cauſſam cohibere & prorſus ſupprimere.

Interim hæc excretio hinc inde ſatis raro annotata deprehenditur; imo ubi etiam forſitan ejus mentio injicitur, ibi

ibi ut plurimum magis pro abſolute morbida & præternaturali habetur. Senſibilitas autem ejus exinde patet, quod ex levi occaſione, vel impedimento, ſtatim non in ſua ſolum activitate turbetur, ſed & graviſſima alia incommoda inferat. Speciatim vero tunc in ipſis pedibus oriuntur tenſiones & ſemi ſpaſticæ tractiones, quandoque etiam dolores ardentes, tendentes, prurientes, cum ardore quodam ſatis moleſto & inſolito, ac ſingulari laſſitudine gravativa. Notatu etiam dignum utique eſt, ad unum fere omnes, arthriticis & podagricis affectibus obnoxios, ſimul de pedum ſudoribus moleſtis conqueri, illosque, ſi particulares tales excretiones in ſucceſſu ſuo libero conſervantur, & convenienter per calorem adjuvantur, ut plurimum vel rarius his ſpaſmodicis adfectibus adfligi, vel ſi etiam occurrant, levius decumbere, & citius iterum ab iisdem liberari. Idem hoc in genere confirmat *Jo.* CRATO, *Conſil. XXI. lib. IV.* quando dicit: *Docti Medici omnes ab experimentis didicerunt, ea corpora, quæ multum urinæ emittunt, & ſudant frequenter, minus a podagra tentari, in quibus vero illa duo excrementa, ſudor inquam & urina, detinentur, ii ad hunc affectum maxime proclives ſunt.*

Quod vero fluorem album attinet, ortum ſuum is trahit a lympha ſero excrementitio inquinata & deturpata; hinc loco ſinceri ſanguinis menſtrui ſeroſo-mucida materia ex genitalibus ſemper profluit, dum nempe ob motum tonicum alteratum remoratur ſanguis, & hujus loco ſeroſa talis materia ſaltem tranſudat. Hinc ergo in hoc ſubjecto ſudor pedum quaſi criticus, jam turbatus & impeditus, ſingulariter alternabat cum fluore albo: Antea enim fœmina illa menſium largiorem ſemper experta erat fluxum, qui etiam ſub graviditatis, imo lactationis ſtatu continuabat, ſicque ſatis luculenter ſanguinis abundantiam arguebat; adeoque fieri aliter haud potuit, quin, turbato & cohibito pe-

dum

dum ſudore, ob copioſiorem inde evenientem humorum verſus uterum congeſtionem, prægreſſus antea fluor albus denuo reſuſcitaretur, quemadmodum dein, invitato iterum humorum verſus pedes affluxu, per frictiones, ſudor ibidem rurſus cum fluoris albi ceſſatione prorumpebat, ſicque manifeſte demonſtrabat, criticam quaſi eſſe hanc excretionem, & idcirco, tanquam ſalutarem Naturæ actum malumque omnino mitius in reſpectu ad fluorem album, patienter omnino tolerari debere. Ceterum in curationibus ſudoris pedum hinc inde varia quidem remedia, præſertim externa, annotata deprehenduntur, aſt ſæpius talia magis noxia, quam ſalutaria ſunt, dum nimirum in varii generis adſtringentibus & reprimentibus conſiſtunt, inter quæ inprimis metallica, uti v. g. lithargyrium cum aceto coctum, alumen, mercurius ſublimatus, limatura orichalci, &c. omnium periculoſiſſima & Naturæ intentioni ac directioni ſumme infenſa & contraria exiſtunt. Hinc etiam, licet PANAROLLUS, *Pentec. III. obſ. 16.* folia myrti ad ſiſtendum pedum ſudorem commendet, ſimul tamen cavendum eſſe monet, ne hac impoſitione ſubjecta tali ſudore laborantia in pejores morbos incidant.

Magis ergo conveniunt, quando turbatus inprimis ſtatus occurrit, interna reſolventia, ſanguinem depurantia, cum interpoſitis laxantibus, itemque ſuccinata, tinctura antimonii tartariſata, eſſentia alexipharmaca Stahlii, tinctura rhabarbari, pilulæ polychreſtæ, &c. Externe reſolventia, deobſtruentia, diſcutientia, leniter roborantia, detergentia, pediluvia vaporoſa & frictiones cum aſperioribus pannis, vel excutiis, in uſum vocare licet. Quo vero in debito ſuo ſucceſſu hic ſudor conſervetur, præſtat pedes perpetuo calore ſedulo fovere, ſudorem emanantem diligenter abſtergere, tibialia frequentius mutare, mundaque ſervare. Ceterum pro confirmanda magisque illuſtranda & neceſſitate

& utilitate particularis hujus excretionis, in ipſis etiam morbis, duo adhuc exempla, manifeſtam & graviſſimam ex illius turbatione ſubſecutam noxam uberius declarantia, ſubjungere adhuc lubet. Primum horum concernit virum 46. annorum, temperamenti ſanguineo-cholerici, qui in ſano corporis ſtatu ſemper ſalutares ſudatorias excretiones in pedibus ſuſtinuit. Hic ineunte Vere hujus anni cum multis aliis febre catarrhali cum doloribus pleuriticis corripitur, qua graviter decumbit; interim quarto die ab invaſionis tempore ſigna coctionis in urina adparent, teſtantia adeſſe criticam humorum impurorum a puris ſeparationem; ſeptimo die accedunt tenſiones & tractiones ardentes, lancinantes tibiarum, cum inſigni ardore in plantis pedum, quam vero moleſtiam æger ſublevare intendit, exſerendo pedes extra lectum, ſicque cum improvida refrigeratione. Hinc materia peccans excernenda in latifundio humorum remanet, magis magisque eos inquinat & accendit, indeque preſſo pede inſequitur hecticus ſtatus, atque cum remanentibus & continuantibus tibiarum tractionibus moleſtiſſimis, æque ac ardoribus, ſcena tandem morte clauditur.

Alius Vir 31. annorum ſanguineo-melancholicæ conſtitutionis, a matre arthritica & patre podagrico prognatus, mature arthriticos ſentit inſultus, ac pedum ſudoribus adfligitur continuis; poſt æquinoctium vernum, ceteroquin tunc ſanus vegetusque, mutat derepente tibialia denſiora, & ſerica induit, altero die ingruit verus podagricus dolor & inſultus, ex ſuppreſſâ ſudatoria excretione pedum exortus, qua vero tempeſtive reſtituta, podagrici dolores ſtatim mitiores redditi & facile demum illo tempore profligati fuerunt.

In priori caſu attenta praxis & experientia docet, quomodo Natura excretionis cujusdam in ſano ſtatu ſolennioris & ob diuturniorem durationem quaſi habitualis redditæ, facillime

cillime in ſtatu morboſo reminiſcatur, atque auctiori motu, in diebus judicatoriis ſeu criticis excitato, ad iſtum locum materiam peccantem, a reliqua humorum maſſa ſeparatam & ſumme alias noxiam, deſtinato conſilio ac bona intentione dirigat & eliminare intendat. Conſtat enim ulterius, quod febris inflammatoria pectoralis in diſpoſitis frequentius & ſolennius per ſudores largiores ſolvatur, qui etiam in hoc ſubjecto circa inferiores inprimis partes dubio procul ſucceſſiſſent, teſtantibus id moliminibus jam præcedentibus, eoque maxime vergentibus, tenſionibus nempe & tractionibus ſpaſticis tibiarum, niſi ægrotantis immorigerus animus obſtitiſſet, unde aliter fieri haud potuit, quin remanente materia ſeparata in humorum latifundio, hos deturparit, ac hecticodeum depaſcentem ſtatum accenderit.

In altero vero caſu duplici modo delinquebatur, primo in regiminis minus decenti obſervatione, deinde in improvida retropreſſione ſudoris conſueti pedum, unde hæreditaria diſpoſitio ad podagricos & arthriticos dolores facile excitari debuit & potuit. Nihil enim Naturam, corporis ſui conſervatricem, æque alterat, quam quando in excretione aliqua longiori duratione in conſuetudinem deducta, turbatur. Quamdiu enim ſe- & excretorii ejus motus libere ſuccedunt & continuant, tamdiu ſanitas illibata manet, ac reliquæ corporis actiones, vitales, animales & naturales, in vigore ſubſiſtunt, imo morbi in- & connati ſæpius quieſcunt.

Senſibilitas vero Naturæ eo magis exinde eluceſcit, quod nimirum ex minima etiam qualicunque cauſa externa ſtatim turbari poſſit, idque tanto facilius eveniat, ſi diſpoſitio hæreditaria morbida ac ſolidarum partium imbecillitas ſimul præſto fuerint. Non minus etiam obſervamus, quod connati morbi conſuetudinales & habituales, diu deliteſcere queant in corpore animali, inprimis quando rerum non-natura-

turalium uſus legitimus manet, ipſæque ſe- & excretiones legitime procedunt; quamprimum vero externa etiam quædam accedit cauſa, turbationem notabilem inferens, ſtatim oriuntur varii motus heterocliti, diverſi generis morbidos adfectus ſimul inducentes.

De reliquo frictiones, fotus calidi, ſicci, diſcutientes, pedum ſudorem in habitum ſucceſſu temporis redactum & jam ſuppreſſum elicientes & promoventes, hic loco optimæ erant medicinæ ac toties decantata & celebrata remedia antipodagrica in- & externa longe ſuperabant. Hinc Medicus prudens, veramque morborum originem adcuratius inveſtigans, ſubinde vili & facile parabili remedio plus ſæpe præſtare valet, quam pretioſiſſimis quibusvis panaceis & ſpecificis.

(*Battenberga Erfordiam miſſa, d. 12. Auguſt. 1744.*)

OBSERVATIO XXXIX.

DN. M. BONIF. HENR. EHRENBERGERI.

De

Deceptionibus catoptricis.

Ingens omnino deceptionum numerus in illis occurrit Optices partibus, quæ viſibilia per ſpecula & diaphana proponunt, & quidem talium maxime, quæ rerum opticarum ignaros non in admirationem ſolum rapiant, ſed & fere offenſos reddant, ut, neſcio cujus artis illicitæ ſuſpectos habeant Mathematicos. Bene conveniunt cum hiſce, quæ *Zach.* TRABERUS, *Nervi* ſui *optici Lib. II.* de ſcientia catoptrica, & in limine quidem inſcripſit: *Multa, quæ in hac,* inquit, *ſcientia ſecreta occurrunt, nonnullis incredibilia videntur; iis præſertim, qui in experientiis requiſitis minus*

exerci-

exercitati ſunt atque accuratiori, frequentiorique mentis acie in eandem perſcrutandam non intenderunt; & quidem non immerito; cum eidem opinioni etiam doctiſſimi ſubſcripſerint. Ut ipſe noſter P. SCHOTTUS *fatetur, cum dicit: nihil tam prodigioſum eſſe: quam ſpeculorum phaſmata, nihil tam arduum, quam ſincera ac perfecta ſpeculorum eorumque, quæ per ſpecula exhibentur, notitia. P.* KIRCHERUS *vero eandem in ſuo Tomo de arte magna ita deſcripſit, quod ſit recondita quædam facultas, ea ſpeculorum ope exhibendi, quæ omnem humani intellectus captum excedere videntur: & infra ſubjungit: Nonnulli, qui ſpeculorum ſubſidio quædam ſecretiora coram idiotis exhibuerunt, de infami necromantiæ crimine ſuſpecti pœnas pares luere debuerunt. De quo quidem crimine peſſimo & memet (ſunt verba* KIRCHERI,) *rudiores non ſemel proclamaverunt, quod rebus exhibitis attoniti, quid ſimile arte naturali præſtari ſibi imaginari nequiverint.* Hactenus TRABERUS ex KIRCHERO. Quæ verba licet timorem aliquibus ab hac ſcientia incutere poſſent, nos tamen tanto comitatu cincti hujus limina ingrediamur intrepide, viſuri, quænam admiranda ſpeculorum ope ſpeculanda occurrant. Statim autem deprehendemus, omnia iſta, quæ ſub adſpectum venient, (quia nobis rem eo loco conſpiciendam non ſiſtunt, quo eſt, nec iisdem circumſtantiis omnibus,) meras eſſe deceptiones catoptricas ac ſpeculorum luſus. Utut enim homines adulti per ſpecula vulgaria decipi ſe haud facile credant: meminerint tamen procul dubio primorum ætatis ſuæ annorum, quibus a gerula ante ſpeculum locati, puerulum ſibi ſimilem a tergo ſpeculi fruſtra quæſiverunt. Tali modo animalia bruta, præſertim canicularum ac felium catuli, ſpeculis propoſitis luduntur, qui ſimili modo poſt ſpeculum ſui ſimiles excipere unguiculis ſuis ſtudent, ac fruſtrantur identidem. Quodſi vero alius, quam vulgaris, formæ ſpecula adhibe-

hibemus, nullum relinquetur dubium, mera per iſta exhiberi phanthaſmata, ac deceptiones. Hinc operæ pretium eſſe puto, ut ordine proceſſuri ſingula ſpeculorum genera ſeorſim inſpiciamus & examinemus.

Supervacaneum equidem eſſe exiſtimo, multis verbis præmittere, quid ſpeculum ſit, cum neminem noſtrum lateat, per id intelligi corpus politum & ſimul opacum, aut quacunque ratione terminatum, ne radios transmittat, ſed juſto ordine, hoc eſt ita reflectat, ut angulo incidentiæ conveniat angulus reflexionis, & ſic reflexione facta eo loco objecti alicujus imaginem exhibeat, quem radius perpendicularis cum aliis radiis obliquis ex uno puncto objecti illapſis & in ſpeculo ad oculum repulſis retroque ductis concurrens, determinat. Atque hæc una ac ſola lex eſt, ad quam omnis demonſtratio catoptrica ſe accommodet neceſſe eſt, quam varia etiam ſint ſpecula, cum ratione materiæ, tum formæ. Ad materiam enim quod attinet, ex deſcriptione jam liquet, omnia corpora polituram, ſive arte, ſive natura habentia, & ſimul terminata, ſpeculum eſſe poſſe. Omnium primum ſpeculorum hominibus primis, ſimplici vitæ genere contentis, aquam fuiſſe, præſertim ſtagnantem, facile nobis perſuademus. Corydonis illius paſtoris ſimplicis ſpeculum fuiſſe aquam, ex VIRGILIO diſcimus, canente *Eclog. II. 25.*

Nec ſum adeo informis, nuper me in littore vidi.

FERDINANDI tertii Imperatoris Romani Opticum, MATTMULLERUM ex glacie paraſſe ſpeculum hocque mira præſtitiſſe, legimus in *Ge.* PASCHII *Inventis nov-antiquis cap. VII. p. 726.* Et inter ornamenta domeſtica, quibus menſula exornari ſolet, quæque hieme proxima frigidiſſima anno 1739. & 1740. ex glacie parare juſſit Nobilis quidam Ruſſicus Petroburgi, ſpecula quoque fuiſſe, nullum eſt dubium. Lignum quoque durioris generis, ac lapides, præſertim

ſertim pretioſos, polituram admittere, imo ſtramen quoque firmiter ac probe contextum, cui vernix aut gypſus ſuperillinitur, ſuperinductis foliis argenteis vel aureis, non reſpuere polituram, teſtatur experientia. Metalla tamen, inprimis æs caldarium, cryſtallum item, ac potiſſimum vitrum, primas tenere, uſus frequentior probat. Atque hæc pro colorum diverſitate aut terminatione, pallidam, luridam, albicantem, flavam, ſubnigram, rubicundam, ſubcœruleam, gignunt aut mentiuntur imaginem, & ſic deceptionis culpa liberari haud poſſunt. Hic ſubit mentem, me olim ex Præceptore meo, *b.* HAMBERGERO, non ſemel audiviſſe, judæum quendam Pragenſem quondam ita per ſpeculum fuiſſe deceptum, ut crediediſſet, ſe morbo inſanabili adfectum, ac aliquot diebus poſt diem obiiſſe ſupremum.

Quemadmodum autem materia ſpeculorum varia eſt, variisque deceptionibus anſam præbet: ita quoque eorum forma diverſa, diverſas dare ſolet rerum imagines conſpiciendas. Aliter enim comparata eſt ſpecies in concavis, aliter ſphærice convexis, aliter in cylindraceis, aliter in conicis, aliter in alius figuræ ſpeculis, quam planæ. Ut igitur latiſſimus nobis pateat campus de variis deceptionibus dicendi, qui tamen in multo majus excreſcit ſpatium, ſi aut diverſum eorum ſitum & objecti locum, aut etiam conjunctionem duorum pluriumve ſpeculorum ſumus conſideraturi.

De *ſpeculo plano* ut initium faciamus communior ejus uſus jubet; cujus, quod ſua repræſentatione decipiat, jam ſupra meminimus. Quod ſi tamen nullo, aut ſaltem non obſcuriore, vel non nimium albo colore præditum ſit; vel decipiendo docet, ac veritatem monſtrat: adeo, ut Philoſophi ſapientiores non modo, ſed & ipſæ ſacræ literæ ejus modi ſpecula crebro inſpicere commendent, non quidem ſuperbiæ, ſed virtutis excitandæ ac promovendæ cauſa. Eadem enim magnitudine, figura ac forma rerum monſtrant

imagi-

imagines. Latera tamen imaginum invertunt, & dextram manum faciunt ſiniſtram. Sique ſpeculum non perpendiculare, ſed inflexum aut reflexum fuerit ad horizontem, etiam imago vel inclinata, vel reclinata videbitur. Atque huc etiam referri ſolent horologia, quorum formam aliquam deſcribit ZAHNIUS, *pag. 724.* quod genus ſimul eſt illuſorium: niſi enim ex debito puncto illud inſpicias, non horologium, ſed ſtulti illudentis imaginem videbis. Sed vero etiam corpora ante ſpeculum erecta exhibentur plane ſubverſa, ſi ſpeculum cum horizonte noſtro ſitum habeat parallelum, ſive ſit ad pedes proſtratum, ſive ſupra caput eodem, at inverſo ſitu, elevatum ac firmatum. Atque huc ſpectat problema, ope ſpeculi plani in terra horizonti παραλλήλως proſtrati, altitudinem perpendicularem inferius acceſſam vel inacceſſam dimetiendi; quod ad primum hoc in problemate attinet, de diſtantia acceſſa, id ſatis clare deſcribitur in *Tabulis Sturmianis Geometriæ Tab. II. fig. 13.* & *Elementis Wolffianis Catoptricæ Probl. V. ſive* §. *64. pag. 149.* & *Tab. I. fig. 6.* Secundum autem, quod a nemine, quod ſciam, hactenus monſtratum eſt, cum duo ſpecula plana ſimul requirat, monſtrabitur paullo infra commodius.

Plura autem adhuc ſpeculum planum, pro diverſo poſitu, habet commoda, ſcilicet: res disjunctas, utpote tabulas ſtriatas, ſiſtere poteſt conjunctas quam lepidiſſime, & ita quidem, ut quam tabulæ ſtriatæ ante ſpeculum monſtrant picturam, eandem in ſpeculo ſcriptura notatam, vel etiam plane aliam figuram depictam repræſentet. Vid. HARSDORFFER, *P. III. pag. 256.* Sic quoque ſpeculum anamorphoſes opticas, ſive figuras in ſuperficie complanata per longiſſimum ſpatium diſtractas, in debita forma reddit conſpiciendas: Detegit etiam ea ſæpius per imagines, quorum radii ad oculum directe non tendunt, imo ea interdum, quæ a tergo noſtro ſunt poſita.

Memini

Memini hic exercitati cujusdam in arte bene diſplodendorum ſclopetorum, qui ſpeculi auxilio ſclopetum humero ſuo retro impoſitum averſus diſplodebat, ita, ut rariſſime a ſcopo aberraret globulus emiſſus. Huc ſpectare quoque videtur certamen, inter jaculatores inſtitui ſolitum, quo trans lacum aut piſcinam, aëre placido, collineantes, ad orbi e regione in littore poſiti imaginem, infra littus in aqua, tanquam ſpeculo, conſpicuam, ejusque punctum medium, ipſum ac verum orbis centrum, per globi reflexionem in aqua factam, attingere ſæpe ac perforare ſolent exercitati.

Armariola quoque, argyrothecæ, ac rerum rariſſimarum pretioſiſſimarumque repoſitoria ſpeculis planis intus veſtiri juvat, & ad ornamenti facit augmentum. Pictoriæ quoque arti inſervire poſſe, arcula delineatoria ZAHNII docet, in qua quæcunque figuræ & imagines chartaceæ facillime & exactiſſime delineari poſſunt.

Quodſi tamen duo ſimul plana adhibeas ſpecula, admiranda ſe prodent conſpicienda. Non enim fœminis ſolum ſe exornaturis conducit par ſpeculorum, ut ſimul frontem & occipitium cognoſcere poſſint, ſed quam plurimis aliis ſpectaculis, tam ludicris, quam utilibus inſervit. In magnum numerum & per longiſſimam ſeriem augetur candelæ lux, aut alia quæcunque res luminoſa, duobus ſpeculis fere parallelis interpoſita. Quorum rationem demonſtrat TRABERUS, *Catoptricæ Lib. II. Cap. VI. p. 105.*

Polemoſcopii ſimplicis quidem, at maximæ utilitatis, anima quaſi & pars potior eſt duorum ſpeculorum diſpoſitio ad angulum 45. graduum tubo bene adcommodata. Nec tacendum plane eſt artificium illud curioſum, quod ædificio ad obliquam aliquam plateam longiorem ſito, aptari poteſt, ubi extra feneſtram arcula quædam adparatur, per quam absque emiſſione capitis nihilominus tamen illa, quæ ad latus utrumque in platea longius protenſa, quam etiam,

quæ infra feneſtram ſub ipſa arcula contingunt, curioſe inſpectari & accurate obſervari poſſunt. ZAHNIUS *pag. 755.* ſed ita, ut in aliam plagam referantur ab ignaris.

Porro etiam duo ſpecula æqualia, ita aptata, ut inſtar libri aperiri & claudi poſſint, magno ſunt uſui, partim ad rerum imagines multiplicandas, partim ad reſtaurandas rerum imperfectarum ſpecies, partim etiam ad perfectarum rerum ſpecies imperfectas repræſentandas, ut, ſi quartam partem formæ minoris ædificii aut horti aliusve rei interponas duobus ſpeculis erectis, & ad angulum rectum ad ſe invicem collocatis, integra tibi adpareat ædificii aut horti forma. Si claudes iſta ſpecula ad quintam circuli partem, ſive ſeptuaginta duos gradus, & interpones triangulum, adquires hoc cum imaginibus ſuis reflexis formam pentagoni regularis. Sin autem duorum ſpeculorum apertura continuerit ſexaginta gradus, ſive ſextam circuli partem, tum quidquid interjectum fuerit, id ſextuplo auctum videbitur, & ſi fortalitii ſexangularis formæ minoris partem applicueris, habebis totum & regularem fortalitii formam, eamque ſexangularem. Similiter, ſi ad partem ſeptimam, octavam, &c. alicujus circuli applicabis ſpecula tua, quidquid interpoſueris, id ſepties, octies &c. adparebit; ſique muniminis ſeptangularis aut octangularis pars ſeptima aut octava formæ minoris interjicitur, ſpecula iſta totam muniminis regularis ſpeciem exhibent.

Quorum rationem facile intelliget, qui reflexionis leges probe attendet, aut TRABERI demonſtrationes (*pag. 90. ſeqq.*) in ſubſidium vocabit. Hucque referri meretur ſcrinium quoddam a ZAHNIO inventum, ac *in Oculo artificiali pag. 742.* deſcriptum, in quo, quoties aperitur, res aliæ in eo collocatæ monſtrari poſſunt.

Attamen etiam ejusmodi par ſpeculorum, parumper ad ſe inclinatorum faciem inſpicientis repræſentabit vel ſine naſo,

vel

vel naſo & ore duplici tribusque oculis, prout magis aut minus ſpecula a recta apertura declinabunt. Vid. TRABERI *Catoptricam, Cap. X.*

Quodſi horum ſpeculorum unum impoſuerimus menſæ, cum horizonte παραλλήλως, alterum autem erigamus: tum faciem noſtram ſemel erectam ac bis inverſam licebit contemplari. Sin vero inclinemus erectum ſpeculum, inferiore immoto manente, & propius inſpiciamus, quatuor cernemus imagines alternatim inverſas & erectas.

Convertamus autem hæc duo ſpecula ita, ut terga illorum ad ſe inclinentur, habeaturque ſpeculum priſmaticum erectum: tunc varia oculis ſiſtere poteris ſpectatu jucundiſſima. Exempli cauſſa, alteri ſpeculo adponas equum ſellarium in charta ſpiſſiori depictum ac circumſectum, alteri depictum ac circumſectum equitem, & utroque oculo utrumque ſimul inſpiciens ſpeculum, videbis equitem equo inſidentem. Aut ſi hinc ponas matris ſedentis picturam, illinc infantis; adparebit ex ſuo loco mater infantem in ſinu fovens. Et quæ ſunt harum rerum ſimilium quamplurimæ.

Huc etiam referre poſſumus *anamorphoſes catoptricas*, quibus per ſpecula priſmatica, vel pyramidalia, disjunctas & in diverſas partes diſtractas imagines conjungimus, ut integræ adpareant. De quibus in *Tabulis* STURMIANIS agitur, hinc illis hic ſuperſedere lubeat. Potius ad ſpecula plana revertamur, nam horum binorum adhuc unus reſtat uſus in invenienda altitudine perpendiculari inacceſſa, v. g. turris AB, (Fig. 5. Tab. I.) quam inter & ſtationis loca intercedat foſſa AC, ſtationes autem duæ ſint in linea horizontali ACFDH. Ponatur ergo ſpeculum unum planum C. in horizonte, & infigatur baculus EF. ad perpendiculum ita, ut ex E in puncto ſpeculi C, (bene notando) videatur altitudo B. Deinde in remotiori diſtantia ab A ponatur alterum ſpeculum D in horizonte eodem, & videatur, ubi baculus

alius eadem altitudine perpendiculari præditus, GH, ſit infigendus, itidem ad perpendiculum, ex cujus apice in eadem altitudine cum E cernatur in ſpeculo D ſuperior turris pars B. Tum ſumitur menſura CF, DH & CD, item EF aut GH; ſubtrahitur CF ex DH, ut habeatur IG. (nam KI eſt = CF, quemadmodum KG = DH.) Hinc infertur: IG: KD = CD: AB. Id quod exinde patet: quod △ IDG eſt ſimile △ CBD: Nam angulus IGD = alterno GDH, eſt æqualis angulo incidentiæ BDC, angulus autem DIG eſt = angulo BCD: cum △ KDI = △ FEC; ergo angulus ECF = ACB = DIK; ergo contiguus DIG = BCD &c.

Hactenus de binis ſpeculis planis egimus. Quodſi vero plura, v. g. tria, quatuor, quinque, ſex, octo, imo ad duodecim usque diſponas, & diſponas ita quidem, ut introrſum ſpectantia figuram regularem claudant ac definiant; tanta rei in medio poſitæ e. g. horti, multiplicatio oculis ſpectatoris ſubjicietur, ut is finem ac terminum viſu adſequi haud poſſit, ex quocunque etiam latere, per foramen ſupra ſpeculum factum, introſpiciat. Tempus nos deficeret, ſi omnes variationes ac diſpoſitiones ſpeculorum pariter & arearum interjacentium ſigillatim deſcribere vellemus. Sufficiat jam nobis, deſcriptionem aliquot exemplorum ejusmodi inveniri in ZAHNIO; TRABERO, HARSDöRFERO, aliisve Opticorum voluminibus, ad quos harum rerum curioſos ablegamus. Omnium vero maxime arrideat conclave catoptricum, quod ZAHNIUS *opus regium maximæ admirationis & æſtimationis* adpellare non dubitat. Hoc eſt vel quadrangulare, vel ſexangulare circumcirca ſpeculis a pavimento usque erectis longitudinem hominis ſuperantibus, & tam latis clauſum, ut tria vel quatuor totum parietem in longitudinem veſtiant. Qualia hodie perficiuntur *Lobræ*, oppidulo quodam Franconiæ, ad Mœnum, in archidiœceſi Moguntina & alibi quoque.

Lumen autem intromittitur per feneſtras aut tabulas vitreas ſupra ſpecula aptatas. *Conclave hoc catoptricum* (ſunt verba ZAHNII) *ita apparatum, dici non poteſt, quam admirationem & æſtimationem omnibus ſpectatoribus parere poſſit. Cum enim ex ambitu circa illud videatur in ſe non eſſe adeo magnum; ad ingreſſum tamen ejus ſtatim cum ſtupore immenſum plane & pene infinitæ amplitudinis eſſe videtur: & quaqua verſus oculus dirigitur, videt ſpectator non ſe tantum, ſed & quoscunque comites, nunc prope, nunc longe multiplicitér & difformiter ab omni latere cum omnibus motibus, geſtibus & actionibus; nec non admirari ſatis non valet, quomodo omnia in pulchro ordine cum multiplici varietate ibidem ordinata ſint, ut proinde conclave tale catoptricum revera magicum, regiæ opus magnificentiæ, ſuperbiæ theatrum, Dedali magiſterium, Midæ gazophylacium dici poſſet.*

A ſpeculis planis deveniendum eſt ad *convexa*, quæ ſunt vel integræ ſphæræ vitreæ, intus mixtura quadam metallorum liquatorum cum mercurio terminatæ, vel partes tantum ſphæræ alicujus reſectæ. Atque hæc ſpecula ea gaudent proprietate, ut omnem quidem imaginem intra ſe & erectam, (erecto nimirum ſpeculo) at minori diſtantia, quam res ante illud abeſt, monſtrent; minore etiam magnitudine, & tanto quidem minore, quo remotior eſt res a ſpeculo; ſimul etiam ea, quæ ad amuſſim recta proponuntur, in ſpeculo hoc extrorſum curvata adparent, hinc imaginem rei non reddunt exacte, adeoque, quin decipiant, non eſt dubium. Nihilominus tamen eorum apud vulgus uſus non eſt infrequens, imprimis ſegmentorum ſphæræ minorum, ob vile pretium, tametſi os prominulum monſtrent. Neque vero etiam alium uſum reſpuunt. Perilluſtrem Dominum, *Chriſtophorum Fridericum ab* IMHOF, Patricium Norimbergenſem, inſtrumentum catoptrico-magicum ad fallendas &

decipiendas aviculas ex pluribus minoribus ſpeculis convexis compoſuiſſe teſtatur ZAHNIUS, ſimulque conſtructionem & uſum illius inſtrumenti indicat *).

Integræ quoque ſphæræ vitreæ paullo majores ac intrinſecus terminatæ, conclavia, ubi ſuſpenſæ ſunt, non ſolum exornant, ſed omnium quoque rerum in conclavi imagines colligunt. Ceterum eadem convexa ſpecula, ſive ſphæras, adhuc alii expeditioni uſui eſſe, docet BEYERLINGIUS ** his verbis: *De Tygride memoratur, quod cum ſit velociſſimum animal, viva adhuc atque adulta capi nequeat, ſed catulus abſente matre ab equite velociſſimo quandoque ſurripitur. Quod dum ſuperveniens mater agnoſcit, rapidiſſimo curſu raptorem inſequitur. Ille vero certo ſciens, ſe non curſu, ſed arte tantum poſſe velocis belluæ pernicitatem evadere, vitreum orbem in ſpeculi morem confectum, dilabi ſinit; in quem incidens tygris ſeque in eo admirabunda contemplans, remoransque, dum catulum ſuum ſe videre exiſtimat, a fugiente interim raptore dilabitur, ac omni ſpe ſua fruſtratur.*

Præterea quoque binorum ſpeculorum convexorum conjunctio ac collocatio varia eo modo facta, quo de planis ſupra meminimus, varia etiam, aſt minori & ab ea diverſa magnitudine exhibebit ſpectacula.

Et complurium ejusmodi ſpeculorum in orbem planum diſpoſitio tot ſimul monſtrat unius rei imagines, quot ſunt ſpecula. Id quod etiam ſpeculi fracti ſuo modo faciunt fragmenta. Quin & fracta quoque ſpecula plana idem fere præſtant, ſi fragmenta eorum ſitum ſuum in eodem plano non retineant.

Speculorum convexorum complurium in uno orbe aut polygono potius collocatorum diſpoſitio, ita ut politas ſibi facies

*) *Fund. III. Synt. V. C. VI. Artif. XVI. p. 758. ſeq.*
** *ſub lit. S. pag. 299. A.*

facies opponant, lucem aut corpus aliquod luminoſum interpoſitum auget quidem, & multiplicat ejus imaginem, non tamen tanto cum augmento, quanto ſpecula plana id præſtant, ſemper enim minor minorque gignitur & reflectitur imago, quæ tandem evaneſcere videtur.

Specula ſphærice convexa excipiant *ſphærice concava*, quæ & *cauſtica* adpellantur, ob virtutem per radios ſolis illapſos urendi, quippe quæ illis, majori potiſſimum amplitudine præditis, convenit. De qua tamen jam dicere ſuperſedeo, & id potius agendum mihi eſſe exiſtimo, ut monſtrem, etiam hujus generis ſpecula, & quidem imaginibus ſuis, quam maxime ignaros decipere, imo ſpectra exhibere introſpicientibus.

Spectator quidem intra focum ſive punctum, quod radios ſolis illapſos colligit, conſtitutus, ſuam imaginem cernit, eamque erectam, in majori tamen poſt ſpeculum diſtantia, quam ille ante ſpeculum abeſt, at gigantea magnitudine auctam, ut obſtupeſcens faciem ſuam adſpiciat, præſertim, ſi ea ſit cicatricibus variolarum notata; & tanto quidem majorem videbit, quo brevior eſt focus: quoque longius is a ſpeculo recedit, eo magis adhuc creſcit faciei ſpecies, donec in ipſo foco conſtitutus eam plane evaneſcere videat. Quodſi autem extra focum ſe removerit, tum deprehendet, imaginem ſuam ſe plane invertiſſe; quæ etiam, quo longius retrogreditur, eo minore ſpecie adparet. Atque hæc ipſa, quam cernit, ſpecies non amplius eſt a tergo ſpeculi, ſed in libero aëre ante ſpeculum conſtituta, id quod facile experiri poteſt ſpectator, dummodo digitum aut manum ſpeculum verſus extendat: tunc enim ſpecies iſta ante ſpeculum formata digitum aut manum exporriget ac dabit obverſam, quam tamen nemo alius, niſi ipſe introſpiciens, cernit; ſimili prorſus ratione, qua ſpectra adparere non omnibus, ſed huic aut iſti ſolum, dicuntur.

Specula

Specula ſphæricacava excipiunt nunc *cava cylindracea*, quæ fere idem quoque faciunt, quod ſphærice concava, ea tamen differentia, ut altitudo imaginis intra focum introſpicientis debitam quidem longitudinem, aſt latitudinem inſigniter ſolum auctam referat, hincque monſtroſam figuram, latiſſimum nimirum naſum, ampliſſimas malas, os patulum diſtractumque & oculos oblongos maximeque invicem diſtantes gignat. E contrario autem, ſi oblique tale inſpicias ſpeculum, longiſſime & naſutum ac labioſum videbis.

Speculum vero cylindraceum & ſimul convexum erectumque inſpiciens gracilem admodum te obſervabis; contra, obliquam tibi anteponens omnes faciei partes cernes depreſſas, & quoad longitudinem contractas. In acutam quoque frontem terminatam faciem ſimulque coarctatam videbit ſpectator, qui ſpeculum conicum erectum intuebitur: at qui tale inverſum inſpiciet, is latiorem paullo frontem & mentum acuminatum obſervabit. Tandem transverſum introſpiciens inæqualiter contractam faciei figuram deprehendet. Quodſi tandem ſpeculum concavum partim, partim convexum nobis proponamus ante oculos, inæqualiter diſtortam & contractam cernamus faciem, neceſſe eſt. Atque hæc non ficta eſſe & commenta, ſed omnia ita ſe habere, non experientia modo comprobat, ſed etiam demonſtrationes catoptricæ, nullo relicto dubio, confirmant.

De ſpeculis cylindrice circum circa concavis nihil adhuc adduximus; cum tamen mirum reflexionis effectum ex illis haberi poſſe *Zach.* TRABERUS adfirmet, ac demonſtret in *Catoptricæ ſuæ Cap. XVII.* Non poſſum igitur facere, quin pauca de hoc ex illo excerpta & in compendium redacta hic communicem. Inter reliquos ſcilicet effectus ab auctoribus diverſis celebratur idolum in aëre repræſentatum, quod e ſpeculo cylindraceo concavo per reflexionem generari ſolet. Si enim ad ejus fundum virunculus jacens

collocetur, videbitur ille extra ſpeculum in aëre medio elevatus, ſimili ferme modo, quo de ſpeculo ſphærice concavo dictum eſt; cum iſta tamen differentia, quod ibi omnes radii e ſuperficie cava circulari reflexi in uno puncto ſeu centro ejusdem ſecentur, ac in cylindraceo, lateralium ſolummodo partium circuli ſectio ſpecierum permutationem efficiat; rectam autem axis lineam radii concernentes absque ſectione, ſpeculi plani naturam induant. Quare dextrum latus virunculi in ſpecie reflexa ſiniſtrum obtinebit, & viciſſim ſiniſtra pars, dextram; altitudo vero ſpeciei proprietatem ſpeculi plani ſequetur. Hoc autem inſuper addi meretur, quod tale ſpeculum introſpicientibus e regione oppoſita, ſpecies iſta virunculi ſit adparitura plane inverſa. Hincque ſi duo ſigilla aut idola exſculpta diverſi ſexus ſibi oppoſita imponerentur ſpeculo, ſpectatores ex oppoſito inſpicientes, diverſas quoque ſpecies in aëre eſſent viſuri, magna certe cum admiratione.

Deinde, quoniam in antecedentibus imagines noſtras in ſpeculis tum ſphærice vel cylindrice concavis, tum convexis ſphærice vel cylindrice, tum etiam conice formatis, quin & mixtis formis iisque ſigillatim adhibitis, intuiti ultimo ſumus, non ſine admiratione, horum autem binorum conjunctio non minorem excitare poſſet formæ noſtræ introſpicientium diverſitatem; de his quoque pauca hic adferemus. Scilicet, jungemus ſpeculum planum cum concavo majoris ſphæræ, cujus intra focum facies introſpicientis conſtituatur, ſpecula autem inſtar libri claudantur, & videbimus primo duas ſpecies, unam, in plano, juſtam; alteram, in concavo, ampliorem multo. Propius vero propiusque admotis ſpeculis, utrinque majores adhuc majoresque prodibunt erectæ ſpecies, & alternatim converſæ, id quod mota facie ſua dextrorſum, ſiniſtrorſum, in ſpeciebus ſibi adparentibus facile obſervare poterit ſpectator. Erecto autem

ſpeculo plano hoc horizonti παραλλήλως jacente, videbis in ſpeculo concavo inferiore tuam imaginem tam erectam, quam inverſam, & utramque enormiter magnam, ſimulque in plano erecto etiam inverſam, eoque modo auctam magnitudine: & cum hoc paullo magis inclinaveris, prodibit quoque imago tua erecta & ſimiliter aucta. Sic & ex humiliore loco intuens ſpeculum planum erectum, ad normam adhuc circiter conſtituto concavo, erectam tuam faciem juſta magnitudine partim, partim inverſam majoremque conſpicies, ac naſum inverſum magnumque cum ore recte diſpoſito conjunges, vel etiam frontem inverſam & extenſam mento annexam videbis. Quodſi vero planum erectum ſpeculum paullo reclinaveris, adparebit tibi utrimque imago erecta, & in plano quidem magnitudine conſueta, in concavo autem aucta. Jam vero erigamus ſpeculum utrumque, & paululum ad ſe invicem inclinemus, tum dimidiam faciei imaginem utrimque cernemus; in altero nimirum plano magnitudinem ordinariam, in altero autem auctam. Juvabit autem magis horum aliorumve phænomenorum exploratorem, ſi ſpecula deſtituantur marginibus, quo propius ad ſe adplicari poſſint.

Inclinatis vero adhuc magis ad ſe invicem ſpeculis, integræ utrimque adparent facies, hinc conſueta, illinc dilatata magnitudine. At inclinatione continuata eouſque, donec in utroque ſpeculo alterius ſpeculi ſpeciem conſpiciamus, & in hoc utrimque repræſentatas formas, tum non amplius in plano conſueta ſe exhibebit magnitudo, ſed pariter, ut antea in concavo, videbitur aucta. Contra in concavo tunc adhuc major ſpeciei extenſio conſpicua eſt, quia ſpecies major ex concavo in planum ſpeculum incidens eandem ibidem magnitudinem auctam producit. At iterum ex hoc in concavum lapſa denuo augeri neceſſe habet: ac, ſi contingeret, ut fere παραλλήλως ſibi opponerentur ſpecula hæc,

ſemper

ſemper major majorque magnitudo cerneretur, donec tandem imagines extra focum ſpeculorum oppoſitorum locatæ inverterentur. Id quod, ſi quis fortaſſe in dubium vocaverit, candela, ſpeculis hiſce interpoſita, experiri poterit quam facillime.

Quodſi autem placuerit plano ſpeculo concavum minoris ſphæræ, ſeu brevioris foci, & quidem ex lente vitrea plano-convexa paratum, cujus planities ſit terminata, adplicare, & ita quidem, ut libri inſtar ſemi-aperti ante oculos ſiſtantur, facies autem tua extra focum ſpeculi concavi conſtituatur *), non minus mirabilia offendes. Principio enim duas in concavo obſervabis faciei tuæ repræſentationes, alteram ſubobſcuram, minorem juſto & erectam, alteram claram inverſamque, ſi extra focum conſtitutus fueris, & quidem vel majorem, vel minorem quoque, prout longius receſſeris. Illam gignet radiorum aliquot a facie tua in lentis vitreæ convexitatem, præſertim oblique illapſorum, ibi facta reflexio, pariter ut in ſpeculo convexo fieri ſolet; hanc autem inverſam ſuperficies ſpeculi hujus interior plana ac terminata producit, juxta leges catoptrico-dioptricas, a me jam ante hac in programmate quodam indicatas †). Quodſi tamen intra focum te conſtituas, duas facies erectas, ſub obſcuram juſtoque minorem ac maximam eamque claram, quæ a terminatione pendet, videbis.

Quo magis autem hæc ſpecula claudes extra focum concavi remotus, eo minores faciei inverſæ formas prodire

 cernes

*) Specula hæcce, quia idem fere præſtant, quod ſpecula metallica concava, liceat etiam *concava* vocare, etſi ex lente vitrea plano-convexa comparata ſint: convexitas enim in ſuperficie poſtica terminata introrſum incurvata & concava apparet.

†) Vid. *Progr. anno 1738. in natal. Gymn.* editum. Et *Acta Phyſ. Med. Acad. Caſar. Leop. Car. N. C. Vol. VI. obſ. 32.*

cernes ſucceſſive decreſcentes: quod ſpeculum concavum res extra centrum collocatas non ſolum minori forma & inverſa quidem exhibet, (id quod catoptrica demonſtratione, omnibus cognita nititur,) ſed & ſpeculum planum, eodem ordine illapſas eadem magnitudine reddit, qua easdem excepit in concavo.

Cum vero faculæ imagines exhibeant clariores, eadem ſpecula ſibi invicem feci parallela circiter, ac interpoſui faculam: tumque introſpiciens ſpeculum planum, proximam quidem in eo vidi candelæ imaginem erectam ſed ſequens primum luminare magnopere auctum & inverſum, & poſt hoc ſeriem complurium luminarium inverſorum, & magnitudine & claritate ſucceſſive decreſcentium conſpexi: ſimul tamen etiam aliam ſeriem luminarium erectorum & minorum obſcuriorumque; quorum illa, inverſa ſcilicet luminaria, ſuperficiei lentis utrique & maxime planæ terminatæ debentur, hæc autem erecta, ſoli ſuperficiei anteriori convexæ una cum plano ſpeculo tribuenda eſſe, leges volunt reflexionum. Ratio autem, cur imaginum harum ſeries obſcurior multo ſit illa, hæc eſt, quod pauciores modo radii in ſuperficie anteriori convexa repelluntur, adeoque non niſi debilem gignere poſſunt imaginem.

Quodſi ſpeculi plani loco conjungamus convexum cum concavo, eadem fere exhibebuntur phænomena, quæ concavum cum plano efficit, hac ſolum diverſitate, quod imaginum magnitudo paullo minor adpareat: cujus cauſſam ſolum convexum ſuſtinet ſpeculum. Sic &, ſi ſpecula bina jungamus, quorum alterum eſt cylindrico-convexum, alterum concavum & majoris foci, ac illud quidem ſecundum longitudinem adplicetur huic tanquam liber ſemiapertus & ſucceſſive claudendus, tunc facies tua propius ſpeculum cylindrico-convexum inſpicientis exhibebitur quidem in forma gracili & juſta longitudine, ſed altera ejusdem ſpeculi imago

go gracilis licet etiam, longior tamen juſto & latior prima ſpecie, item etiam in ſpeculo concavo eadem ſpecies, qualis in altero ſpeculo ſecunda eſt, adparet: ſecunda autem imago hujus adhuc multo amplior, & ſic porro aucta magnitudine exhibebitur.

At vero ſpeculum cylindraceum transverſum ad concavum adplicans, videbis faciem tuam depreſſam; at quo plures ad ſe ſpecula movendo ſpecies prodibunt, eo ampliores, nunquam tamen ſine depreſſa forma. Quodſi denique alterum ſpeculum, v. g. cylindrico - concavum, erectum ſiſtas & alterum in plano horizontali jacere ſinas, videbis in erecto ſpeculum alterum contractum, & in eo faciem tuam inverſam & gracilem. Sique manum tuam extendes ad ſpeculum concavum, exporrigi videbis manum adverſam. Id quod etiam fere continget, ſi ſpeculum concavum erigatur, & cylindrico-convexum ſitu jaceat horizontali.

Quodſi loco ſpeculi concavi majoris foci, ſpeculum ſumas foci brevioris, tunc in ſpeculo cylindrico erecto concavum tuum videbis & in eo faciem tuam erectam, ſed ita difformem, ut mentum & os multo majora, quam reliquæ faciei partes, adpareant.

Qui pluribus ejusmodi ſpectaculis animum ſuum harum rerum curioſum alere ſatagit, is diverſarum ſpecula formarum ſibi comparet, & ad ſe invicem adplicatis binis ſive ſuam ipſius faciem, ſive candelam ardentem interpoſitam, vel propius, vel remotius poſitas obſervet, & videbit, multa adhuc reſtare a me nondum commemorata. Sufficiat adduxiſſe jam potiora, viamque præiviſſe longius progreſſuris. Hic enim ſola non videtur ſufficere theoria, ac de radiorum illapſu, repulſu ac projectu cognitio: ſed ipſa inſpectio, ſpeculorumque variorum varia ad ſe invicem ordinatio ac ſitus, ſub diverſis loci circumſtantiis. Hoc eſt, experiundum eſt, ac deinde videndum ex ipſis principiis

catoptricis dioptricisque, qua ratione radiorum lapſus ac via hoc iſtudve phænomenon producat.

Non omnibus autem licet adire Corinthum. Sumtus ſæpe deſunt id conantibus: opus potius eſt publicis alendum impenſis, non privatis. Interim quantus eſt cuique ſpeculorum adparatus, tantum ut experiatur ſtudendum ipſi eſt. Experientia multarum rerum & cognitionum dicitur magiſtra, idque nec immerito.

(*Coburgo Erfordiam miſſa d. 10. Septembr. 1744.*)

OBSERVATIO XL.

DN. D. JOANN. ADAMI RAYMANNI.

De

Lochiorum abſoluta neceſſitate & emanentium ſalutari terminatione.

Si ex purgamentorum uteri libero & liberali, aut difficili & parciori fluxu, auguria de ſalute & diſcrimine puerperarum certa ſatis capimus, Medicisque pericula, pro celeriori a partu, aut graviori eorundem defectu increbeſcere exploratum ſit, utique hinc tam de abſoluta fere eorundem neceſſitate, quam de præcipiti magis pernicie, ſi prorſus emanſerint, facile convincimur. Pullulantia vero hinc mala is demum condigne trutinare & æſtimare ſciet, qui naturæ ordine, in uteros prægnantium corrivari ſolitam humorum ubertatem, perſpectum habet. Prædivitem autem hanc eſſe, præter autopſiam, ex eo colligimus, quod ſanguis a toto corpore ſenſim in horum uteros deferatur, & velut in orbem, id, quod in uteris eſt circumſiſtens, augeat, juxta verba HIPPOCRATIS *de morbis mulier. pag. 600.* Qua quidem ſententia, etſi incertum ſit, an unquam uterum humanum

num fœtu onuſtum conſpexerit, veram nobis augmenti depinxit imaginem. Poſtquam enim jactis in uterum, tanquam terram fertilem, radicibus, ſurgens ovuli germen nutrimentum hinc ſorbere ſuſcipit, eundemque mole intumeſcens, eo fere mechaniſmo, quo exiguus pullulantis nuclei amygdalarum aut perſicorum apex, oſſa, vix malleo cedentia, effringit, plus ultra diſtendit, confluxu perenni, per intertextos fibroſæ ejusdem compagi anfractuoſos arteriarum canales, uberior, quam ante, fluidi vitalis in eundem congeritur copia, qui, dum expanſioni uterinæ ſe ſe accommodare ſolent, hac increbeſcente, magis magisque explicantur, & rectilinei evadunt, ſicque augeſcente ſimul diametro, liberiorem & patulam viam adfluentibus conciliant humoribus, quibus minima interſtitia fibrarum penetrantibus, eademque alluvie ſua explentibus, compages uteri alias compacta èmollitur, pulpoſiorque & ſpongiæ inſtar, undiquaque pervia redditur, ita, ut tota ejus ſubſtantia cavernoſa & ſinuoſa evadat, continuumque quaſi tortuoſum ac celluloſum canalem, cruore in omnes dimenſiones turgidum, repræſentet. Inde ergo largo penu, non ſolum uteri inquilinus debitam ſuam portionem in dies recipit, ſed ipſe etiam uterus propter intermediam hanc fluidorum abundantiam, inſimul neceſſariam, pro ratione fœtus proficientis, diſtenſionem absque extenuatione ſui corporis, ſibique congenitæ craſſitudinis quoad longitudinem conſumptione, ſubire, intemeratamque ita eandem fere, quam virgineus olim habuit, craſſitiem, retinere poteſt.

Et hoc ipſo artificio proſpectum eſt tam utero, ne tenerior exiſtens ſub parturitionis durioribus contentionibus medius rumpatur, irritoque partu, quod contigiſſe ipſi recordamur, in abdomen dehiſcat, & calcitronis ſui impetu, abortivo corripiatur dolore; quam etiam ipſi fœtui, qui molli hoc ac tepido fotu in placido conſervatur cubatu, uterique

hoc

hoc munimento ab omni externa defenditur injuria. Cum autem uteri, pyrum forma & amplitudine æmulantes, vixque fabæ majuſculæ capaces, in eam ſub prægnatione molem excreſcere conſueverint, ut, qui proxime oſſeis pelvis coercebantur cancellis, fundo ſuo ad umbilicum & ulterius aſſurgant, tenuia inteſtina cum reliquis viſceribus ſurſum adigant, capitisque, circa extremum geſtationis tempus, ſphæram magnitudine referant, hincque tot librarum, quot ante unciarum habuere, pondus nanciſcantur, ſufficiantque excipiendo cum ſecundinis & intermediis aquis, fœtui vel unico, vel etiam pluribus, magnam ſane oportet eſſe colluviem, quæ eosdem ita explicatos, absque parietum ſuorum extenuatione, conſervat, & quam proinde nonniſi largum per uterum profluvium deplere & expurgare poteſt, ac debet.

Poſtquam enim uterus, excuſſo nonimeſtri ſuo hoſpite, concidit, & ad priſtinas anguſtias ſoliditatemque, partim viſcerum abdominalium deſcenſu, partim fibrarum ſuarum elatere, redit, nullo amplius in poroſitatibus hujus ſuperſtite diverticulo, vaſorumque anguſtioribus redditis, & in cincinnos, ut olim, complicatis innumeris propaginibus, neceſſario per vaginulas arteriarumque tubulos, in ciſternam uteri tranſudare cogitur: alias enim, quod frequentiſſimum eſt, vel concepta ſtaſi in phlegmonem magnam illum attollit, vel retrogrado motu in univerſum vaſorum Syſtema reſtringitur & regurgitat; prius autem ſi fiat, venter velut igne accenditur, hocque incendium nunquam illum, obſervante HIPPOCRATE *I. de morb. mulier. p. 609.* deſerit, id eſt, ardor candentis inſtar prunæ, indivulſus morbi comes eſt, qui, accedente ſphaceloſa corruptione, in quam puerperarum uteri, ob perpeſſam in partu violentiam, efferatosque calore humores, maxime proni ſunt, opinione ſæpe celerius easdem jugulat. *Uterinæ* namque *ventris cum do-*

lore

lore duritates celerem perniciem juxta 528. Coacar. Prænot. *denunciant*, ſive, interprete DURETO, *cito ac crudeliter enecant*, niſi humores tempeſtiva diſcuſſione & reſolutione ſtaſeos poſtliminio in motum redeant, vel, quod inter deſperatam & ancipitem ſalutem intermedium quid eſt, pro more quarumvis inflammationum in Empyema, aut abſceſſus ulceroſos, morbus fatiſcat.

Poſterior caſus non minus ominoſus eſt, non quod in nutrimentum fœtus, dum manet graviditas, frugi conſumto ſanguine, reſtitans, ut olim GALENUS opinabatur, degeneret, neque enim immotus ceu in ſentina hæret, ſed per ſpongioſa uteri receptacula continuo meat & remeat; ſed quod ſubita & repentina redundantia vaſa ita infarciat, ut ſublato ſolida inter & fluida ſubſiſtente vitali æquilibrio, laudabili humorum diſpenſatione prohibita, metaſtaſes cum febribus acutis, & non raro exanthematicis, ſi non fatales, ancipites tamen gignat, niſi forte noxiam hanc plethoram provida natura per vicarias narium, pectoris, aut alvi etiam hæmorrhagias, vel ſeroſas inteſtinorum, veſicæ, ipſiusque potiſſimum ſudoris excretiones depleat & imminuat, aut denique ſucceſſiva ſanguinis per febres continuas in ſerum colliquatione, conſumat. Quamvis ergo puerpera, apud SALMUTHUM, in partu vix tantum excreverit cruoris, quantum manus extenſæ tingeret ſpatium, omnique purgatione lochiali innoxie deſtituta fuerit, pluresque ejusmodi hiſtoriæ apud RHODIUM, SCHENCKIUM, TOLETUM, DONATUM, PANAROLUM, SENNERTUM, & ſi qui ſint alii, occurrant, innoxium tamen hunc defectum non tam partus, pro nonnullorum opinione, facillitari, vel placentæ ſequaci, quam potius parciori menſium ſucceſſui, extra graviditatem familiari, juxta obſervationem SCHENCKII, *Tom. II. Libr. 4. obſ. 117.*, aut inductæ per morbos humorum imminutioni, prout tabeſcenti, in *Ephem. Nat. Cur.*

Cur. Dec. II. Ann. 3. obſ. 202. vel hydropicæ, apud HAGENDORNIUM *Cent. III. obſ. 9.* contigiſſe legimus, vel quod frugiferæ, priusquam floriferæ eſſent, evaſerint puerperæ, id eſt, absque ulla menſtrua excretione concipere conſueverint, quod præter RHODIUM *Cent. III. obſ. 54. Ephemer. Natur. Curioſ. Dec. II. Ann. I. obſ. 41.* & *Cent. 6. obſ. 75.* teſtantur, pro beneficio deferri, neque ex raro hoc contingenti univerſaliter concludere licet; ſolenni namque naturæ ordine, in mulieribus integra ſanitate gaudentibus, nunquam impune & absque periclitatione vitæ, incruenta ejusmodi puerperia ceſſiſſe, experientia compertum eſt; unde HIPPOCRATES etiam *l. c. p. 606.* exitium portendi docet, ſi purgamenta a partu minime exeant. Qua interim naturæ & artis methodo ex his difficultatibus interdum eluctentur puerperæ, ſingulari ſpecimine demonſtrare jam adgredior.

Viri Conſularis uxor, ætatis maturæ, pluriumque jam liberorum mater, dum rurſus uterum ferret, partuique eſſet proxima, 10ma Decembris elapſi anni, prægreſſo horrore incaleſcens, febri acuta corripitur, dumque conſuetam ſibi prægnanti, & ſub hoc rerum ſtatu magis neceſſariam inſtituere meditatur venæ ſectionem, facili, præter expectationem 13tia, ſub auroram, exſolvitur partu, perfectæque maturitatis enititur puellam. Etſi autem integræ, tempeſtive ſatis, ſeceſſerint ſecundinæ, extemplo tamen cruentari a partu deſtitit, & de purgamentis ſolemnibus nihil quicquam procedere obſervat, unde, increbeſcente exæſtuatione febrili, & erumpentibus 15ta exanthematibus purpuraceis rubris, cum interſperſis petechiarum ſtigmatibus, territa noſtrum implorat auxilium. Cumque nec alvus a partu officium feciſſet, exhibui eidem circa noctem Borac. Venetæ gr. xv. ☿rii dulc. gr. vj. ♂ii diaphoret. & Cinnab. nat. ppt. gr. iv. unde parvi ſucceſſere ſomni, mens vacillare

cillare cepit, & ſub crepuſculum ſequentis diei excrementorum primum quidem induratorum, altera vice liquidorum & bilioſorum egeſtio inſequebatur. Venter imus, mollis licet eſſet, nec diſtentus, ad contactum tamen algentibus pedum extremis, plus juſto æſtuare viſus eſt, pulſus ſunt elati, & exanthemata, cum pectoris anguſtiis, tuſſi ſicca & inerti, membrorumque omnium, præcipue vero lumborum doloribus, & quod maxime ominoſum eſt, virium debilitate ſumma, inſtabilia ſunt, dum mox rareſcunt & pallent, mox rurſus copioſius & ſalutarius effloreſcunt. Præter hæc, tenſivæ etiam & vibratiles circa tempora, cum aurium tinnitu, increbeſcunt cephalalgiæ, ſitis vix potu explenda urget, ciborum vero adeo perenne ſuccedit odium, ut prorſus nullos admittat. Cumque contra puerperarum morem adhucdum pollui ceſſaret, accepit ſub noctem pillulas Beccherianis æmulas, cum mercurii dulc. gr. iv. & Gummi Sagapeni gr. ij. acuatas, quæ poſt inquietam, ob delirii incrementum, noctem, ſummo mane 17. diei ternas liquidas, male olentes & largas, absque ulla violentia, excitarunt dejectiones, unde menti reſtituta, recaleſcentibus quoque pedibus, cruentationis exigua quædam apparuere primordia. Venter interim cum flatuum volutationibus adhuc æſtuat, tuſſisque cum ſpirandi anguſtia ferocire nihil ceſſat. Quum autem eadem veſperaſcente die vehementius incaleſceret, hinc pro temperando fervore, & excretione peripherica augenda, ſub noctem pulv. antiſpaſmod. Hall. cum bezoardico Sennerti & MPill. de Cynogl. gr. j. ſumſit, ex quo dormituriens ad mediam usque noctem, quietior quidem reddita fuit, ſed abhinc pervigil cum majori mentis emotione, perſtitit, donec, erumpente in diluculo circa caput & pectus leni madore & magis rubicundis redditis exanthematibus purpuraceis, rurſus mentis compos evaderet. Alvo ſequentibus diebus lubrica manente, & in-

R 2 tumeſ-

tumeſcentibus, non ſine dolore, hæmorrhoidibus, licet ægra ob febris incrementum & ſomni defectum magis magisque deſiperet, diurnis tamen horis conſtanter iterum ad ſe rediret, unice ſaltem eo reſpeximus, ut exæſtuationes humorum contemperarentur & eorum per mitiora diapnoica æqualis diſtributio conſervaretur. Pro potu ordinario exhibebatur decoctum avenaceum cum Nitri tantillo, ſucco Citri & ſaccharo confectum, quod in acutis putredinoſam humorum corruptionem avertendo, alvinamque excretionem & diureſin liberam conſervando, utilitate æque ac gratia ſe commendat. Aſt ubi 20ma Decembris, non nocte demum concubia, ſed veſperaſcente tantum die, venulis in utroque oculorum angulo cum rubore intumeſcentibus, mente turbari inciperet, præcordiorumque anguſtiæ, cum pallore exanthematum, graviores ſuccederent, phrenitica metuentes deliria, ſuris utrisque veſicatoria adplicare ingruente nocte imperavimus; quæ quidem, etſi nimium fuerit inquieta, ob multas de rebus domeſticis ſermocinationes deliras, ſurgens tamen 21ma menſis dies luculenta de ſperanda adhuc victoria dedit ſigna. Nam & febris ſudore magis univerſali & graveolente, æſtusque ſimul ventris, poſt binas albi liquidas & aliquantulum cruentas dejectiones, diſparentibus hæmorrhoidibus, detepeſcebat, (unde, quæ hactenus ſupina ſemper jacere cogebatur, decumbendi in utrumque latus licentiam iterum obtinuit,) & lochiorum, etſi absque continuatione, pauca rurſus emicuerunt ſtillicidia, exanthemata vero vix, niſi relictis in dorſo, cui potiſſimum incumbit, obſcuris comparent veſtigiis. Solabamur vero quam maxime laudabili urinarum accedente hypoſtaſi, ceu humorum pepaſmo cicuratorum, ſperabiliſque hinc deſpumationis, haud infido criterio.

Ab hinc pactis quaſi cum hoſte induciis, res in eodem fere ſtatu perſtitit, donec, decretoria imminente pugna, 23tia

menſis præter morem ſtatim a meridie moroſior evadens, cum rubore faciei crebro deſiperet, omnemque nauſearet potum; quapropter ad præcavendam metaſtaſin, verſus caput forſitan vergentem, intermedio ante veſperam tempore, Emulſionem ex Sem. Melonum ʒiij. Papav. alb. ʒii. Amygdalar. dulc. ℥ß. Aqu. fluviat. ℥vj. Ceraſor. nigr. Flor. Sambuc. Roſar. ana ℥j. Sacchar. perlat. ʒiij. & Camphor. gr. vj. confectam, conſumere juſſa eſt, parcior namque doſis inſufficiens nobis, pro diluendis calore ſpiſſeſcentibus humoribus, ſolidorumque relaxandis oſcillationibus, futura eſſe videbatur. Hoc facto tranquilliorem, etſi non absque intercurrentibus deliriis, præter expectationem exegit noctem, largoque & fœtentiſſimo profuſo ſudore 24ta menſis recepta mente, de inſigni ſibi gaudebat refocillatione. Ectymata vero purpuracea, ex integro exacta procul dubio ſua periodo, ſimul diſparuerant, ſiquidem etiam miteſcens, cum liberiori anacatharſi, tuſſis & reſpirationis anguſtia, de horum Palindrome ſecuros nos reddidit. Dum etiam porro muliebria rurſus cruentari inciperent, multi vero adhuc reſtitarent in abdomine borborygmi, exhibitis circa noctem pilulis, inſomnis licet fuerit, mente tamen ſibi conſtans, febrim ſub diluculum pari ſudore deferveſcere obſervat, alvus præterea non ſaltem blande reſolvebatur, ſed rubra etiam uteri eluvies liberaliorem ſpondere videbatur deſcenſum, qui etiam, poſtquam per repetitas ſudoris matutini eccriſes, proficiente in dies ſanitate, febris, ſublata ſiti, agrypnia, anxietate, reliquaque infelici talium ſymptomatum caterva, 27ma conſtitiſſet, optato acceſſit, & ſucceſſu continuo atque copia invaleſcens, 29na nigri & fœtentis cruoris produxit excretionem, donec iisdem repetitis pilulis, nulla pro hac vice ſubſequente excretione alvina, ſinceriora reliquis diebus liberaliter profluerent lochia, compenſataque hinc judicatione morbi interrupta, cum exitu an-

ni & 21ma die ægritudinis læta cataſtrophe, in gratiam cum morbo rediret, reparatoque animi & corporis vigore, ſomnoque & ciborum redeunte adpetentia, ſanitatem ex integro reciperet.

Abreptos febrili impetu & reſtrictos, per ſolideſcentem uteri a partu compagem, humores, naturæ lege per lochiorum fluxum expurgandos, absque intentata quidem, ſed non perfecta ſtaſi inflammatoria, remeando in corpus, illud inundaſſe, argumento mihi fuit, ventris imi absque diſtenſione mollities, ardorisque in interiori aliqua ejusdem parte defectus: hæc enim inflammationis uterinæ ſyllogiſtica eſſe ſigna, HIPPOCRATES & experientia confirmant, id quod etiam omnem ſuſpicandi tollit anſam, eosdem occultos in uteri ciſterna, ut aliquando contingit, delituiſſe. *Si* enim *mulieri anguſtum uterorum oſculum fuerit, neque puerperiorum purgationem demiſerint, inflammatione tentantur, quæ, niſi brevi diligenter curetur, omnia eam magis affligent, & teter odor inde promanat, exitusque intumeſcit*, obſervante modo nominato HIPPOCRATE, *I. de morb. mulier. pag. 606.* ſive naturalia prætumida, cum metu gangrænæ redduntur, cujus rei duplex exemplum apud TULPIUM *Libr. IV. obſ. 39.* proſtat; vel cancroſa etiam concipiunt ulcera, niſi forte, ubi uteri inflammatione tentati non fuerint, ſuapte ſponte malum exeat graveolens & lividum, aut nigrum & grumoſum, mulierque a puerperii purgamentis expurgetur, juxta ſententiam COI, *l. c.* id eſt, grumeſcens & coagulatus cruor tempeſtive, priusquam putreſcat, & inflammationem producat, excutiatur. Hos ergo ita retrogrados humores in viam reducere, & per uterum derivare conſultiſſimum omnino fuiſſet; ſed, cum lochiorum excretio non æque uti alvina per artem promoveri queat, illamque per commoventia remedia violenter urgere, febre præcipue acuta vigente, idem fuiſſet, ac oleum igni addere, viſce-

rum

rum accelerare infarctus, omnem bene agendi perdere opportunitatem, ægramque ſic officioſe occidere: eapropter aliquam ſaltem redundantis in corpus colluviei portionem per ſeceſſus alvinos ſubtrahere, ne tumultuarii evadere & ad viſcera impetere poſſint, ſuſcepimus, præſertim cum ipſa natura hac ſibi conſulere ſoleat methodo, ejusdemque fidus interpres, Senex noſter, ſi minime exeant purgamenta, celeriter venam incidere, aut alvum emollire commendet, immo præſtare, inquiat, loco ſæpius citato, alvum per infuſum ducere, ſalubritas quoque & ſecuritas ſubſidiariæ hujus evacuationis, nobis, ut in *Actis Acad. N. C. Vol. VI. obſ. 2.* teſtati ſumus; ſatis explorata eſſet. Pilulas autem ſelegimus laudatas, quod & absque tumultu officium faciant, & in reducendis lochiis non plane deſides ſint, colliquandique reſtagnantes alibi humores, per mercurii connubium, efficacia polleant, quarum etiam virtute productis in initio ventris ſucceſſibus, ferocienti impoſuiſſe nos hoſti frena, humorumque fracto ad ſuperiora impetu, continua & graviora præcaviſſe, auſpicato arbitramur, deliria.

Sinceri ſanguinis, inciſa vena, depletionem, ſtudio neglеximus, ſiquidem adultiori jam febri ectymaticæ præjudicium aliquod hinc acceſſurum metuebamus, nec ſpiritalia organa mole humorum ad lipothymias usque oppreſſa erant, quo caſu, non obſtante purpura, in morbi principio eandem non ſaltem utilem, ſed neceſſariam quoque celebrat HOFFMANNUS, *Med. ration. ſyſtemat. Tom. IV. Sect. I. Cap. IX.* & alibi, præſertim, cum nec alia ratione illa in acutis aliquid conferat, quam quod turgeſcentem deplendo pleonexiam, humoribus amplius conciliet ſpatium, ut vaſorum ſuorum coërciti finibus expeditius in orbem volvi & revolvi, convenienter diſpenſari, & tandem critice deferveſcere poſſint: Traditionem enim de prompta lochiorum per hanc reſtitutione inane eſſe commentum, experientia convicti ſcimus.

Con-

Conceperamus vero ſpem læti exitus, quod intercedente licet continuo fere pervigilio, deliria tamen nonniſi per acceſſiones, ſive nocturnas febris exacerbationes, repeterent, interdiu vero conſtanter ceſſaverint, & quod pepaſmi in urinis indicia convenienter ſuccederent. Firmior autem triumphi reddebatur fiducia, ubi conſtitutis & velut deſtinatis a natura diebus 17ma ſcilicet 24. & 27. menſis, ſive morbi 7ma 11. 14. & 17. (initium enim in decretoriorum dierum diſpenſatione, non a partu, ſed ab ipſa, ſi prior illo fuerit, febre, in morbis puerperarum ducere oportet,) obſervata criſeos conſtantiſſima diſciplina, morbus, ſollicitatis ſalubribus per effluxionem abſceſſibus, expugnaretur, imo ipſa futuræ judicationis ſpecies, per accedentia iisdem judicatoriis diebus cruentationis muliebrium initia, adumbrata fuerit: Prout enim ſanguinis e naribus diebus indicatoriis contingentia ſtillicidia ſucceſſuram prænunciant hæmorrhagiam criticam; ita laudata cruentatio imminentem morbi per lochia deſignabat judicationem. Nec obſtat, quod 14. & 17ma die potiſſimum beneficio ſudoris ſoluta fuerit febris, quum, niſi lochiorum acceſſiſſet excretio, infida & imperfecta manſiſſet morbi terminatio, ſiquidem omnis repletio propriam expoſcit evacuationem, adeoque cum nigra & fœtida eluvies degenerem in cavernoſa uteri ſubſtantia reſtitaſſe ſanguinem demonſtraverit, utique idcirco nulla alia magis ſalutaris deſiderari potuit criſeos ſpecies. Humorum interea ſurſum vergentium impetum refrenare, & ad inferiora magis determinare adplicatis ad ſuras veſicatoriis conabamur, ea ſimul ſpe freti, fore, ut & retrocedentia forſitan exanthemata hac arte reducerentur, & reſpirationis major conciliaretur ubertas, ſiquidem expectorationi veſicatoria plurimum conducere ex BAGLIVIO, & experientia nobis innotuit. Emulſionem quoque non propter gratiam ſolam, vel ut aliquid egiſſe tantum videremur, ſed pro facilitanda critica deſpu-

deſpumatione, ordinavimus; præter potentiam enim diluendo fluxiliores reddendi humores, quam communem cum omni fluido aqueo habet, propriam etiam per adſcititium ſolubile ex ſeminibus oleum fibras, membranas vaſorumque canales, febrili incendio exareſcentes, hincque plus juſto intenſas atque criſpatas, relaxandi, emolliendi, flexilesque magis & obſequioſos reddendi conſequitur virtutem. Immo per connubium etiam Camphoræ, novum acceſſiſſe, non ſine ratione colligo, præſidium, multum enim hanc, neque immerito, recentiorum non pauci in febribus inflammatoriis generatim, & purpuratis in ſpecie, celebrant. Procul tamen abſit, ut idcirco febris pediſſequam ſudore contemperationem huic potioni ſimpliciter deferam: niſi enim humores prævio pepaſmo ad ſecretiones & excretiones, exoriente die critica, opportuni evaſiſſent, tam repentina & ſimul ſalubris morbi nequaquam ſucceſſiſſet metamorphoſis. Proinde nemo, niſi œconomiæ animalis imperitus, parem a ſimili emulſione ſemper ſibi pollicebitur effectum. Interim, neglecto hoc temporis morbi diſcrimine, cauſſæque admiſſa tali fallacia, fit, ut non ſaltem ars per falſa & immerita noviſſimæ medicationis encomia incerta reddatur, ſed Medici quoque, quo nihil in Praxi frequentius eſt, naturæ opera ſibi ſuisque furaciter turpiſſimoque errore arrogare conſiliis, præſumant. Plura, quæ pro vulgari conſuetudine artificioſe præſcripta ſunt medicamina, enumerare ceſſo, cum pleraque, ſi fomenta ventris imi excepero, tanquam inertia & in opinione ſaltem fundata, ad ſummam rei nihil quicquam contulerint, quæ inter a multis retro temporibus celebrem, ſuſtentandisque viribus (Pharmacopolii potius, quam languentium,) dicatam Confectionem Alkermes, refero, cum enim ex noſtris civibus vix quisquam absque hac, ſi Diis placet, ſalutis anchora ægrotare velit, ſi imperitiæ vel negligentiæ poſtulari nolit Medicus, invitus etiam ean-

dem in uſum trahere cogitur. Quamvis autem multos ea in dies curari, ſed nullos ſervari, vel ſanari experiantur (niſi enim cauſſarum per ſecretiones & excretiones Naturæ vel artis virtute acceſſerit remotio, incaſſum cum exquiſitiſſimis etiam analepticis laboramus) nihilo minus tamen, non omni ſaltem promiſcue ægritudini hac medicari confectione, ſed quod magis ridiculum eſt, rebus etiam conclamatis fugientem ſiſtere animam ſuſcipiunt, aut ſupremum ſaltem valedicturis officium ſe præſtare opinantur. Adeo ſcilicet pertinax eſt error, ubi ætatem tulit, & publicus evaſit, ut corrigendo nec ratio nec experientia plerumque ſufficiat.

(*Eperieſo Erfordiam miſſa, d. 6. Octobr. 1744.*)

OBSERVATIO XLI.

DN. D. JOANN. WOLFFG. FRIDERICUS BOENNEKEN.

De

Hæmorrhagia enormi & impetuoſa, e faucibus, gingivis & lingua prorumpente, in viro hæmorrhoidario, feliciter tandem ſanata.

Vir quidam annorum 49. in Saxonia natus, temperamenti cholerico-ſanguinei, faber ærarius mirum in modum aſſiduus & laborioſus, qui etiam a juventute in itineribus, ſæpe peractis, multas tempeſtatum injurias ſuſtinuit, vitamque vilem & exiguam olim degit, nullis fere hæmorrhagiis, aut periculoſis morbis unquam obnoxius, tandem vero, cum Veſaliæ inferiori ad Rhenum per 25. & quod excurrit annos laboribus ſuis ærariis nimium quantum aſſi-

due incubuerit, ſcorbuto levi, aut potius ſanguinis dyſcraſia laborare cœpit, quam partim incongrua, utplurimum in cibis fumo induratis & ſalitis conſtans diæta, partim terreſtres iſtæ & ſemi-corroſivæ particulæ, ſub ordinario ejus labore in cupro, per fumum corpori inſinuatæ, produxerunt. Nonnunquam quidem conquerebatur de Scorbuto ſic dicto oris, ſeu Sceletyrbe, nec non de doloribus ſpaſticis in renum regione, de alvi obſtructione; & de flatulentia anoterica, quæ omnia tamen parum curabantur; minime vero unquam mentionem fecit hæmorrhoidum cœcarum, quas tamen interdum quoque ſtillantes, cum acerbiſſimo alvi teneſmo, fuit expertus, quoniam pudor quidam intempeſtivus & pernicioſus hoc Medico aperire nunquam permiſit. Inde ergo factum eſt, ut, cum in vitæ genere conſueto, & prava atque incongrua illa diæta pergeret, tandem in graviſſimum quendam ipſi fere lethalem incideret morbum. Ante aliquot enim annos *die 31. Octobris* ab itinere haud quidem longo, ſed in nebuloſa & frigida tempeſtate peracto, domum reverſus, frequenter exſpuebat ſalivam cum ſanguine tinctam, & quaſi ſtriatam, quod tamen non curavit, gingivarum ſaltem cruentationem eſſe putans; tranſiit vero inſequens nox ſine quiete, & e lecto ſurgens *d. 1. Novembr.* cum manus lavaſſet & os colluiſſet, ſimulque hauſtulum aquæ frigidæ, uti ordinarie ſolebat, aſſumſiſſet, laborem ſuum adgreſſurus iterum ſe ſanguinem exſpuere advertit, eaque propter ſtatim me conveniebat, medelam huic malo petens, nihilque aliud, quam ſcorbutum eſſe referens, unde ego haud aliud quidquam mali ſubeſſe judicavi, quam excretionem ſub gingivarum lotione a fricante manu factam, brevique tempore eam remiſſuram adſeveravi. Cum vero dein Vir iſte prandium adſumere abnueret, ob nauſeam ſimul concurrentem, hinc pro ſiſtenda illa gingivarum cruentatione, ita primo a me reputata, juſſi, ut acetum vini,

poſtea alcohol vini, tandemque idem hoc alcohol cum Tinctura terræ Catechu remixtum, in ore teneret, quæ vero omnia loco exoptati, qui exinde ſperabatur & promittebatur, effectus, malum potius augere videbantur. Inſequente nocte os cum aqua fontana ſaltem colluebat, totaque illa iterum ſine ſomno tranſiit. Aurora proveniente d. 2. Novembr. heſternum ſtatum magis exacerbatum deprehendi, quem idcirco altioris indaginis eſſe reputavi, & exinde os ipſum inſpexi, in quo maximo cum terrore linguæ apicem ejusque latera, gingivas & velum palatinum cum varicibus, ſanguine ſeu cruore maxime diſtentis, undique obſeſſa deprehendi, ſanguinemque non ſolum ex hiſce varicibus & minimis ramificationibus venarum raninarum, quarum oſcula erant aperta, copioſe profluere obſervavi, inſimulque & hoc notatu digniſſimum adnotavi, quod, ſi linguæ ſuperficies leviter comprimebatur, ſtatim ſanguis floridus, ad inſtar aquæ ex impleta ſpongia, tranſudaret, atque, ſi ejusmodi veſicula ſanguinea penitus diſrupta fuit, ſtatim alia in ejus quaſi locum prorumperet. Maxime igitur hac de re ſollicitus, in cauſſas inſolitas talis hæmorrhagiæ ſedulo inquirebam, ſpeciatim vero, an forſitan corroſivum aut venenoſum quid ore adſumſiſſet, ſciſcitabar; aſt nulla vel harum, vel etiam alia occaſionalis ægro nota erat cauſſa. Cum vero denique mihi conſtaret, eundem antea frequentius jam jam moliminibus hæmorrhoidalibus adflictum fuiſſe, ſuſpicio inde movebatur, affectum huncce potiſſimum ex metaſtaſi & regurgitatione humorum abundantiam exortum eſſe. Venam igitur, ad motus revellendos, ſecandam curavi in pede, hoc ipſo vero denudato iterum novi quid conſpiciebatur: Pedes nimirum petechiis quaſi ſuffuſi erant ſub cuticula, cumque curioſius totum quoque corpus inſpicerem, id quoque undique maculis rubicundis quaſi tectum inveniebam, quarum pleræque morſibus pulicum erant ſimiles, inprimis

inprimis in pectore & pedibus; in brachiis vero lividæ & latæ maculæ ſcorbuticæ valdeque dolentes conſpiciebantur. Singulare ergo hoc phænomenon conceptam meam de hac hæmorrhagia opinionem magis adhuc confirmabat, quod ſcilicet ſuppreſſa hæmorrhoidalis excretio, ob motum tonicum inde auctiorem redditum, ad hanc ſanguinis & ſeri extravaſationem ſubcutaneam occaſionem ſuppeditaverit, inprimis cum Scorbutus ſeſe cum hæmorrhoidibus, & quidem ſuppreſſis, facile conjungere ſoleat. Vid. Celeberr. Dn. D. ALBERTI Tractatus de *Hæmorrhoidibus P. II. pag. 42. ſeqq.* itemque DOLÆI *Encyclopædia Med. pract. Libr. III. pag. 408.* qui pariter ejusmodi maculas ſcorbuticas ex tali cauſſa obſervavit.

Interim V. S. in pede adminiſtrabatur, ſanguis vero emiſſus poſt coagulationem evadebat lividus, viridis, gelatinoſus & cum tenaci cute ad inſtar corii obtectus. Syncope V. Snem inſequebatur, ter vel quater recurrens, cujus intuitu hæmorrhagiæ ceſſationem ſubſecuturam eſſe ſperabam, aſt votis non reſpondebat eventus, inde ad fortiora tranſeundum eſſe topica cenſebam, idcirco ſequens decoctum traumaticum pro oris collutione præſcribebam: Rec. rad. angel. biſtort. ariſtol. rotund. tormentill. ana ℥ij. Herb. Scord. Plantag. Agrimon. Pyrol. Prunell. Conſolid. Saracen. ana Mß. Summit. Millefol. P. ij. C. C. M. F. Species pro decocto. Hoc ipſo vero incaſſum adhibito, porro præſcripſi ſequentem collutionem oris: Rec. Acet. Roſar. Rut. ana ℥ij. Sachar. Saturn. ʒiß. M. D. ad Vitr. Hæc oris collutio pariter nihil præſtabat, adeoque revulſionem porro eſſe tentandam Clyſteribus, qui ſimul hæmorrhoidum fluxum invitarent, putavi, atque hinc ſequentem ordinavi Clyſterem: Rec. Spec. emoll. ℥ij. rad. Gent. rubr. ℥ß. ellebor. nigr. ʒij. herb. card. bened. folior. Tabac. ana Mj. Sem. fœnicul. ℥ß. C. C. decoquantur c. aquæ fontanæ q. ſ. Colaturæ Rec. ℔j. adde Olei

irin. lilior. albor. ana ℥ß. Nitr. depurat. ʒij. pulv. rad. Squill. tenerior. ʒß. M. D. cum pertinentibus & adplicetur. Sed hujus enematis pauciſſimam quantitatem flatulentia, in recto latens inteſtino, admittebat.

Pomeridie 2[di] Novembr. pro adjuvanda ſanguinis diſtributione, & motuum febrilium contemperatione præſcripſi ſequentes Pulveres: Rec. Lapid. Cancr. citrat. Corn. Cerv. ſine igne præparat. Tartar. vitriol. Nitr. depurat. Specif. cephal. Michael. ana ʒß. Miſc. divid. in v. part. æqual. D. ad Chart. & quarta qualibet hora unus præbeatur cum ptiſana hordei cum Scordio, quam Ptiſanam pro potu ordinario exhibui. Ad repurgandam linguam & gingivas, in quibus gangræna imminere videbatur, ordinavi ſequens linimentum: Rec. Ungu. fuſc. Felic. Würtzii ʒij. Mell. roſar. ʒj. Spirit. Vitriol. ℈ß. M. pro ore illinendo. Cum vero cuncta hæc medicamina adfectus ille penitus reſpueret, alios quoque Medicos & Chirurgos conſulere, ne quid neglexiſſe viderer, haud dubitavi, inter quos Clariſſimus Dn. D. LUNING, Profeſſor Gymnaſii academ. Lingenſis, advocatus, veſperi ſequentem præſcribebat collutionem: Rec. Aq. Plantag. Tormentill. acet. flor. Sambuc. rut. ana ℥j. Eſſent. travmat. Wedel. ℥ß. Laudan. liquid. ʒj. Spirit. Vitriol. ℈j. Syrup. Myrtillor. Dianuc. ana q. ſ. M. fiat Mixtura pro oris collutione. Interne vero ſequentes pulveres: Rec. Nitr. depurat. Tartar. vitriol. Corn. Cerv. philoſophice præparat. oculor. Cancr. citrat. ana ʒj. Camphor. gr. viij. M. f. viij. pulveres, de quibus ſingul. 3. hor. unus ſumatur. Cum vero hæſitarem, an conſultum ſit, Camphoram interne exhibere præſentibus febrilibus motibus, illam hinc omiſi, ejusque in locum addidi maſſæ pilul. de Cynogloſſ. ℈ß. Aeger noſter miſerrimus conquerebatur inprimis de doloribus faucium & tonſillarum, quapropter epithema partibus hiſce dolentibus externe adplicandum ordinavi: Rec. Flor. Malv. roſar. balauſtior.

lauſtior. bellid. Summitat. Millefol. herb. Plantag. ana Mij. C. C. M. f. Species pro epithemate calide adhibendo, & cum aceto rutaceo interdum conſpergendo; ſed ſtatus hicce morboſus admodum refractarius nullo modo diminuebatur, quin potius in dies majora ſumebat incrementa, adeo, ut inevitabilem minaretur noſtro ægrotanti vitæ terminum. Hac nocte vero, quæ 2dum Novembris diem ſequebatur, ego ipſe lectum petere nolebam, partim, ut omnia, quæ noſtro ægrotanti evenirent, exactius obſervarem, partim ut, ſi poſſibile foret, quietem & ſolatium qualecunque eidem procurare poſſem. Cum itaque toto animo de hujus morbi circumſtantiis & eventu cogitarem, & omnia incaſſum hactenus adhibita eſſe animadverterem, valde dolebam calamitoſum ſtatum ægrotantis, qui Amitæ meæ maritus erat, meque ut proprium filium amabat. Imploravi igitur divinum numen, ut indicaret mihi medicamen ad ſiſtendum hunc dirum morbum efficax, cumque ſic præſentem rerum conditionem mente agitarem, tentandum adhuc eſſe judicavi, annon tale externum remedium, quod ſanguinem effuſum imbiberet, & venarum oſtiola ad minimum ad aliquod tempus obturaret, quidquam hic proficere poſſet, huncque in finem ſpongiam marinam adferre juſſi, quam probe coctam & a terreſtribus ipſi inhærentibus particulis repurgatam, in aliquot partes, figuræ ſemicircularis, ut commode ſub lingua poni poſſent, diſcidi, easque cum collutione præſcripta humectatas alternatim adhibui, ſicque id ad minimum obtinui, ut ægrotus noſter per unius horæ ſpatium, a prima ſcilicet mediæ noctis usque ad ſecundam, ſatis tranquille dormiret, qui effectus mentem meam, prorſus fere depreſſam, iterum erigebat, inprimis cum copioſus ille ſanguinis fluxus quadantenus ſimul imminui inciperet. Continuavi itaque hac nocte uſum hujus præ reliquis paulo efficacioris remedii, ſub quo vero novum quoddam excitabatur

tur ſymptoma, linguæ ſcilicet, tam ob impeditum ſanguinis effluxum, continuante tamen interno ejus affluxu, quam ob irritationem a ſpongiæ ſpiculis, major excitata intumeſcentia, unde de ardore ſumme dolorifico & quaſi igneo in hac parte, ejusque inſigni rigiditate conquerebatur. Interim vero hoc phænomenon minus curavi, ſpe fretus certiſſima, illud mox ſublatum iri, ſi modo hæmorrhagia penitus ceſſaret, juſtumque & magis congruum locum, anum ſcilicet, occuparet, maximo vero ſimul adfectus fui gaudio, quod vile ejusmodi remedium initium boni eventus & totius curationis conſtituerit.

Sequente die tertio Novembris cum audiret advocatus clariſſimus Medicus, quid præſtitiſſent ſpongiæ, mirabatur earum bonum effectum, commodius vero topicum eſſe putabat ſacculos, ex herbis vulnerariis & adſtringentibus parandos, & ſimiliter haud rejiciendos, v. g. Rec. Rad. Tormentill. biſtort. quinquefol. ana ℥ij. herb. Centinod. Hypericon. Flor. balauſt. ana Mj. Sem. Hyoſcyam. ʒij. lap. hæmatit. Mum. terr. Vitriol. dulc. ana ʒij. Gallar. ℥iij. C. C. M. involv. cum Sindon. rubr. F. Sacculi num. x. alternatim linguæ imponendi. Interne præſcribebat ſequentem hauſtulum laxantem: Rec. Flor. Perſicor. Acac. Millefol. bellid. liguſtr. ana P. j. Rhabarb. elect. ʒß. Sem. Fœnicul. ʒij. C. C. infunde cum aqua pluviali, poſt filtrationem adde Arcan. duplicat. ʒj. Syrup. papav. rhœad. ℥ß. M. F. hauſtus laxans, hora octava matutina ſumendus, unde etiam binæ ſecutæ ſunt dejectiones. Poſt meridiem æger noſter conquerebatur de ani teneſmo, cum doloribus lumbaribus, unde hæmorrhoides cœcas imminere ſuſpicabar, & idcirco, pro obtinenda earum apertione, Clyſterem injicere curavi. Sacculi antea præſcripti egregio pariter cum effectu adhibiti fuerunt; quoniam vero ægroto itidem moleſtiam creabant, hinc eorum in locum ordinavi, ut lingua ſingulis horis cum linteis,

aqua

aqua ſclopetaria & liquore ſtiptico Dippelii humectatis obvolveretur, hacque ratione hæmorrhagia oris ſenſim ſenſimque ceſſare cœpit: interne ſequentem præſcripſi mixturam: Rec. Aquæ Card. bened. flor. Til. Sambuc. Scorzon. ana ℥iß. Flor. Naph. ℥ß. Conch. citrat. ʒj. Tartar. vitriolat. Antimon. diaphoret. non elix. ana ℈ij. Specif. Cephal. Michael. ℈j. Maſſ. pilul. Wildeganſ. gr. viij. Confect. de Hyacinth. ʒij. Alkerm. ʒj. M. D. ad Vitr. & quolibet trihorio cochlearia duo exhibeantur. Circa mediam noctem motus febriles acceſſerunt, qui tamen matutinis horis iterum ceſſabant; ſanguinis vero fluxus magis adhuc imminuebatur parciusque prodibat. Cum vero uvula & velum palatinum ita inflammata eſſent, ut fere gangrænoſa viderentur, huic quoque ſymptomati reſiſtendum eſſe duxi, & idcirco cum gargariſmatibus & injectionibus diſcutientibus & traumaticis, hujus formæ, ſedulo continuare juſſi: Rec. Rad. Pimpinell. alb. ℥ß. Angel. ʒij. herb. Salv. Mij. Agrimon. Prunell. flor. balauſt. roſar. bellid. ana Mß. Sem. Sumach. ℥ß. Conc. & cont. F. Species pro gargariſmate.

Quarto Novembris hora octava pro alvo movenda & aperiendis hæmorrhoidibus exhibui Tinct. Rhabarb. aquoſ. ʒiij. liquor. terr. foliat. Tartar. ʒj. M. D. pro una doſi, indeque unica ſaltem excretio fuit excitata. Poſt meridiem hæmorrhoides internæ ſtillantes ſeſe manifeſtabant, pro quarum ſucceſſu ulteriori obtinendo clyſteres reiterabantur; ſed novum ſimul oboriebatur ſymptoma, urinæ ſcilicet retentio & mingendi difficultas, unde interne exhibui Tincturam ſalis tartari, & pro reſeranda ſtrictura ſphincteris tam ani, quam veſicæ, ſequenti fomentatione veſperi uſus ſum: Rec. Flor. chamæm. vulg. Sambuc. ana Miij. decoquantur cum lacte, cujus uſum largior hæmorrhoidum fluxus excipiebat, & hac nocte tranquille ſatis æger dormiebat.

Quinto Novembris non niſi mucum tenacem, vix ac ne vix quidem ſanguine tinctum, exſpuebat, indeque facile adparebat, ulterius conſervandum eſſe alvi & hæmorrhoidum ſucceſſum; quapropter iterum Tinct. Rhabarb. aquoſ. ℥vj. pro una doſi exhibui. Ad dolores vero lumbares, pertinaciter continuantes, paullo magis mitigandos, præſcripſi ſequentes ſpecies pro infuſo theeformi: Rec. Herb. Millefol. Adianth. alb. ana Mj. Sem. Fœnicul. ʒij. Cort. Citr. ℥ß. M. conc. D. ad Chart. Interim deligatio linguæ, gargariſmata & injectiones continuabantur, atque pro ardore & vehementi dolore oris ſequens præſcribebatur linimentum: Rec. Syrup. Moror. Violar. Rub. idæi ana ℥j. Lap. Prunell. ʒj. Eſſent. Pimpinell. alb. ℈ij. M. D. ad Pyxid. Hoc die initium mundificationis & abſterſionis circa linguam gingivas & palatum prima vice obſervabatur, dum nigræ, corruptæ, fœtidæ & corroſæ earum partes decidebant, ſub quibus ſanæ latitabant. Adpropinquante nocte motus febriles denuo recurrebant, & quidem majori in gradu, quam heſterna nocte. Id vero ex hac potiſſimum ratione fieri debebat, quoniam partim Natura debilitata, tam per hæmorrhagiam oris, quam V. Snem, motus congeſtorios nunc a partibus ſuperioribus verſus inferiores dirigere debebat, pro hæmorrhoidibus promovendis, partim etiam ulteriorem expulſionem & ſimul diſcuſſionem macularum ſupra deſcriptarum rubrarum, in cute hærentium, per motus auctiores abſterſorios, intendebat, quem duplicem ſalutarem finem etiam ſub moderata excretione diapnoica, ſucceſſive erumpente, feliciter adſequebatur.

Die ſexto Novembris pro alvo aperienda exhibui unciam dimidiam Tinct. Rhabarb. aquoſæ; ad urinæ autem excretionem promovendam præſcripſi herbæ Malv. flor. Calcatrippæ, & Cyani ana Mj. pro infuſo theeformi, cujus virtutem exaltavi addito oleo Amygdal. dulc. recent. expreſſo,

& qui-

& quidem optimo cum effectu. Hocce interim die nihil, niſi mucus ſanguine tinctus, exſcreabatur, & corruptæ partes a ſanis ſeparatæ decidebant; maculæ quoque pallidiores evadebant. Veſperi autem, ad præcavendos motus febriles, ſequentem præſcripſi mixturam: Rec. Aquæ Card. bened. Scord. ulmar. Ceraſor. nigr. ana ℥ij. Nitr. depur. oculor. cancr. citrat. ana ʒj. Terr. foliat. tart. Tartar. ſolubil. ana ℈ij. Pulv. epilept. nigr. Cinnab. nativ. ana ℈j. Syrup. Corall. Quercet. ʒiij. flor. Papav. rhœad. ʒj. M. dentur ſingulis 3. horis cochlearia duo.

Die ſeptimo Novembris, hæmorrhagia ex ore & ſimul hæmorrhoides internæ, quæ die 5. & 6. ſatis largiter fluxerunt, penitus ceſſabant, adeoque unice adhuc reſpiciendum erat ad mundificationem & plenariam conſolidationem linguæ, gingivarum & faucium, viriumque hactenus deperditarum reſtitutionem. Quoad primum igitur, uſum linimenti & injectionum una cum deligatione continuare juſſi, ſimulque ſequens præſcripſi gargariſma: Rec. rad. pimpinell. alb. ℥ß. herb. Malv. Salv. ana Mij. Agrimon. betonic. flor. papav. errat. balauſtr. liguſt. ana Mj. roſar. Mß. Conc. D. ad Chart. Quoad alterum autem momentum diætam eupeptam & analepticam ordinavi, cum regimine temperato diapnoico, alvum ſingulis diebus apertam ſervabam, febriles motus avertebam, præcavendo id, quod ad eos excitandos anſam præbere potuiſſet, & tandem ſublato hoc morbo cacochymiam humorum ſcorbuticam convenientibus & adpropriatis remediis inſimul plenarie emendavi, ſicque rariſſimum hunc affectum, adſiſtente Divini Numinis gratia, feliciter ſanavi.

(*Veſalia Erfordiam miſſa d. 27. Octobr. 1744.*)

OBSERVATIO XLII.

DN. D. JOANN. HERMANNI FURSTENAU.

Paralyſis in Puerpera.

Partus incertam conditionem, ab Illuſtri quondam PECHLINO eleganter delineatam, ſequens inter alia caſus, ſi quis alius, memoratu dignus confirmat. Fœmina triginta & aliquot annorum, temperamenti ſanguinei prædominantis, in re lauta & matrimonio placido vivens, aliquot ante liberorum nec infelix mater, Decembri menſe adulto partu admodum difficili puerum ſanum & vegetum excludit, illa vero mox lipothymia, hinc quoque ſopore profundo correpta, primis a partu diebus lochiis largo rivo fluentibus, ſingularem motus impotentiam in brachio & crure ſiniſtro animadvertit. Accedit circa diem a partu quintum febris acuta continua, cum lochiorum plenaria ceſſatione, ſopore, & ſumma virium proſtratione, æſtu, ſiti, alvique pertinaci adſtrictione. Accitus e vicinia Medicus, ad lochiorum revocationem reſpiciens, V. Snem in pede ante omnia inſtituendam curat, tum analepticis, temperantibus, alvumque blande reſerantibus, cum regimine diaphoretico & frictione externa lateris ſiniſtri, diligenter inſiſtit, eo tandem cum ſucceſſu, ut ægra tarde quidem, belle tamen cum valetudine in gratiam rediret, & menſium fluxu poſt puerperium, repetito V. Snis, pediluviorum, laxantium & aperientium uſu in ordinem redacto, optime, imo pancratice valeret, quin media deinceps æſtate, ad confirmandum nervorum robur, & paralyticam lateris ſiniſtri diſpoſitionem ſuperſtitem eradicandam, acidulas Pyrmontanas una cum marito, interno pariter ac externo uſu adhiberet, eodemque tempore denuo imprægnata, toto geſtationis tempore ex voto valeret, &

V. Snem

V. Snem aliquoties admitteret, brevi ante partum eandem repetitura, niſi partus laboribus opinione citius obruta, puerum denuo ſanum, robuſtum & vegetum haud difficili negotio excluderet, primisque a partu diebus, lochiis iterum largiter fluentibus, optime & fere pancratice valeret. Hiſce vero poſt diem quartum ſubſiſtentibus, puerpera recte valens, aſſumpto circa veſperam modico panis fruſto, lectum, quem paulo ante reliquerat, repetens, mox in ſoporem profundum cum ſtertore prolapſa, ſubſequente ſimul alvi & urinæ involuntaria excretione, præter motus impotentiam, tremorem quoque & muſculorum ſubſultus in brachio ſiniſtro oſtendebat. Advolante mox ad deſiderium adſtantium, Medico, & præter V. Snem ſelecta nervina, excitantia & roborantia ſuggerente ſed fruſtra, ægra circa diem a partu ſextum & vix exactum ab ultimo inſultu νυχθήμερον, vitam cum morte commutante. Hic certe mirum nervorum inter ſe, & cum principio eorum, conſenſum, a copia & congeſtione ſanguinis majori fotum & excitatum, evidenter licuit animadvertere. Namque ægra optime licet ſibi valere viſa, ſingularem tamen oblivionem, generisque adeo nervoſi occultum quoddam, quin ipſius cerebri vitium præ ſe tulit. Plethoræ vero præſentiam tum oculis uſurpare, tum ex victu lauto & otioſo haud difficulter arguere licuit. Quo vero minus iram, aliamque commotionem animi vehementiorem, malis hiſce anſam dediſſe opinemur, quale quid ſub iræ puerperis noxiæ elogio ab Illuſtri TULPIO *Libr. II. Cap. XX.* egregio exemplo adſertum occurrit, vita tranquilla, pacifica, & ſimile ægrotæ ingenium rerumque omnium affluentia prohibent, ut nervum forſan uteri in partu difficili læſum, & totum ejusdem ſyſtema in conſenſum trahentem, in eodem inprimis loco & iisdem circumſtantiis ſuggeſta ſimili occaſione, hic accuſare liceat.

OBSERVATIO XLIII.

DN. D. JOANN. HERMANNI FURSTENAU.

Varia & decretoria urinæ vitia.

Vir 53. annorum, temperamento ſanguineo, habitu corporis pleno, ſtatura erecta præditus, cœlebs, vario hactenus victu, frequenter tamen pleno & otio uſus, plerumque ſanus lætus & robuſtus, niſi quod ante aliquot annos febre quartana diu miſereque fuerit afflictus; is levem quendam rheumatiſmum expertus eſt, induendis exuendisque veſtimentis moleſtum, adhibitis congruis remediis mitigatum, ſed in vehementiorem dorſi dolorem, & ſingularem urinæ difficultatem commutatum, & per vices cum eodem reciprocantem. Hanc dyſuriam potius, quam ſtranguriam, appellare licebit, cum non fruſtraneo quidem conatu, neque guttatim urinam emitteret, ſed difficili admodum niſu eandem exprimere cogeretur, quodque ſub vario corporis ſitu, inprimis ſedendo minus valeret excernere lotium, inter cubandum vero non raro præter voluntatem profluere, nec ſine dolore tædioque, animadverteret ægrotus, ſi quis alius munditiei ſtudioſus. Hæc per æſtatem agebantur, conquiſitis undiquaque Medicis & medicamentis pellendæ inprimis urinæ dicatis, pleriſque affectum pro nephritico habentibus, nonnullis & vermem forſan quendam in renibus deliteſcentem, & omne corporis nutrimentum abſumentem, ægro præſertim in dies magis viribus exhauſto, & nutrimento evanido, accuſantibus. Inter autumni initia ſingulis auctis ſymptomatibus nec V. Sne, nec ſcarificatione, nec clyſteribus, nec ſelectis remediis antiſpaſmodicis, paregoricis & ſimilibus, ex millefolio, chamomilla, nitro, ſpermate ceti, oleo amygdalarum, millepedibus, gummi arabico, terra Japonica,

chac-

chaccarilla, lumbricis terreſtribus & ſexcentis aliis, ſub varia forma adhibitis & diu continuatis, quicquam proficientibus, æger ſenſim contabeſcere viribusque & adpetitu plane deſtitui cœpit, donec vigiliis, ſiti, ciborum faſtidio & ſimilibus ſymptomatibus confectus, abdominis duritie hinc & pedum manuumque tremore accedente, &, ne quid malorum deeſſet, juxta cum urinæ incontinentia, diabetica correptus affectione, lotii valde lixivioſi quantitate aſſumpta liquida multum ſuperante, inter varias & præcordiales anguſtias, cum reſpiratione difficillima complicatas, anima corpus quondam turgidum, nunc prorſus exſuccum, relinquens, ad ſuum, unde ortum erat, principium rediret, id quod adulto contigit Novembri. Hic certe pleraque, ſi non omnia, concurrerunt urinæ vitia, absque ulla calculi ſuſpicione, ſed a ſpaſmo veſicæ & viarum urinariarum ſine dubio profecta. Hic vero non aliunde, niſi a plethora & ſanguinis congeſtione, ipſisque hæmorrhoidalibus moliminibus originem traxit; unde autem reliqua peſſimæ notæ & decretoria ſymptomata, quin & hectica totius corporis conſumptio, & hydrops pectoris, de cujus præſentia plura, quæ adfuerunt, phænomena, dubitare haud ſinunt, niſi a viſceris alicujus majoris, præſertim hepatis, aut plurium forſan, vitio immedicabili, quo & ſecretionem & excretionem urinæ primo turbari, hinc aucto ſenſim gradu œconomiam corporis humani labefactari, hecticam febrem accendi, mortemque accelerari conſtat.

OBSER-

OBSERVATIO XLIV.

DN. D. JOANN. HERMANNI FURSTENAU.

Hydrophthalmia recidiva.

Hydrophthalmiam interceptam Clariſſimus SCHAPERUS egregia & epiſtolari ad G. G. LEIBNITIUM diſſertatione cum orbe communicavit litterato. Simile fere exemplum ſimili fere tractatum ratione, ſed diſpari eventu, notare mihi licuit in ſutore, qui poliendis baſibus calcei ligneis nimium intentus, oculosque eisdem propius admovens, ramentis ligneis ſubtiliſſimis in oculum ſiniſtrum illabentibus, dolore, rubore, ardore ejusdem, & perpetuo materiæ acris ſtillicidio correptus, variis ex arte ſuggeſtis præſidiis ophthalmicis, internis & externis, diligenter uſus, ſed perpetuum materiæ purulentæ profluvium neque hæc, neque inſtrumentum acutum provide adplicatum, aut impedire, aut eo dirigere valuerunt, ut oculus illibatus permaneret, & viſui ſua conſtaret integritas, quin hoc fere penitus ablato, manifeſta cicatrix in tunica cornea remaneret, æger tamen ab omni reliquo incommodo immunis, lætus ad ſua rediret negotia. Sed biennio poſt, cum in aëre verno horrido diutius verſaretur, V. Sne & ſcarificatione, cui utrique adſuetus eſt, oſcitanter neglecta, affectum priſtinum eadem ſcena iisdemque ſymptomatibus, in eodem oculo ſiniſtro redire animadvertit; materia acri viſcida, non ſine rubore & dolore prævio, ex eodem oculo ſiniſtro, ejusque foramine priſtino per aliquot ſeptimanas emanante, eademque tractatus ratione oculum integrum, ſed eadem cicatrice deformatum, & quidem notabiliter imminutum, retinuit, cujus tamen incrementum & juſtam bulbi magnitudinem temporis ſucceſſu eo certius expectat, quo major ipſi ſpes facta

eſt,

eſt, humorem aqueum, cujus magnam partem perpetuo illo acris lymphæ profluvio perdidit, ſolius ope naturæ ſenſim reparari, quo collapſi bulbi parietes iterum extendantur, oculusque ad priſtinam magnitudinem redeat. Hydrophthalmiam acus punctura curatam ſiſtit. M. B. VALENTINI *in M. N. C. Dec. II. Ann. VI. obſ. 7.*

OBSERVATIO XLV.

DN. D. JOANN. HERMANNI FURSTENAU.

Febris catarrhalis cum tuſſi ferina pueris infeſta.

Tuſſis ejusmodi ferina & convulſiva ut ſæpius alias, ita hoc inprimis anno ineunte, poſt hyemem algidiſſimam & variam verni aëris conſtitutionem, ad ſolſtitium usque æſtivum plures paſſim puſiones afflixit, multosque e medio ſuſtulit, qui vel in ipſo tuſſiendi conatu ſunt ſuffocati, aut accedente hectica febri, aut convulſionibus epilepticis, vitam cum morte commutarunt. Varia & febrilia, nonnulla & verminantibus & cachecticis propria, hic jungebantur ſymptomata, quæ, niſi mature & appropriatis iisdem occurreretur remediis, lethalis exitus certo certius excipiebat. Et ſicut dulcia & pectoralia vulgo dicta nullum ſpondebant levamen, quin fruſtra, ſi non cum evidenti damno, & manifeſta morbi prorogatione exhiberentur; ita a blandis laxationibus, cum mercurio dulci inſtitutis, ipſoque minerali æthiope cum abſorbentibus & ſalibus digeſtivis exhibito, demum & a ſulphure antimonii ſelecta ratione parato, ſi quod ſperandum, notabile ſymptomatum decrementum viriumque & formæ externæ augmentum, obſervare licuit, aliis, qui vel hæc, vel omnia reformidarunt remedia, ſerius

ocyus fatis cedentibus. Plures inter alios puer erat 4. annorum ab initio hujus anni prædictis ſymptomatibus non magis, quam variis remediorum generibus mirum quantum defatigatus, eo ſucceſſu, ut adulto vere relicto lecto ὀρθοστάδιος iterum fieret, ſed pedibus inſiſtere haud valens cutem aridam, ſtrigoſam & exſuccam referret, id quod ceu peſſimæ notæ ſymptoma, & quocum vix in ſanitatem redire ſolent parvuli, identidem notare licuit. Is de dolore capitis acuto acerbas fundens querelas, medio Julii vomitu iterum, tuſſi, languore totius corporis, alvi adſtrictione, ſudore colliquativo per vices accedente, & ſimilibus ſymptomatibus correptus, varia quidem & ſelecta accepit avideque hauſit remediorum genera; ſed accedente circa diem morbi decimum aphonia, hancque excipiente urinæ excretione involuntaria, hinc reſpiratione anxia & anhela, motibusque tremulis manuum & labiorum, circa decimum & ſeptimum morbi diem tandem obiit.

(Rintelio Erfordiam miſſa d. 28. Decembr. 1744.)

OBSERVATIO XLVI.

DN. D. LUDOVICI JO. le THIEULLIER.

De

Hydrope aſcite & ſingulari lactis in eo uſu, poſt paracenteſin inſtitutam.

Quantulacunque etiam mea ſit in enodandis rebus medicis cognitio, laboribus tamen peperci nullis, quibus abditas morborum cauſſas ex effectibus, quaſi filo duce, rimarer, non ut aliorum Auctorum ſententias infringere aut refutare tentarem, ſed potius ut ipſorum placita, ſua jam luce radiantia, facillime ducentibus ad conſentiendum experi-

perimentis ulterius illuſtrarem & confirmarem, indeque ſimul conjecturas utiles, viam ad ipſam rei veritatem monſtrantes, deducerem. Tot inter affectus hominem atrociter & lento utplurimum gradu diſcruciantes, jam inprimis hydropem, varios ſæpe morbos mentientem, arte raro vincibilem per cauſſas intrinſecas & per cauſſarum ipſarum agendi modos, auſus ſum ſcrutari, quam ergo felicis exitus deſiderium in me ſpem excitaverat, eam experimentis firmare & ratione corroborare neceſſe omnino fuit, felix! ſi meo labori, in artis progreſſum ſuſcepto, plauſum dederitis: meum enim ſtudium tunc magis intendendum, nec ab inſtituto tali ullo modo recedendum eſſe judicabo.

Die 22. Januar. 1742. vocatus ſum, ut auxilium ferrem Domino HELAUD, in armamentario Pariſienſi degenti, annorum circiter LXXII. a multo jam tempore ſpirandi difficultate, regionis epigaſtricæ intumeſcentia, maxime circa dextrum hypochondrium, ſtipata, laboranti. Vix eum conſpexeram, cum ab eo, omni ſpe ſalutis deficiente, diſcedere iterum vellem. Continuus enim aderat ſuffocationis metus, lateritia, pauca & difficulter reddebatur urina; dolorifice tumebat abdomen; Leucophlegmatia corpus univerſum occupabat œdematoſa; pedes & tibiæ gangrænoſis vitiatæ erant ulceribus. Periculoſo tandem ac diuturno morbo curam prudentem adhibuerant Collegæ duo præclariſſimi, eamque tutiorem habuiſſent, ni deteriori diætæ, circulatoribusque continuo ſe tradidiſſet æger, qui die dicta ſpiritus extremos trahere videbatur anhelus. Præter hydropem anaſarcam, a fluido in totum corporis habitum effuſo, collectionem in abdominis capacitate, ſive aſcitem, ſuſpicari licebat; aliquid vero certi pronunciare, propter tumores ſcirrhoſos ac univerſalem œdematoſam intumeſcentiam, impoſſibile erat. Igitur, præſcripta laudabili diæta, ſequentis pulveris doſin in juſculi cujuſcunque cochleari, ſingulis ter-

nis horis exhibendum præſcripſi: Rec. Corall. rubr. matr. perlar. oculor. cancr. præparat. antimon. diaphor. ana gr. vj. Fiat ex omnibus pulvis unus pro doſi. Facilior & uberior urina fluxit, ſpiſſa tamen ſimiliter; ut autem adſtrictiſſima ſubduceretur alvus, hydragogum pulverem, eadem methodo ſumendum, parari juſſi: Rec. Jalap. & Mechoacann. pulveriſ. ana gr. viij. diagryd. gr. ij. Cremor. tartar. ℈ß. Fiat pulvis pro una doſi. Viam tenuit inſtitutam æger, diebus quatuor continuis; abunde dejecit ac minxit, lotii qualitate ſimili perſeverante. Pro potu ſumſit decoctum radicum ononidis, ruſci & florum calcatrippæ, in cujus libris tribus ſoluta eſt Salis nitri drachma una, & diluta eſt ſyrupi de quinque radicibus aperientibus uncia una. Quidquid fuerim expertus, irritum agnovi; manibusque abdomen reciproce contrectantibus, fluidi fluctuatio ſenſibilis facta paracenteſin efflagitavit. Die ergo Februarii octava, acu tricuſpide in ventrem immiſſa & ſtatim educta, egeſtæ ſunt aquæ ad pondus librarum ſedecim, majorque proventus ſeri ſucceſſiſſet, ni fiſtulam latitantes dicti tumores obturaſſent. Nihilo tamen minus, abdomine depreſſo, per vulnus, ex infarctu corporis habitum tumefaciente, diffuſæ ſubterfluxerunt aquæ ad pondus librarum trium; attamen in deſperatis habebatur æger, quoniam mortem imminentem maxima ſpirandi difficultas & gangræna ſatis manifeſto pronunciabant.

Interim tamen ſub turbulento & intricato hoc rerum ſtatu aliquam adhuc lucem me obtenturum ſperabam ex diligenti analyſi fluidi educti; unde hujus libras duas Pharmacopolæ Pariſienſi peritiſſimo, Dn. LEBEL, variis experimentis tentandas commiſi, qui repetitis laboribus alcalinum ſalem & urinoſo-ammoniacalem oleaginoſis & pinguedinoſis partibus irretitum in liquore deprompto contineri deprehendit. His ergo probe perſpectis & ponderatis, lac vaccinum

tuto

tuto exhiberi poſſe conjeci, modo illud non faſtidiret vir omnium pervicaciſſimus. Aſt mihi ſuadenti, fauſtaque olim in morbo experientia aliunde adhibita ductus, libens obtemperavit. Dum hæc porro peragebantur, neceſſitas urgebat repetitionem eductionis aquarum; par itaque fuit egeſtæ quantitas, totidem impedimentis obſtantibus. Interim ſub uſu quadantenus continuato lactis primo citrina reddita fuit urina, deterſaque dein & ſiccata ulcera; aſt, his non obſtantibus tertia tamen vice turgidum, ineunte Martio perforandum erat abdomen. Ab hoc vero tempore paulo firmiori, vel etiam incerta gaudebat valetudine æger, ad finem usque Septembris, prout victus rationi plus minusve conſuluit, & procul dubio diutius protracta fuiſſet vita, niſi ſpreto quolibet conſilio, ſe cibis deterioribus ingurgitaſſet, quod quidem eo firmius adſerere licet, quum hydropis nulla labes poſt tertiam punctionem amplius fuerit deprehenſa.

Huic exemplo recentiſſimum juvat alterum adjungere, de venerando Sacerdote Capucino, Pariſiis commorante, patre *Gerothe* dicto, annos LXXV. nato, qui aſcite correptus, paracenteſin ſuſtinuit die lunæ, decima octava Maji anni præteriti; eductæ ſunt ſubflavi ſeri libræ duodecim, emenſiſque diebus octo, rurſum perforatione facta libræ circiter ſedecim. Ad ſolius lactis uſum, me jubente confugit reverendus æger, & quod intumuerat denuo abdomen, in dies ſenſim detumuit; ſimiliterque ſcrotum, pedes & tibiæ; ita ut poſt tertiam, Julio menſe iterum ſuſceptam perforationem, melius ſeſe habuerit, & haud exigua nunc ſpes ſalutis affulgeat.

His itaque aliisque ſimilibus nonnullis eventibus, praxin propoſitam fulcientibus, paullo exactius & attentius ponderatis, proprias meas paucis adhuc ſubjungere licebit meditationes, ad qualemcunque prædictorum illuſtrationem ſpe-

ctantes. Quemadmodum ſanguifera vaſa diverſimode affecta, cuilibet profluvio ſanguinis anſam præbere poſſunt; ita & a vaſorum lymphaticorum vitio, variæ hydropis ſpecies producuntur, unde fluidum vel quantitate, vel qualitate peccans, dat aquarum diffuſioni vel collectioni locum, per ἀναςόμωσιν ſcilicet, per διαπήδησιν, per ῥῆξιν, & per διάβρωσιν. Ubi per poros tunicarum, ad modum transſudationis ſerum transfluit, poſtmodum vel in integumenta ſe diffundens, vel in cavitatem quandam illabens, ibi morbus lente procedit, ſin alio quovis modo id contingit, creſcit in dies exundatio. His itaque ſuppoſitis, diætam lacteam, omni hydropum ſpeciei, vel prophylactice, vel curatorie mederi contendo, idque eo magis, ſi morbus talis a fluidorum acrimonia, tunicas erodente & exulcerante, oboritur, ideoque ſola analyſi dignoſcenda διάβρωσις præſto eſt; tunc enim absque alio quovis auxilio æger facile ſanatur. Hæc ut perfectius eluceſcant, mihi, documenta quærenti, non leges practicas ſancienti, mentem meam evolvere liceat. Hydrops per διαπήδησιν oritur vel a nimia fluidorum effervеſcentia, vel ab eorum ſtaſi, ubi ſcilicet diſtentis vaſorum tunicis, attenuatus liquor per harum tunicarum poros inſtar roris transfluit; vel dilatatis ultra tonum vaſorum parietibus, ſtagnantis fluidi pars tenuiſſima eandem ſibi viam parat. Tunc ergo compeſcendus fluidorum motus, vel reſtituenda venit humorum craſis legitima, ita ut naturalis adſit partium corporis, tum ſolidarum, tum fluidarum, inter ſe mutua proportio, qua utrarumque debitus motus, depuratio & legitima mixtio per ſecretiones & excretiones in fluidis, & debita flexilitas in ſolideſcentibus conſervatur. Ad hoc caput omnes hydropum ſpecies referuntur, hydrope per διάβρωσιν excepto, in quibus cunctis caſibus lactis utilitatem nemo negaverit, ita ut ampliorem hujus intuitu explicationem ſupervacaneam fore merito judicem. Supereſt

igitur

igitur hydrops a ὑιάβρωσι, cujus prima vel præcipua cauſa eſt vitiata fluidi qualitas. Salibus enim redundantibus & evolutis, ſolida continuo laceſſuntur, ſpaſtice contrahuntur, ſtaſes in capillaribus præſertim augentur, fluidi fibroſa pars magis ac magis compingitur, dum ſeroſa vel diverſos affectus catarrhales, arthriticos, &c. gignit; vel immediate magis hydropem genitura, per poros vaſorum amandatur; vel varices in lymphaticis excitans, neceſſario viſceribus concitat infarctus: nec minus aliunde a contentis humoribus continentia roduntur, alicui cavitati ſubitum imbrem hydropiferum accerſitura.

Verum, ut propoſita methodo præcavendus vel fugandus hydrops, in praxi ducem quaſi nauticam pyxidem ſuppeditet, occaſionales & procatarcticas morbi cauſas familiares ſubjungere licebit, quales ſunt febres incongruæ curatæ, ſcabies & omnes per cutis poros ſuccedentes eruptiones retropulſæ, hæmorrhagiæ diuturniores, abuſus adſtringentium & validiorum purgantium, largior vini & ſpirituoſorum liquorum uſus, venus immodica, mercurius intempeſtive vel immoderate adhibitus.

Nunc vero lactis utilitatem expoſitæ demonſtrant cauſæ per effectus: partibus nempe ejus unctuoſis ſpicula ſalium obtunduntur; ſeroſis ac diluentibus infirmantur; balſamicis ſpirituum detrimenta reſarciuntur; cibi homogeneitas perennis, fluidorum & ſolidorum indolem & eſſentiam immutant, quid quod ultra dicam? medicamentum in ſe continet ac alimentum.

(*Lutetiis Pariſiorum Erfordiam miſſa, d. 17. Jan. 1745.*)

OBSER-

OBSERVATIO XLVII.

DN. D. GEORGII LUDOVICI ROSA.

Morbus iliaco-colicus cum inſecuta tympanitide, ab excreſcentia glanduloſa, univerſum inteſtinum colon obſtruente, proveniens.

Inteſtina ſæpius inteſtinum nobis pariunt bellum, nec ulla conjectura, talem latere anguem in herba, divinari poteſt. Medicus ſatis celebris & expertus, temperamenti melancholico-cholerici, quinquaginta annorum, ſani alias corporis habitus, nullius unquam externæ violentiæ illatæ ſibi conſcius, vitæ ſedentariæ admodum deditus, præter paſſiones hypochondriacas ac hæmorrhoidum primo fluxum cruentum, poſt hunc excretionem mucidam ſanguineis ſtriis diſtinctam, absque ullo doloris ſenſu, nec non per annum nunc borborygmos ſonoros crebriores & fortiores, ac alvi excretionem confuſam, modo adſtrictam, modo laxam, (ſiquidem haud ita pridem, ante jam enarrandum adfectum, largiorem expertus fuit diarrhœam,) ut & craſſiorum ciborum intolerantiam, nullum fere ſuſtinuit morbum; die 21. Novembr. anni modo elapſi 1744. una hora ante prandium, contra pedum clavos adhibet pediluvium alias minus uſitatum, inde vero, ad ægrotum cito vocatus, frigori ſe ſe exponit, ac die inſequente in prandio parum aſſatæ carnis vervecinæ, cum adpetitu tamen, veſcitur, nec præter laſſitudinem incommodis quibusdam adfligitur. Die 23. Novemb. ſummo mane atrociſſimi dolores iliaco-colici, vomitus, borborygmi vehementiſſimi & alvi obſtructio per duos jam dies durans, exoriuntur, ubi interna parum efficiebant, ac clyſteres ab initio ne minimum educebant, usque dum die 25. Novembr. exiguam minimorum ſcybalorum ſubnigrorum quan-

quantitatem eluerent, quibus factis ſymptomata mitigabantur, ac alvus, ſed minima mole & excretione mucoſa pellucida ſuccedebat, borborygmi vero etſi leniores, ructus flatusque malum admodum mitigantes cum appetitu proſtrato continuabant. Hiſce ſymptomatibus ob ægrotantium copiam parum indulgere potuit, multo magis in publicum præmature nimis prodire cogebatur. Præcocis hujus egreſſus non emanſit triſtiſſimus effectus, ſiquidem die 6. Decembr. tragœdia de novo aperiebatur, hac tamen cum differentia, quod vomitus non tanta atrocia urgerent, ſingulo vero mane in longius protraherentur, ubi fere omnia prægreſſo die aſſumpta rejiciebantur, & continuus dolor tenſivus lancinansque in regione umbilicali a) dextrorſum cum inflatione tympanitica abdominis ad duas fere ulnas, borborygmis mox fortioribus, mox mitioribus, ructibus malum alleviantibus, ac appetitu proſtrato, dum nil plane, præter potum thée & Coffée ac parum juſculi carnis aſſumebat, ſeſe exerceret. Alvus usque ad diem 18. Decembr. quotidie materiam ſpumoſam, quadantenus ſubfuſcam, cum pituita pellucida, ſtriis diſtincta ſanguineis, minime vero feces vel induratas, vel molles, vel flatus reddebat; ſequentibus diebus laceſſita clyſteribus, non ſemper reſpondebat, ſiquidem hi nonnunquam ſolummodo parum pituitæ ſubfuſcæ & ſubcruentæ, mox ſcybala minima, ex tali pituita, fecum alvinarum colorem referente, compacta educebant, hæcque fuit alvi ratio ad vitæ usque finem. Circa clyſterum injectionem notandum adhuc venit, eam ſemper maximos procreaſſe dolores, inprimis ſi vi quadam injicerentur. Sæpius atrociſſimi intercurrebant dolores iliaco-colici poſt uſum præcipue medicamentorum internorum,

a) Vid. BONETUS in *Sepulchret. anatom. Tom. II. Lib. III. Sect. XIV. obſ. XIII.*

vel laxantium, vel carminativorum, vel antiſpaſticorum, temperantium atque reſolventium, ut ſalis Sedlicenſ. Decocti laxativ. Mannagett. pilul. Beccher. Eſſ. cort. aurant. carminat. Wedel. millefol. liquor. mineral. anodyn. Hoffm. pulv. antiſpaſtici Stahlii, ſalium neutrorum, vini medicati, &c. unde ab internis plane abſtinere externorumque ſolummodo auxilium petere cogebatur, inter quæ cataplaſmata emollientia paregoricis juncta, Emplaſtrum ex ſaponat. Barbette, de galban. crocat. & de hyoſcyamo compoſitum, ut & clyſteres mere emollientes, ex furfuribus triticeis in lacte decoctis, cum pauco oleo & ſale, vel ex ſolo oleo lini, ſale gemmæ acuato, levamen imprimis adferebant. Vires quoque admodum decantatæ Confectionis Hamech. cum Unguent. popul. non inexpertæ ſunt relictæ. Omnibus hiſce medicamentis nil amplius plane, quam dolorum conſopitio ad tempus quoddam procurata fuit, ſiquidem reliqua ſymptomata uno eodemque tenore affligebant, quibus adhuc linguæ ſcabrities, major refrigerantium appetitus ac tuſſis cum exſcreatione pituitæ albæ, aſſociabantur. Die 27. Decembr. poſt meridiem atrociſſimi, in regione imprimis iliaca dextra, dolores cum algidis ſudoribus, vomitibus, immanibus borborygmis, teneſmo ac animi deliquiis, tanquam inſeparabilibus inflammationis b) conſummatæ comitibus, recurrebant, quæ ſymptomata externorum ope, quantum fieri potuit, alleviabantur, ac inprimis ſuppoſitoriis & clyſteribus alvi reſeratio intendebatur, omnia vero incaſſum tentabantur, die quippe ſequente mane nil niſi nigra c) magna evomuit in quantitate, ac die 29. Decembr. poſt enormium

b) BOERHAAVE Aphoriſm. 960. HOFFMANNI *Med. Syſtemat. Tom. IV. part. I. Sect. II. Cap. 3. §. 3.*

c) HIPPOCRATES *Coac. prænotion.* p. m. 536. Vomentes nigra pernicioſe habent.

mium dolorum in regione iliaca, inprimis dextra, vomendi conatuum reliquorumque ſuperius enarratorum ſymptomatum recurſum, pomeridiana hora prima naturæ debitum placide ſolvit. Quatuor horis ante obitum in univerſo corporis habitu maculæ lividæ haud raræ jamjam emergebant. In toto morbi decurſu ne minima quidem pulſus intenſio aut motus febriles, nec in dorſo, hypochondriis, aut ano molimina obſervari potuerunt, ac animæ vires ad mortem usque incolumes perſtitere.

Tam pertinacis hujus adfectus cum nulla ſubeſſet ſufficiens ratio, 24. horis poſt obitum anatomica cadaveris inſpectio, ſecundum pie defuncti propriam voluntatem, fuit inſtituta, ubi

1) univerſum abdomen ad ulnam magis, quam ante mortem, expanſum & ita durum, ut digitorum tactui ne quidem cederet, deprehendebatur, unde conſultum ducebatur, in latere ſiniſtro inſtrumento *trois-quart* dicto, illud perforare, quo facto flatus, horrendo fœtore athmoſphæram implentes, maximo erumpebant impetu, quos inſequebatur materia flava, diluta, male olens.

2) Remotis integumentis, quæ involvunt abdomen, univerſa hujus cavitas alvinis repleta fecibus dilutis, omentum ad latus ſiniſtrum retractum & corruptum, ventriculus ad ſiniſtrum hypochondrium ac inteſtina craſſa verſus pelvim repreſſa offendebantur d).

3) Univerſum inteſtinorum ſyſtema inflatum, inflammatione corruptum ac ſideratum, inprimis inteſtinum cœ-

d) BONETUS *Sepulchr. anatom. Tom. II. Lib. III. Sect. XIV. obſ. XV. p. 221.* adnotavit ventris dolori obnoxiis inteſtina loco moveri, nec omentum omnia tegere.

cum ac coli initium in regione iliaca dextra, ubi etiam haud longe a proceſſu vermiculari illud ruptum e) erat, unde magna fecum quantitas erupit, deprehendebatur.

4) Ablatis & expurgatis fecibus, inteſtinum colon, ubi primum ſub ſiniſtro hypochondrio flectitur, forti ligamento (vid. *Tab. II. Fig. 1. lit. c.*) ad primam coſtam ſpuriam hujus lateris, ubi ſimul omentum erat connatum, adnexum videbatur.

5) Mox ſupra hocce ligamentum calloſitas, & paullo inferius foramen, tenuem admittens ſtylum, undiquaque cinctum excreſcentiis glanduloſis, talem materiam plorantibus, qualem in univerſo morbi decurſu dejecit, conſpiciebantur (vid. *Fig. 1. lit. b. d. & e.*)

6) Diſſecta hac inteſtini parte, univerſa cavitas tali excreſcentia glanduloſa in toto ambitu ita, ut nil niſi parvus canalis tortuoſus, in cavitatem abdominis tendens, ſupereſſet, claudebatur. (vid. *Fig. 2. lit. a. b. & c.*) f).

7) Subter hanc excreſcentiam glandulæ in ſtatu naturali vix notabiles, mox lentem, mox piſum, mox fabam æquabant, ſcirrhoque erant corruptæ.

8) Usque huc inflammatio & gangræna, inflatio & fecum copia ſe ſe extendebant, infra quippe hanc malam conformationem reliqua inteſtinorum pars ſana clyſteribusque repurgata erat.

9) Pancreatis glandula & parvus lien ſana.

10) Hepar magnum, fuſcum IV. libras ponderans, ac liquorem nigrum poſt diſſectionem plorans.

11) Ve-

e) Vid. HENRIC. ab HEER, Obſ. p. 54. HOFFMANNI *Med. rat. Syſt. Tom. IV. Part. II. Sect. Cap. IV. p. 296.*

f) Confer. BONETUS *ſepulchr. anatom. Tom. II. Lib. III. Sect. XIII. obſ. I. p. 192. Sect. XIV. obſ. 8. p. 216. obſ. XV. p. 221. & obſ. XXX. p. 242.*

11) Veſicula fellea magna, nigra materia repleta, quo etiam colore interna ſuperficies tincta erat, cum lapillis minutis nigris, inſtar pulveris tormentarii g).

12) Renes magni ſani.

13) In univerſo abdomine magis depletio, quam vaſorum oppletio, aderat.

14) Aperto pectore pulmones naturalis conſtitutionis in loco claviculæ dextræ fortiter connati; in cavitate dextra parum aquæ inſtar loturæ carnis, ac in ſiniſtra dimidia libra aquæ ſubnigricantis, offendebantur.

15) In cordis ventriculo dextro polypus mere carnoſus, tres pollices longus, unumque latus, tranſverſim poſitus, apici cordis & valvulæ ſemilunari pulmonalis arteriæ cohærens (vid. *Tab. II. Fig. 3.*) occurrebat, ac denique

16) in cordis thalamo ſiniſtro nil niſi parum ſanguinis congrumati obſervabatur.

EPICRISES.

Cauſſarum & ſymptomatum hujus tam rari adfectus demonſtrationem ſuppeditare nunc adnitenti, multa quidem explicatu difficillima obveniunt, pro ingenii tamen modulo, cuicunque propriam relinquens intactam ſententiam, ſequentibus theſibus, quantum fieri potuit, breviſſimis eandem includam, ſperans ſimul fore, ut electa proponendi methodus non plane repudietur.

§. I. Temperamentum melancholicum præ reliquis ad ſpiſſitudinem ſanguinis & viſcerum obſtructiones, ob ſanguinis tardiorem progreſſum, inprimis concurrente vita

g) BONETUS *Sepulchr. anatom. Tom. II. Lib. III. Sect. XIII. additament. obſ. I. p. 201.* alvi adſtrictionem a coalitu inteſtini recti, ubi veſicula fellis bile nigerrima ſcatebat, deſcribit.

vita ſedentaria , eſt diſpoſitum. Corrigitur quidem quodammodo cholerico ; hoc tamen non obſtante prædominanti temperamento congrui plerumque eveniunt morbi.

§. II. Vita ſedentaria , lucubrationes , animique ad res abſtractas intenſio , appetitum corrumpunt , digeſtionem ac alvi excretionem ſufflaminant , viſcerumque hypochondriacorum ac inteſtinorum tonum motumque quam maxime labefactant.

§. III. Morbus hypochondriacus eſt proprie nervorum adfectus , ex ventriculi robore & digeſtione deperditis , ingentis ſaburræ vitioſorum humorum primis in viis collectione , excretionibus neceſſariis interceptis, ac ſanguinis & excrementitiorum humorum ſtagnatione nervoſas partes vehementer afficientibus, ortum ducens.

§. IV. Prædicta hæc , quam maxime confirmant , inconſtans & mutabilis appetitus , ſodæ incommoda , urina alba , ſenſus gravativus ſub hypochondriis , flatuum copia , crebrior vertigo , reliquaque hypochondriacis familiaria ſymptomata.

§. V. Ventriculi robore & digeſtione corruptis , multa cruda & inconcocta ad ſanguinis maſſam deferuntur , hæc per ſanguinis circulum ad vaſa minima , ubi ſe - & excretiones fiunt , id eſt , ad partes præcipue glanduloſas , transvehuntur , quæ cum minimos glandularum tubulos penetrare nequeant, aptam obſtructionum præbent materiam.

De hujus theſeos veritate arcta mali hypochondriaci & Scorbuti affinitas , ac frequens ſtomacace in tali malo laborantibus , nullum prorſus relinquunt dubium.

§. VI. Elaſticitate ac fibrarum tono cujusdam partis ita debilitatis , ut cordis impulſui ea reſiſtere nequeat , variæ

con-

conditionis humores majori copia & impetu illabuntur, unde inflatio, intumeſcentia, inflammatio, ſi merus ſanguis rubicundus; tumor œdematoſus, ſi humor ſeroſus fuerit, inque partibus glanduloſis, infarctus, obſtipationes ac obſtructiones emergunt.

§. VII. Hæmorrhoidum fluxus, rite ſuccedens ætatique congruus, ſanitate conducit, ſaltem non officit, adfectus hypochondriacos alleviat, inveteratos autem raro in totum tollit; decoloratus vero utplurimum, inprimis longius durans, monſtri quid alit.

§. VIII. Pediluvia fibrarum ſtricturas relaxant, caloris vi impulſum cordis adaugent, humoresque ad corporis habitum, inprimis ad extremitates, alliciunt, unde magna iſtis derivandi ac revellendi facultas tribuitur.

§. IX. Aër frigidus ſolidas ſtringit fibras, denſat ac roborat, unde majori vi in humores qualescunque agunt eosque ad interiora repellunt; fluidas vero partes cogit, condenſat, ſanguinemque coagulat, unde obſtructio, inflammatio, exſiccatio, &c.

Toto cœlo itaque differentes ambo hæc edunt effectus.

§. X. His præmiſſis, eo facilius monſtroſæ hujus excreſcentiæ & inſequentis morbi iliaco-colici geneſis demonſtrari poterit. Temperamentum melancholico-cholericum, cum vita ſedentaria conjunctum, ut ſanguis citius ſpiſſeſcat, ac ſecretiones, ob motum ſanguinis tardiorem (§. I.), non tam vegete peragantur, appetitus, digeſtio alvique excretio ſufflaminentur & viſcerum tonus debilitetur, effecit (§. II.), atque infarctus, obſtructionis, ſcirrhique cauſſam προηγουμένην conſtituit.

§. XI. Effectus vitæ ſedentariæ mox in paſſionibus hypochondriacis ſeſe prodiderunt, quæ digeſtionem deſtruendo indigeſta ad maſſam ſanguinis deportando, liberum

rum per abdominis viſcera humorum circulum præpediendo, reſiſtentiam fibrarum labefactando (§. III), cauſſam mediatam proximam ſcirrhoſitatis glandularum, ſubter hanc excreſcentiam poſitarum, ſuppeditarunt & conſtituerunt.

§. XII. Inertior materia impacta & craſſior (§. VI.), emunctorium glandulæ occluſum, continuus retrorſum ad glandulam humorum adpulſus, latera hujus ad omnes plagas diſtenta ac dilatata, duritiem ac ſcirrhum glandulæ producunt.

BOERHAAVE *Aphoriſm.* §. *485.* inter ſcirrhi cauſſas materiem atrabilariam ſanguinis bilisve, maxime ceſſante conſueto menſtruo vel hæmorrhoidali fluxu, refert: Ut vero hæmorrhoides decolores hunc in cenſum quoque referantur, nil obſtare mihi videtur.

Quousque materia incluſa nullam contrahit acredinem, ſcirrhus eſt indolens, nec mali moris; ſimul ac vero corrumpitur carcinomatis genium induit.

§. XIII. Cujusdam glandulæ parte quadam, aut univerſo hujus parenchymate ſcirrho corruptis, emunctorio obſtructo, humorum copia continuo vi cordis impulſa (§. XII.), haud aliter fieri poteſt, quin integra glandula, ob denegatam fibrarum quoque reſiſtentiam (§. II. III. IV. X. XI.), expandatur, hæc dilatata proprias tunicas, limites alias ponentes, diſtendit, iſtæ quousque cedere poſſunt, rarefiunt, usque dum accidat ruptura. Facta dilaceratione & limitibus diſruptis vaſcula minima lympha nutritia, vi cordis impulſa, extenduntur, prolongantur, opeque appoſitionis particularum nutribilium viſcidarum in majorem increſcunt molem, unde ὑπερσαρκωσις, excreſcentia, mala conformatio ex mole aucta.

Secun-

Secundum majorem vel minorem particularum appulſum mox citius mox tardius incrementum capit; durante igitur colica celerius increvit, ut effectus hocce confirmat univerſalis, nempe alvina obſtructio.

§. XIV. Non aliam itaque præſentis noſtræ excreſcentiæ glanduloſæ, quam carnis luxuriantis aut deformationis ſcrophuloſæ geneſin mihi concipere, ſana ratione duce, licet, ſatiusque cauſſa alvinæ obſtructionis mediata proxima ſic explanata videtur: a poſteriori quippe facto, quod a priori demonſtratur, veritas nullo modo impugnari poterit.

§. XV. Fibris a pediluvio immediate relaxatis & emollitis, & cordis pulſu vi caloris adaucto (§. VIII.), haud aliter accidere potuit, quam ut major naturali ſanguinis quantitas ad partes exteriores corporisque habitum dimitteretur; hæc particulis ſalino-ſulphureis, mediante perſpiratione Sanctoriana excernendis, nimium ſcatens, per frigoris contrarium effectum (§. IX.) ad interiora, ubi inteſtina præ reliquis viſceribus juſta tenſione (§. II. III. X. & XI.) deſtituebantur, ideoque ad majorem ſanguinis copiam recipiendam præ cæteris magis diſpoſita erant, uno impetu repulſa, haud alium, quam iliaco-colicum producere potuit morbum. Quicquid enim vehementem tunicarum & partium nervoſarum in inteſtinis diſtenſionem, vel earundem ſpaſticam conſtrictionem, tanquam doloris colici cauſſam proximam, producere valet, illud cauſſam colicæ mediatam remotam conſtituit.

Perquam notum imo notiſſimum eſt, quam frequentes ſint diarrhœæ, dolores colici ac ſtranguria poſt refrigerium ſolummodo pedum, aut perſpirationem inſenſibilem ſuppreſſam, ſemperque, ſecun-

dum expertiſſimorum Medicorum monita, externi corporis habitus, atque internæ inteſtinorum ſuperficiei arcta conſpiratio in quotidiana praxi attendenda venit.

§. XVI. Prima itaque vice morbus iliaco-colicus a ſanguine, particulis ſalino-ſulphureis (§. XV.) turgido, quantitate juſto majori in inteſtinorum nervoſas tunicas impulſo, partim diſtendendo, partim criſpando ortus eſt, nec poſteris temporibus contrarius laxantium, purgantium, carminativorum ac ſalinorum, tanquam majorem fibris ſtimulum inducentium, inprimis præſente plenaria inteſtinorum per excreſcentiam glanduloſam obſtructione, effectus mirandus erit.

§. XVII. Ultimum adhuc ſupereſt, ſymptomatum nempe fiendi modum, ut accuratius adhuc tradam. Principaliora igitur hocce paragrapho paucis adhuc tangam.

a) Laſſitudo morbum iliaco-colicum præcedens a conſtrictione corporis habitus atque humorum retropulſione (§. IX. & XV.) ad interiora, ut mihi videtur, dependet.

b) Vomitus, ut in primi morbi acceſſu a fortiori extenſione partim, partim quoque a criſpatione fibrarum inteſtinalium nervearum (§. XVI.), præſente inprimis adhuc multa ſaburra, enormiores fuere; poſtea appetitu penitus depravato, ac inteſtinis a flatibus ultra modum expanſis, ita ut omnem quaſi tonum amiſerint, haud alii, quam mitiores eſſe potuerunt, etſi quidem a collectis per diem potulentis, quæ ob reſiſtentiam flatuum & fecum copiam, per reliquum inteſtinorum canalem libere tranſire haud potuerunt, ſingulo mane ſint reſuſcitati.

c) Borborygmorum enormium & tympaniticæ inflationis ratio in denegato, ob excreſcentiam glandu-

loſam,

loſam, exitu flatuum ſita eſt: hi quippe, in inteſtinorum canali ſtabulantes & incarcerati, caloris vi expanduntur majusque ſpatium occupant; fibræ inteſtinorum atque abdominis igitur, ſi reſiſtere (§. II. III. X. XV.) nequeunt, neceſſario extenduntur, unde quoque continuus dolor tenſivus lancinansque in regione umbilicali, tanquam ſenſibiliſſima in abdomine parte, ac ructus, nec non in principio flatus, malum alleviantes, facile explicari poſſunt.

d) Alvi excretionem ſpumoſam & quadantenus ſubfuſcam, cum pituita pellucida, ſtriis ſanguinis diſtincta durante morbo ab excreſcentia glanduloſa provenisſe, extra dubium eſt poſitum, poſt mortem etenim adhuc talem plorabat materiam.

e) Dolor ſub forti injectione clyſterum ab alliſione fluidi ad excreſcentiam coli, canalem obſtruentem ac obturantem, eſt productus.

f) Humorem nigrum, tam in hepate, quam veſicula fellea poſt diſſectionem repertum, a ſtagnatione ſanguinis, gangræna & ſphacelo in inteſtinis ac viſceribus connexis dependiſſe, vero eſt ſimillimum; nil aliud igitur, quam ſanguis corruptione depravatus, fuit.

g) Aquam diverſi coloris in pectoris cavitatibus fuiſſe repertam, non eſt quod miremur. Polypus quippe eximiæ magnitudinis ſanguinis circulationem in pectore quam maxime retardavit, unde ſeri exuberantia ac extravaſatio in pectore quam facillime fieri potuit. Ex hoc fonte tuſſis, ſub fine morbi adnotata, deducenda venit.

h) Quare externa topica, ex emollientium inprimis claſſe, præcipuum attulerint levamen, doloresque conſopierint, ratio haud in obſcuro latet: emolliendo quippe ac fibras relaxando, ut eo melius flatuum

 expan-

expanſioni partes fibroſæ cedere poſſent, effecerunt.

i) Maculæ lividæ, ante obitum jamjam enatæ, ſunt ſtagnationis ſanguinis in externo corporis habitu effectus, ab impedito ſanguinis circulo, ob inflammationem & gangrænam in viſceribus abdominalibus, dependentis.

Explicatio Figurarum Tabulæ II[da].

Figura 1. partem inteſtini coli, ubi primam conſtituit flexuram, ſub hypochondrio ſiniſtro, cum ſuis malæ conformationis vitiis ſiſtit.

a: pars inteſtini coli verſus cœcum vergens.

b: tuberoſitas inſtar calli dura.

c: ligamentum, quocum primæ coſtæ ſpuriæ annexum erat.

d: d: d: d: d: d: excreſcentia glanduloſa, pituitam ſtriis ſanguineis diſtinctam plorans.

e: parva apertura, in abdominis cavum tendens.

f: pars inferior coli cum corrugationibus ſuis.

g: ligamentum inteſtini coli.

h: h: h: h: h: appendiculæ adipoſæ.

Figura 2. Excreſcentiam glanduloſam ab inteſtino colo ſeparatam & per medium diſſectam monſtrat.

a: a: a: ambitus excreſcentiæ glanduloſæ.

b: b: b: meatus tortuoſus per excreſcentiam tranſiens.

c: c: aperturæ meatus, quarum ſuperior in cavitatem coli, inferior vero in abdominis cavum permeare indicatur.

Figura 3. Polypum in ventriculo cordis dextro repertum exhibet.

a: po-

a: polypi corpus.
b: b: polypi crura, quibus valvulæ ſemilunari arteriæ pulmonalis adhærebat.
c: crura apici cordis inſiſtentia.

(*Iſenaco Erfordiam miſſa, d. 12. Febr. 1745.*)

OBSERVATIO XLVIII.

DN. Lic. JOANN. JACOBI SCHLIERBACH.

Ex morbillis arthritis, ex hac oſſium crepitus in puella.

Puella paupercula, jam 17. annorum, ſanguineo-melancholica, aliquomodo proceræ ſtaturæ, decimo tertio ætatis anno morbillis decumbit, hisque deſiccatis, in febrem paulo poſt, cum frigore & æſtu inſequente, incidit, quam preſſo pede excipit arthritis vaga, omnes artus perreptans. Cum ergo diu multumque ab illa cruciata & emaciata fuiſſet, a doloribus ſenſim liberatur, relictis aliquamdiu in juncturis pedum & manuum nodis dolentibus. Ad hos profligandos ruſticus medicaſter unguinoſa emplaſtica imprudenter adhibet, hinc artus mire deturpati & robore deſtituti, greſſu potiſſimum vacillante diu detinentur, donec tandem pedes, aliquomodo confirmati, ambulandi potentiam acquiſiverint. A tempore itaque aliqualis reſtitutionis a morbo illo moleſto arthritico, laborat adhucdum per 4. annos, cum hæc ſcribo, oſſium ſtrepitu, ſeu crepitatione omnium fere juncturarum, præſertim genuum, & quidem ſatis evidenti, ita ut inter deſidendum & reſurgendum oſſa mutuo conatu crepitare audiantur, perinde, ut aridæ nucum teſtulæ, dum attrectantur. Nihil vero alias incommodi etiam hoc tempore a tali malo ſentit & utcunque ambulat, niſi

quod artus interim aliquo modo flaccidi & relaxati videantur.

EPICRISIS.

Nullus fere morbus eſt, qui tam facile varii generis incommoda poſt ſe relinquit, quam morbilli, quanquam alias Variolis benigniores habeantur, in eo tamen his ſenſibiliores merito reputandi ſunt, præſertim quando tranſpiratio poſt morbum aliquomodo ſuperatum non debite con-& obſervatur. Facile enim tunc ſuccedunt pectoris affectus ſontici, aſthmata, infarctus pulmonum, tuſſes graves, artuum defœdationes, exulcerationes, & alia quamplurima periculoſa pathemata; quemadmodum & hic obſervare licuit, quod in noſtro ſubjecto, morbillos, ubi, propter tranſpirationis inſenſibilis minus decentem conſervationem, materia peccans ex parte in humoribus remanebat, exceperit nova febrilis commotio, quam preſſo pede inſequebatur arthritis vaga, artus omnes dire excrucians. Et hinc in hoc morbo admodum ſolemne exiſtit, ut, quando ægroti aliquomodo negliguntur, aut incurioſe tractantur, neque in perpetua diapnoë conſervantur, facile ex remanente, circa articulos præſertim, materia impura, exſurgant nodoſi tumores, artus movendi potentiam remorantes, ligamenta eorum extendentes & debilitantes; quando dein ad hos nodos debellandos non reſolventia, diſcutientia & tranſpirationem promoventia, ſed horum in locum inviſcantia & unguinoſa adhibentur, uti hic factum eſt, materia eliminanda, juncturas magis magisque debilitans, inſpiſſatur, partes muſculoſæ, juncturæ & ligamenta relaxantur, & robur eorum notabiliter læditur, unde dein ſucceſſive ſecretio humoris, ad faciliorem articulorum motum neceſſarii, turbatur, hocque facto, defectus lubricationis articulorum omnino cauſſa ſtrepitus oſſium evadit, prout hoc pluribus egregie demon-

monſtravit Celeberrimus Dn. D. HERTIUS, Gieſſenſ. in Diſſert. inaugural. *de Crepitu oſſium.* Axungia vero illa, quæ ab HELMONTIO & PARACELSO *ſyno-via* vocatur, propullulat e glandulis juncturarum lymphaticis, & eſt in naturali ſuo ſtatu viſcoſitas quædam diaphana, albida, ad inſtar fere albuminis ovorum pro lubricatione articulationum & avertendo moleſto earum ſtrepitu deſtinata, qui, depravato & coagulato tali humore, partibusque his dein exſiccatis, abſolute demum ſubſequitur. Sic enim ſolide id adnotavit *Felix* PLATERUS *Tract. de funct. læſ. cauſſis impotentiæ motus,* hiſce verbis: *Exſiccatis & induratis ligamentis, conſtrictisque & calloſis, aut tophis in Podagra, aut nodis impeditis, articulorum illorum motus fixus & immobilis manet, aut alioquin ægre moventur, & ſtridorem nonnunquam & fragorem, ac ſi rumperentur, ſi majori vi urgeantur, edunt.* Similiter quoque SENNERTUS, *Pract. Libr. I. Part. II. cap. 26.* de motus impotentia ſcribit; *Si exſiccentur nimium & indurentur ligamenta, id quod in calloſa & nodoſa podagra fieri ſolet, articulus & membrum immobile manet, vel ægre movetur, & cum movetur, ſtridor aliquis & fragor, ac ſi rumperentur, percipitur.* Hinc etiam Illuſtr. b. m. HOFFMANNUS *in Med. rat. ſyſtemat. Tom. I. pag. 224.* de ſcorbuticis ita dicit: *Glandulis articulorum mucilaginoſis, aridis, exſuccis redditis, ſtrepitus oſſium, peculiare ſcorbuticorum ſymptoma, producitur.* Plura exempla de tali oſſium ſtrepitu vid. apud *Thom.* BARTHOLINUM, *Cent. III. Hiſtor. anat. II.* itemque in *Act. Nat. Cur. Dec. I. Ann. III. obſ. 275.* ac *Ann. IX. & X. obſ. 129.* item *Dec. II. Ann. V. obſ. 97. & Cent. I. p. 196. Append.*

OBSER-

OBSERVATIO XLIX.

DN. Lic. JOANN. JACOBI SCHLIERBACH.

Hæmorrhoides menſtruæ in puero undecenni.

Puer cholerico-ſanguineus, gracilioris conſtitutionis, a patre cholerico-ſanguinei & matre ſanguineo-phlegmatici temperamenti prognatus, undecimo ætatis ſuæ anno, præviis dorſi & ventris doloribus, hæmorrhoides fluentes experitur, quæ per tres annos regulariter ſingulis menſibus recurrentes, vitam ac ſanitatem in ſtatu ſatis tolerabili conſervant; quum vero dein per quatuor periodos ſubſiſterent, ventris cruciatus, cum dorſi tractionibus dolorificis, ſtatim præſto erant, ſubſequente brevi poſt urinæ ardore & inſigni ſcroti tumore. Vocatur hinc in auxilium Chirurgus, qui, hæmorrhoidalis negotii plane neſcius, hunc tumorem pro hernia ſcrotali declarat, & idcirco ſacculos ex herbis nervinis paratos & in vino coctos imponit, unde tumor ille diſcutitur, herniam vero in mente ſibi fictam, tollere tentat ope faſciæ & emplaſtri ſtiptici, exhibito ſimul interne liquore quodam in ſpiritu frumenti, a cujus uſu ſanguinis orgaſtica commotio ſatis vehemens inducitur, inſimulque congeſtiones impetuoſiores verſus ſuperiora concitantur, cum anxietate præcordiali, capitis temulenta perturbatione, & terriculamentis in ſomno, ut de nocte ſurgeret, & ſui plane non conſcius per domum hinc inde oberraret, quæ tamen ſymptomata, exhibito aliquoties pulvere contemperante nitroſo, non ſolum ſtatim iterum mitigabantur, ſed &, redeunte tandem & more ſolito continuante fluxu hæmorrhoidali, prorſus evaneſcebant.

SCHOLION.

Hæmorrhoides, quanquam in adultiori & virili ætate, ſecundum HIPPOCRATEM, omnesque recentiores Medicinæ Antiſtites, ſolenniores exiſtant, juniorem tamen ſubinde, ipſamque puerilem non raro infeſtare ſolent ætatem, inprimis ſi hæreditaria in ea ſimul accedat diſpoſitio. Ita in Hiſtoria medica hinc inde notati occurrunt caſus, de præmaturo ejusmodi fluxu hæmorrhoidali, v. g. in puero trium annorum, in *Annal. med. phyſ. Wratislavienſ. Ann. 1726. Menſ. Jul. Claſſ. IV. Art. 18. pag. 137.* in puero 4. annorum, in Illuſtr. Dn. PRÆSIDIS hujus Academiæ *Miſcell. phyſic. med. mathem. Ann. 1730. Menſ. Decemb. Claſſ. IV. Artic. 6. pag. 1522.* in puero ſexenni, in *Act. Nat. Cur. Dec. I. Ann. VIII. obſ. 22. Dec. III. Ann. IV. obſ. 5.* in puero decenni, in *Act. Nat. Cur. Vol. I. obſ. 217. pag. 480.* De hæmorrhoidibus autem menſtruis in ætate puerili notatis, videantur *Acta Nat. Curioſ. Dec. I. Ann. IX. & X. obſ. 178. Dec. II. Ann. IV. obſ. 97. Dec. III. Ann. V. obſ. 5. Cent. I. & II. in Append. pag. 202. Cent. VII. obſ. 36. Cent. VIII. obſ. 36. & Cent. IX. pag. 105.*

(*Battenberga Erfordiam miſſæ d. 7. Mart. 1745.*)

OBSERVATIO L.

DN. D. GOTTL. HENR. KANNEGIESSER.

De

Adſtringentium efficacia diaphoretica.

Quicquid per corporis excluditur peripheriam, haud diſſimili quandoque copia ſolet promanare; intuitu igitur hujus iſta in *halituoſam*, ſeu *diapnoën*, & *aquoſam*, ſeu *ſudorem* commode dividitur excretio. Placide in illa, tranquille

& inſenſibiliter quaſi, pauca & ſubtiliſſima ſeri portio per corporis decedit poros, hincque omnibus morbis, utpote univerſale totius corporis, quo ipſo vitæ obtinetur longævitas, exiſtens depuratorium, judicatur proficua. Sudore vero omne excernendum impetuoſius & majori ejicitur quantitate; atque ita excipit hoc illud, quod multis haud conveniat morbis.

Quibus autem ſanguis turget particulis, earum quoque diaphoreſi imprimuntur veſtigia; ita hæc pro diverſis ejus qualitatibus erit vel ſalſa, acida, amara, vel dulcis; vid. GARMANNUS *Tit. VI.* §. *69.* odorem ſpirans graveolentem, vel ſuavem, ſiquidem moſchum redolens adducitur in *Act. Nat. Cur. Dec. III. Ann. IX. obſ. 96.* A colore etiam, qui ex pallido ſubflavus eſſe debet, diaphoreſeos petenda eſt differentia, ſic enim GARMANNUS *Libr. II. Tit. II. & IV.* §. *69.* cœruleum, violaceum, nigrum, miniatum, atque alios, a naturali multum recedentes, ſudoris enumerat colores. Pariter etiam diaphoreſis vel frigida erit, vel calida, & ſi auribus perceptibilem addere velim qualitatem, in ſonoram & ſilentem poſſet quoque diſtingui: Laudatus enim GARMANNUS ſudoris guttas ſonoras & cum ſtrepitu erumpentes citato notat loco; conferatur quoque SANCTORII *Medic. ſtatica, Sect. I.* §. *5.* Innumeris omne corporis punctum patet foraminibus, atque vaſculis tenuiſſimis intertextum deprehenditur, e quibus æqualiter ſemper & ubique ſubtiliſſimum excrementitium, pro humorum temperatura, eliminari neceſſum eſt. Accidit tamen, viæ præcipue ſi non æqualiter ubivis patulæ fuerint, vel ſi minor ſit vis naturæ, quod non ex toto corpore, ſed ex partibus tantum, v. g. capite, fronte, pectore, &c. halituoſum propullulet; unde hanc *particularem*, illam *univerſalem* inſignire ſolent diaphoreſin.

Temporis intuitu, quo e venis per corporis habitum humor expellitur, diaphoreſis in *criticam*, & *ſymptomaticam*, *diurnam*, & *nocturnam*, *continuam*, & *interſectam*, *&c.* diſtinguitur; atque hoc ipſum tempus morborum præſagiis haud parum adfundit lucis, quippe quo vel bonum eventum, vel pernicioſam malorum auguramur congeriem. Pro cauſſarum denique varietate, vel *naturalis* ſeu *ſpontanea* i. e. a latente intus cauſſa evecta, vel *artificialis*, concinna nimirum medicamentorum adhibitione, vel quocunque alio modo ſtatuitur producta. Quum vero etiam proinde ſeroſum humidum in corpore ſcateat partibus ſubtilibus acribus ſalino-ſulphureis, vel ſeri portionem nimium fundentibus, vel in vaſorum parietes agentibus, atque ita humorum motum citatiorem reddentibus, utique hinc, ſi excitata fuerit diaphoreſis, iſtis non minima impertiri debet culpa. Quicquid igitur intus adſumptum eadem agendi, ſanguinem nimirum incidendi, reſolvendi & commovendi gaudet efficacia, atque talem, pro ſuæ activitatis modulo, vel majorem exſerit, vel minorem, illud diaphoretici, vel ſudoriferi poſitivi meretur titulum.

His autem oppoſita ſunt, & in contrarium plane nituntur, *adſtringentia*, quippe quæ irritativis ſuis particulis, quarumcunque humani corporis partium cohæſionem majorem reddendo, fibram tanti participem faciunt roboris, ut humoribus, impetu etiam ferociori adfluentibus, commode reſiſtere, exitumque poſſit præcludere. Hac ipſa adſtringentium idea, eorundem innoteſcit natura, quod nimirum ad cohibendum magisque reprimendum potius ſudorem, quam ad promovendum & educendum eundem, apta ſint atque idonea. Non in ſolidas vero tantum, ſed in fluidas quoque noſtri corporis partes, licet tunc *incraſſantium* potius veniant nomine, diſpoſita atque directa eſt adſtringentium actio, quo circa humorum augendo cohæſionem, atque il-

 los

los ad motum ineptos reddendo, pro ſudoris cohibitione paginam faciunt utramque.

Rebus itaque ſic comparatis, adſtringentia ad diaphoreſin poſitive ne minimum quidem poſſe conferre, veritati maxume videtur conſentaneum, privative vero quid præſtent, ſi ad rationis perpendimus trutinam, dubium omnino relinquitur, utrum ad promovendam & excitandam, vel cohibendam potius diaphoreſin, efficaciora deprædicanda ſint talia remedia. Præter poroſum corporis habitum, ne aquoſæ partes globulorum inſtar in tabulam poroſam rapidiſſime projectorum, prætervehantur & ſubterfugiant vaſorum oſtiola, non impetuoſus, ſed moderatus & tranquillus ad ſudationem requiritur motus. Adſtringentia, cohæſionem partium fluidarum quarumcunque majorem reddendo, humoribus ſpumeſcentibus ponunt remoram, motumque eorum retardant.

Quemadmodum vero impedita hæc excretio a nimia humorum agilitate & reſolutione eſt derivanda: ita & plus juſto major eorundem cohæſio ſudorem ægre reddit ſuccedentem. Præcipuum ſane diaphoreticorum, in febribus continuis, ſcorbuto, peſte, &c. exhibitorum, quibus quippe ſanguineæ maſſæ partes a morbifica cauſſa jam reſolutæ, tenuiores magis atque leviores, conſequenter ad novam reliquarum partium deſtructionem redduntur aptiores, exinde reſultat damnum. Ideo ſi ab intus latente cauſſa, ſpontanea jam præſto eſt ſanguinis reſolutio, vel ſi artis auxilio aliqua talis ſit provocanda, pro moderamine videlicet motus, frenum & calcar adjiciamus ſimul, i. e. diaphoreticis adſtringentia ſemper commiſceantur remedia, ſi quæ per poroſam corporis peripheriam ſuccedat excretio. Sine dubio ad id etiam intendunt animum, qui pro uno diaphoretico varii generis ſimul conſtituunt ingredientia, ita ut mucilaginoſa, abſorbentia, præcipitantia, acida, opiata, atque alia

hujus

hujus commatis deprehendantur ſociata & in formulis præſcripta. Solam nobiſcum ſi conſideramus theriacam, ſpecioſum atque haud celebrandum ſatis remedium diaphoreticum, nonne illa ex adſtringentium & diaphoreticorum farragine congeſta? Hanc citra opium, quod utique ſub adſtringentibus militat, ſudorem movere, atque ſuam non poſſe efficaciam præſtare, cum PLATERO quoque aſſerit WALÆUS his verbis: Medicamenta ſudorifera pauca vera ſunt, & inter hæc excellit Opium; quod theriaca, quod mithridatium ſudorem moveant, hoc omne ab admixto faciunt Opio. Expertus ego ſum, hæc duo electuaria absque opio præparata ſudorem prorſus non moviſſe. Conf. *A. N. C. Dec. II. Ann. V. obſ. 16.* & SCHWALVE in *Diſquiſit. therap. Sect. IV. p. 89.*

Pendet videlicet ſanguinis rarefactio, ſeu reſolutio cum turgeſcentia ejusdem, vel a præternaturali ſulphuris liberatione, & exaltatione, vel a ſale peregrino alcalino, ſcindente, dividente atque ſanguinis ita ſphæricam deſtruente figuram. Haud alia ratione agunt poſitiva ſic dicta diaphoretica, cum plurima eorundem texturæ & craſeos omnino ſint ejusdem, quorum tamen vis nociva adſtringentium connubio infringitur. Acidum adſtringens ſulphur reſolutivum figit & obtundit, alcalinas vero, tam fixas, quam volatiles partes, cujus ſalis infenſiſſimus ſtatuitur hoſtis, deſtruit & invertit, immo in neutrum, ſalſum & naturæ amicum transformat. Itidem hoc de terreis reliquis præcipue valet adſtringentibus, quæ præter hoc, quod de ſalino acido participent principio, peculiari ſimul gaudent textura, ut ſalinas alcalinas deſtructas partes recipiant inque poris ſuis occultent.

Quicquid igitur de adſtringentibus hactenus licuit effari, quum in eo præcipua poſita ſit illorum ἐνέργεια, ut fundentibus particulis vel ſalinis, vel ſulphureis reſiſtant illasque

que deſtruant, atque humoribus in orgaſmo conſtitutis placidum tranquillumque concilient motum, de privativa magis eorundem valet efficacia. Poſitis vero & iis, quod adſtringentia inſita & propria ſua vi, non ſolum in fluidarum, ſed & in ſolidarum quoque humani corporis partium agant fibras, ſtringant corrugentque easdem, diſpoſitive quoque illa ad perſpirabilitatem ſudorisque proventum non minimum conferre, evincit dictitatque ratio. Etenim cauſſas ſi perpendimus, præter adductas dantur & aliæ, quibus perſpirabilitas remorari poteſt & impediri, a fibra nimirum vel in diverſis partibus, vel in tota corporis ſuperficie debili; illud in ſudore particulari, hoc in cachecticis deprehendimus & hydropicis, in quibus ob laxum pororum corporis ſtatum difficulter omnino & ægre ſuccedit perſpiratio. Nullum, quin poroſum ſit, corporis exiſtit punctum; pori habent interſtitia, hæc ſuis quoque gaudent poris, pori interſtitiis, atque iterum hæc non deſtituta ſunt poris. Tres viæ ſunt, per quas aliquid in corporis ſuperficiem exponitur: una notabilis & oculos vix effugiens, pori ſeu tubuli cutanei, e ſingulis glandulis enaſcentes, *ſudatorii* merito vocandi; alteræ quidem viæ minus conſpicuæ, ſed ad cutis preſſionem cuticulæque reduvias lympham copioſe ſtillantes; tertiæ viæ ſunt minima & indiviſibilia corporis perſpirabilis & roreſcentis puncta, notante PECHLINO, *de habitu & colore Æthiop. Cap. VIII. p. 87.* Hujus nonnulla vaſorum oſtiola tantæ ſunt exilitatis, ut, ſi LOEWENHOECKII opinioni reſpondet calculus, in grani ſabuli minoris ſpatio illorum hient 125000. Tota reticularis corporis ſuperficies ſi æqualiter laxa & diducta, omnium pororum diameter ſimilis etiam redditur atque æqualis: e pororum vero æquabilitate, eorundem, præcipue tamen naturaliter ampliorum, reſultat coarctatio, & in hoc fundata eſt ratio, cur hydropicorum & cachecticorum laxus corporis habitus, diaphoreticorum fallat

prox;

prorſus eludatque uſum. Adſtringentia in ejusmodi corporis habitu adplicata, fibras, quas contingunt, corrugant: tracta vero harum una trahit & alteram, illamque ad ulteriorem ſtimulat irritatque contractionem. Contingit itaque, quod vel pori ſecundi & tertii ordinis, in primi ordinis pororum interſtitiis reperiundi, vel primi ordinis pori, laxo corporis habitu inter ſe æquales redditi, coarctentur, & in minus iterum redigantur ſpatium. Mutata hac omnium pororum conſtitutione, quidam in diametro ampliores & quidam illorum fiunt anguſtiores, i. e. extra æquilibrii ſtatum ponuntur. Conſtrictis enim & anguſtatis ſecundi ac tertii ordinis poris, primi ordinis poros diduci neceſſum eſt; primi vero ordinis pororum contractio, ſi plus juſto fuerit major, minores, i. e. ſecundi & tertii ordinis pori, majorum, i. e. primi ordinis pororum, ſubeunt vices. Paucis ut me expediam, ob pororum æquabilitatem maxime vacillat perſpirabilitas, adſtringentium vero remediorum uſus inæqualem reddit pororum ſtatum, conſequenter & hic non exiguum perſpirabilitatis ſuggerit adminiculum. Equidem effectus talis, intuitu totius ambitus adſtringentium, deprehenditur, ſuam tamen & particulariter exſerunt efficaciam. Non ad laterales vaſorum poros tantum, ſed pro ſuæ activitatis modulo ad totum quoque canalem eorum vis dirigitur. Itaque ſi in vaſorum compage quædam coarctatio & conſtrictio accidit, alveum ſuum relinquere & aliud ſpatium quærere cogitur humidum; hoc vero in quibusdam vaſis denegato, humor expreſſus in aliud irruit iterum, vaſa præternaturaliter extendit, eaque ad ſui ipſius tranſudationem diſponit, quale quid in omni coarctivo & oppreſſorio ſudore admittere, non foret abſonum. Utraque, vel internorum, vel externorum conſtrictio, ſive ab intus latente, vel extus admota cauſa fuerit producta, ſeroſi laticis inducit profuſionem. Ad illud exemplum, ſi hiemis tempore e calido in frigi-

frigidum quis ſubit mutationem, repente facta a frigore pororum conſtrictio cutis vaporem viſu reddit perceptibilem; major vero ſi fuerit frigoris inclementia, erumpunt lacrimæ, vel narium contingit ſtillicidium. Primo frigoris contactu ſpiramenta inæqualia, diutius vero perſeverante, æqualia evadunt iterum. Facta hac pororum in corporis ambitu æquabilitate, fluidum in alia cogitur irruere loca, brumæ hinc tempore crebriores obſervantur diarrhœæ, immo ad hæmoptyſin, narium atque uteri hæmorrhagiam, vel renum ſudationem major eſt diſpoſitio. Animi perinde incaleſcentia, vel ex indomita ira, vel inſigni & vehementi gaudio enata, pariter repentinus terror, vel timor acerbus, ſudorem cum anxietatis vel hilaritatis exprimit ſigno. Talium vero pathematum cauſſa, non in ſanguinis reſolutione intimiori, ſed vaſorum compagis unius conſtrictione atque alterius nititur relaxatione & dilatatione. Ex bono præſenti vel futuro, lætitia æque ac effrenata ira, vaſorum interiorum conſtrictionem, extremitatum vero eorundem dilatationem facit & amplificationem. Terrore & timore vaſorum extremitates conſtringuntur, hincque omnis generis fluida a peripheria impetuoſe compelluntur ad interiora; vaſa majora magis, quam par eſt, replentur & extenduntur. Vaſa hæc majora, ad certum gradum extenſa, propria ſua elaſticitate denuo ſe reſtituunt, atque humidum adpulſum eadem efficacia in extrema expellunt vaſa. Minora vaſa ægrius majoribus humorum ſuſtinent impetum; hinc in iisdem vel diæreſis ſubſequitur, vel pori laterales quidam tantum in diametro fiunt ampliores. Sic vaſorum poris extra æquilibrii ſtatum poſitis, poſt terrorem & timorem anxius oritur ſudor, vel particularis, vel univerſalis; immo ſi ſubitus mortis timor occupaverit pectus, pro exceſſivo hoc conſtrictionis gradu, cruentus ſæpe procedit ſudor. Poſt terrorem, diarrhœam atque urinæ incontinentiam accidere quibusdam, res eſt Practicis inprimis notiſſima, & quod in adul-

tis

tis haud ita ſæpius obſervamus, id in infantibus, quorum vaſa tenuioris ſunt texturæ, toties experimur, quoties vel verbis, vel verberibus timor iisdem incutitur.

Eadem adſtringentium per guttur detruſorum omnino vis eſt. Contingit eorum contactus vel æqualiter ubique, vel puncto diverſo tantum. Utraque ratione efficacia diaphoretica haud emicat obſcure. Omnibus enim per canalem, e. g. alimentarem, tenſis vaſorum oſtiolis, humidi contenti una portio exprimitur, altera in aliud ſpatium promanare cogitur; diverſis oſtiolis tantum conſtrictis, & dehiſcentia & occluſa ſtillant humidum.

Innititur huic hypotheſi, quod hecticorum & ſcorbuticorum ſudores ſic dicti *colliquativi*, itemque diarrhœæ, non a reſolutione & deſtructione humorum tantum, ſed a facultate quoque retentrice in diverſis partibus debili, ſumant originem, quæ facultas nonniſi una fibrarum compage relaxata, & altera conſtricta, vigorem mutat ſuum. Hac ergo ratione ſæpius uno tempore & in uno ſubjecto e cutis & inteſtinorum poris colliquativus prorumpit ſudor, ſed furente uno mox vacillat & alter: adeoque in ejusmodi caſu tale cohibiturus profluvium, confeſtim ſudoris prolicit guttas, viciſſim hac excretione repreſſa longius dimanat altera.

Fluida coërcere & intra terminos continere adſtringentium quidem vis eſt, ſuis tamen circumſcribuntur limitibus, & qui non in contrarium vult incurrere, eorum adhibitionem omni mentis acie deſpiciat. Quælibet enim vel per poroſum corporis ambitum, per renum, inteſtinorum, vel reliquarum partium percolantes glandulas contingens humoris cujusdam exſudatio, pro pororum diverſa conſtitutione cohibetur, modoque augetur iſtis adſtringentibus. Sic diarrhœam, diabetem & cruentationes quascunque ſiſtunt ſæpe ſufflaminantque feliciter, contingit vero etiam, ut ipſæ fluxiones demulcentibus & relaxantibus melius cedant, quam

 ad-

adſtringentibus, quemadmodum etiam pariter rebellis alvi obſtipatio, urinæ retentio atque ſudor ſuppreſſus, iisdem optime reſtituuntur.

(*Kilonio Holſatorum Erfordiam miſſa d. 26. Mart. 1745.*)

OBSERVATIO LI.

DN. D. JO. GOTTLIEB de BOETTICHER.

De

Singulari Vertigine tenebricoſa, tam idiopathica, quam ſympathica, feliciter curata.

Juſtitiæ Conſiliarius R. 54. annorum, temperamenti cholerico-ſanguinei, ad iram valde pronus, hinc rixoſus & contentioſus, qui tribus abhinc annis febre ſynocha graviſſime laboravit, feliciter tamen eandem ſuperavit, inſuperque multos per annos ab adverſa fortuna immaniter exagitatus, multasque intra eorum curſum ærumnas haud leves paſſus fuit, quas inter non minima erat, quod ultra octo annorum ſpatium civiliter captivus retentus fuerit, non ſolum ambarum aurium ſuſurru & tinnitu, cum conjuncta obauditione, ſed & vertigine tenebricoſa & calamitoſa hucusque diro adfligitur modo. Ingruente vertigine cardialgia tam atroci vexatur, ut e veſtigio & vomitus enormis materiæ ſeroſæ, mucoſæ, acris, allioſæ, acidæ, corroſivæ, quandoque auſteræ, & alvi laxitas copioſa ſubſequatur. Quin & ea adpropinquante, ſub calvaria & paulo profundius in cerebri latifundiis, ſenſum primo motus doloroſi & contractivi, atque per totam tantum non calvariæ circumferentiam ſe extendentis, ac deinceps ſenſum motus collectæ, tam ſub calvaria, quam in cerebri confiniis, gravantis, prementis, vellicantis, nec non certum quendam locum petentis,

tentis, ibidemque uſque ad vertiginis ceſſationem commorantis materiæ, animadvertit, immo etiam inchoante & præſente, vel adfligente vertigine, tam ſupra calvariam, quam infra eam, adeo dirum & immanem ſemper ſentit dolorem, ut apicum digitorum vel leviſſimum attactum haud permitteret, & tum ſemper conquerebatur, videri ſibi ac ſi cranium vi quadam divelleretur, & aër frigidulus cerebrum haud levi cum concuſſione ita adficeret, atque ſub tali paroxyſmo tamdiu in quiete, vel ſedendo, vel cubando, ſine ullo capitis, membrorum aut ipſius corporis motu, continere ſe debuit, donec vertigo ceſſaverit, ſecus enim ſubito trunci inſtar in terram concidebat. Ultra ſemihoram tyrannidem raro ſuam exercebat hic affectus, hocque termino elapſo æger ad priſtinum ſuum redibat vigorem. Nullo autem tempore, vel matutino, inprimis ante paſtum, vel nocturno, ſecurus a tali hoſte eſſe poterat, & hinc ultra horam decimam antemeridianam, niſi graviorem experiri vellet inſultum, a cibis abſtinere nequibat, ſique nocturno etiam expergiſceret tempore, ſuasque cogitationes ad res ſerias cum meditatione dirigeret, ſtatim ab adfectu iſto corripiebatur, neque etiam, ſi modo ſitum, ab uno latere in aliud ſe volvendo, mutare ſeu ſupine cubare anniteretur, ab ea ſecurus erat, eaque propter per totam noctem unum eundemque fixum locum tenere cogebatur. Similiter quoque nec inſtantibus lunæ phaſibus, inprimis adparente plenilunio, nec ſub cœli inclementia, vel durante tempeſtate pluvioſa, ventibus comitata, vel gelu præhorrido exiſtente, ab ea liber manebat, quin potius, ſuſurru & tinnitu aurium, nec non obauditione, utpote pathematibus quotidianis ſolito gravioribus aliquandiu prægreſſis, preſſo pede diriſſima talis inſequeretur calamitas, tamdiu perſeverans, quamdiu ſtataria erat tempeſtas, & quamdiu plenilunium apparebat; declinante autem iſta, ceſſante gelu, diſparente lunæ phaſe,

& accreſcente, itemque ſereniori & clementiori cœlo, præfata ſymptomata tolerabiliora exiſtebant, & conſuetum ducebant chorum. Et dictæ hæ circumſtantiæ, ne quidquam omittatur, quotiescunque deſcriptam inferebant exacerbationem, toties quoque lecto adfixum tenebant ægrotum noſtrum.

Proinde etiam, 2) eundem matutinis horis vertigo, præcedente præcordiorum anxietate & vomituritione, plus minusve gravis adfligit, quando cum animi attentione aliquid legere, vel ſcribere, aut de rebus arduis cogitare vult, aut ſi ex improviſo ad iram commovetur, terrore percellitur, vel gaudio perfunditur; quemadmodum etiam illa 3) recurrit, quando vel inopinato, vel celeri nimis motu in altum oculorum aciem vibrare, vel objecta lateraliter paululum attentius adſpicere, vel inferne ea per momentum ſaltem intueri ſolet; nec non 4) ſi quietus in ſella, dum barba v. gr. abraditur, ſedet & ex abrupto ejus caput ab uno latere in aliud vertitur, vel ſi etiam ipſe caput lateraliter detorquere, vel veſtimenta induere conatur; porro 5) ſi vel eminus, vel cominus aciem oculorum in aliqua objecta conſtanter & attente dirigit, ac denique 6) ſi ad alvum adſtrictam exonerandam plus ſolito majorem impendere vim cogitur. Ab hiſce autem cauſſis eo citius vertigo deſiit, quo magis tranquille æger in ſella vel lecto ſedit, vel decubuit, & quo citius & validius manibus oculos tetigit, eosque intra orbitam quaſi retropreſſit. Ceterum præſente vertigine in utroque carpo pulſus obſervabatur debilis, tardus, & quandoque inæqualis. Palpitatio cordis aderat frequens, cum pulſu celeri, duro & inæquali. Alvus mox erat valde adſtricta, mox laxior, adeoque inconſtans. Et licet ciborum adpetitus fere ſemper eſſet integer, poſt paſtum tamen de ventriculi inflatione, flatuum copia, ructibus copioſis & borborygmis, valdopere conquerebatur. Quo largius, contra conſuetudinem, cœnabat,

nabat, eo graviori, die inſequente, vertigine corripiebatur. Jam, Deo ſit laus! ab hoc malo perquam ſontico quoad maximam partem eſt liberatus, ut officia ſua tam legendo, quam ſcribendo & meditando, hilari cum animo, promptius exequatur.

Quoad curationem in principio ſtatim enemata per vices injecta; deinde potiones laxantes, ex Manna Calabr. depur. Rhabarb. orient. terra foliat. tartar. & ſimilibus, cum aqua flor. acac. paratæ, ſimiliter per intervalla, cum præmiſſis ſemper ſalibus digeſtivis & paucis abſorbentibus, adhibitæ fuerunt, iisque ſic in uſum ductis, pediluvia per octiduum veſpertinis horis ſubjungebantur, ac deinceps Venæ ſectio primo in pede, deinde in brachio, ac denique in fronte, per certa intervalla, ſeu interpoſitis certis diebus, debite celebrata fuit. Ulterius quoque decocta & infuſa ex anticatarrhalibus, cum Eſſentia ſimilis virtutis & mixtura quadam nervino-balſamica, matutinis ſemper horis, veſperi autem & circa noctem, pulveres nervini & antiſpaſmodici, cum paucis granis Nitri depurati, vel arcani duplicati, in debito vehiculo, per ſex ſeptimanas, eximio cum fructu exhibebantur. Poſtea martialia, tam in liquida, quam in ſicca forma, ſubjuncta debita corporis motione, mox vehendo, mox equitando, mox ambulando, per duorum menſium ſpatium; cum eximio ſanitatis incremento, adhibuit. Sub uſu horum remediorum, immo & ante illum, ſemper hora una poſt paſtum tincturam quandam digeſtivam, cum liquore aperitivo remixtam, ad guttul. XL. vel L. in vehiculo vinoſo ſumſit, quandoque etiam, loco dictorum medicamentorum, Elixirii balſamici ſtomachici, cum menſtruo vinoſo parati, guttulas LX. ad LXX. optimo pariter cum effectu, adſumſit. Ad alvum laxiorem reddendam, & ſimul collectam in primis viis humorum pravorum ſaburram eliminandam, præſcripſi pulverem, ex ſalibus neutris digeſtivis, hunc in modum: Rec. Arcan. tar-

tar. gr. xviij. arcan. duplicat. pulv. aron. compoſ. ana gr. viij. Miſc. f. pulvis pro I. doſi, circa noctem ſumendus, vel loco horum pulverem, ex ſalis Sedlicenſ. ʒiij. & tartari tartariſat. ʒß. pro doſi præbui. Sequente autem die matutinis horis capiebat Tinct. Rhabarb. tartariſ. cum Elixir. aperitiv. Clauder. & liquore aperit. n. d. itemque Extract. fumar. remixtæ, pro doſi gutt. LXXX. cum infuſo theeformi, ex radic. polypod. quern. cichor. herb. fumar. card. bened. ſummitat. millefol. ſem. fœnicul. compoſito. Interim quidem conſuetæ diætæ vinoſæ magis indulgere, quam præſcripto regimini obtemperare maluit, ſed haud raro majori cum noxa. Molimina hæmorrhoidalia haud aderant, quamvis ea aliquot abhinc annis ſubfuiſſe circumſtantiæ quædam indicarent.

OBSERVATIO LII.

DN. D. JO. GOTTLIEB de BOETTICHER.

Hemiplexia graviſſima, bis feliciter curata, tertia autem vice ex animi pathematibus recurrens lethalis.

Eccleſiaſticus primarius Templi S. P. Vir LXII. annorum, temperamenti phlegmatico-ſanguinei, habitus cachectici, antea obeſi corporis, qui cum a juventutis flore ex vitioſa pulmonum conſtitutione, ſeu eorum atonia, valetudinarius, ſtudio theologico induſtrie & indefeſſe ſe mancipaſſet, & ineunte virili ætate primo Lubecæ, ac denique Haffniæ apud Templum S. P. primarium paſtorale, nec non unacum ſummis in Theologia honoribus, etiam Profeſſorium munus adeptus fuit, atque hiſce officiis omni modo, ſæpe ultra deſtinatum tempus ſatisfacere adniteretur, anſam haud levem viſceri pulmonum jam jam labe aliqua adfecto,

fecto, ut magis ac magis depravaretur, prolesque alios priori ſtatui morboſo magis calamitoſos progigneret, ſuppeditavit. Hinc itaque factum, ut aſthma & tuſſis, quibus multis abhinc annis excruciatus fuit, eo usque invaluerint, ut per vices, tempore inprimis vernali, aliquot per hebdomades lecto affixus haud exiguam materiæ lentæ, mucoſæ, albæ & flavæ, ſtriisque ſanguineis, immo ſæpe cruore ſanguineo copioſo interpolatæ & refertæ, copiam, cum febre, in principio catarrhali haud abſimili, tandemque lenta, cum virium conſumptione & marcore evidenti, nec non doloribus circa cor in thorace fixis preſſoriis, fluctuatione aliqua, & reſpirandi difficultate ſumme anxia, rejecerit. Moleſta hæcce pectoris pathemata morboſa aliud malum abdominale, affectus ſcilicet hypochondriacus & meſentericus, cum non levi cacochylia, in primis viis & meſenterio ſtabulante, & ſubſecutus ſtatus cachecticus & nephriticus, dum nempe per vices lapilli renales & concrementa ſabuloſa prodierunt, brevi poſt excepit. Neque tamen hæ perquam diræ calamitates ſolæ manſerunt, ſed cum jam paulo ante incendium prodigioſum, crudele & famigeratum noſtrum Haffnienſe, extremorum, inprimis pedum, debilitate extraordinaria, nec non levi quadam aphonia laboraſſet, a ſuborto hocce fatali incendio, & ob devaſtata & abſorpta omnia fere, quæ in bonis habebat, ac in cineres redactam Bibliothecam ſelectam, ſplendidam & numeroſam, indeque perceptum inſignem terrorem, angorem & mœrorem, majus adhuc ſanitatis detrimentum paſſus fuit, ſicque demum accidit, ut cum ex Templo, hibernali tempore, domum rediret, inſultu quodam apoplectico, poſt aliquot horarum ſpatium in hemiplegiam imperfectam degenerante, corriperetur, ſalvo quidem manente ſenſu partium, ſed ſublato motu libero & voluntario dimidiæ regionis corporis, cum memoriæ læſione, linguæ paralyſi, tam quoad loquelam, quam quoad deglutitio-

titionem, ratione admodum debilitata, continuo mœrore & triſtitia, nec non lacrymarum admodum frequenti profuſione. Medelam hiſce malis primo quidem per integrum annum facere tentabat vocatus quidam medicaſter, ſed prorſus incaſſum, unde meum tandem implorabatur auxilium. Ægrum ergo ipſum viſitans, primo ſtatim ingentem humorum ſeroſo-pituitoſorum, tam ad oris glandulas ſalivales, quam ad glandulas circa laryngem & aſperam arteriam ſitas, obſervabam decubitum, qui tantum non indeſinens & interdum adeo enormis erat, ut ex ægri ore, tam inter loquendum & deglutiendum, quam inter tuſſiendum inſignis eorum efflueret copia. Ciborum deglutitio, inprimis ſolidorum, adeo erat difficilis, ut ne micam panis, vel carnis bolum, ſine graviſſima tuſſi, & ſine rivuloſo materiæ ſeroſo-mucoſæ effluxu, perquamanxia reſpiratione, ob impotentiam movendi linguam, nec non oſſis hyoidis ejusdemque muſculorum atoniam, deglutire poſſet. Loquela ipſa adhuc difficilis erat, ut vix ac ne vix quidem intelligi poſſet æger. Urina citra voluntatem effluebat, & raro ſedimentum, niſi circa vitæ finem, deponebat, quod ex moleculis albis, globoſis, piſi minoris magnitudinem referentibus, itemque furfuraceis particulis, ac ſi veſica urinaria ſcabie inquinata eſſet, conſtabat. Pulſus in manu paralyſi adfecta deprehendebatur inæqualis. Oculi erant introacti, & palpebræ ſuperiores flaccidæ & quaſi complicatæ propendebant. Cor ſæpe vehementer palpitabat, ipſaque reſpiratio admodum anxia & ſumme difficilis, orthopnœam, nocturno præſertim tempore, cum imminente per vices ſuffocationis periculo, minabatur, conjuncto ſimul ſenſu fluctuationis in pectore, ſub quo ipſum etiam cor quaſi comprimi videbatur, id quod inprimis familiaribus graviſſimum quotidie incutiebat terrorem. Materia, quam cum enormi tuſſi rejiciebat, erat ex albo-flava, viridis, cœrulea & quandoque,

inſtantibus pleniluniis, potiſſimum vero æquinoctiis, ſanguineis ſtriis diſtincta, ſæpeque copioſius cum ſanguine ſincero remixta. Scapula dextra cum humero dextro poſt paralyſin tertia vice recurrentem adeo circa articulationem reſolvebantur, ut brachium, inde prorſus flaccidum & pendulum, a familiaribus domeſticis ſemper attolli & extendi debuerit, quod vitium tamen a quotidiano uſu externo ſpiritus cujusdam anti-paralytici, & balſami antiſpaſtici Mynſ. ita tandem emendabatur, ut poſtmodum absque aliena ope brachium usque ad ultimum vitæ finem attollere, extendere & retrahere potuerit. Quemadmodum autem totum dimidium corporis latus, ob toties perpeſſam paralyſin, atrophia jam conſumtum erat, ſic & ipſum illud brachium, ſine ulla emendatione, ſimiliter tabidum & marcidum manebat. Ceterum poſt tertium hemiplecticum inſultum erecto corpore ſedere haud poterat, ſed quoties erigebatur, toties, niſi caput & dorſum manibus in ſitu tenerentur erecto, ſupremum hemiſphærium cum toto corpore propendendo collabebatur. Dentes inciſorii aliquot abhinc annis ob cariem jam elapſi erant, eorumque in locum artefacti eburnei alveolos vacuos & denudatos iterum adimplebant. Per quatuor menſes & ultra ante obitum ambo pedes, inprimis ſiniſter circa talos, itemque partes genitales, œdematoſo tumore adficiebantur maculis cœruleis latis paſſim in ſuperficie comparentibus.

Inſtituta ſic a me, in morbi hujus complicati admodumque ſontici originem, genium & ſymptomatum connexionem, exactiori indagatione, omnem impendi operam; ut morbo paralytico tanquam principaliſſimo, opem primo ferrem, eaque propter, indicationibus curativis formatis, ſtatim ab initio præſcripſi decoctum, ex reſolventibus, aperientibus, nervinis & cephalicis paratum, cum quo matutinis horis capiebat eſſentiæ cujusdam nervino balſamicæ guttulas XXXV. exactisque ſic tribus hebdomadibus, loco hujus decocti, ſpe-

cies pro infuſo theeformi, ex rad. valerian. pœon. mar. ſcabioſ. cichor. herb. ſalv. betonic. meliſſ. citrat. chamædr. flor. ſtœchad. arab. ſerpill. hyſſop. ſemin. pœon. mar. fœnicul. præſcripſi, cum quo matutinis itidem horis eſſentiæ cujusdam anti-paralyticæ, modo cum, modo ſine liquore Cornu cervi ſuccinato exhibitæ, pro doſi gutt. XL. hora vero quinta, pomeridiana & circa noctem pulveris cujusdam, ex nervinis & ſpecific. cephal. Michaelis compoſiti, quantum cuſpide cultri teneri poterat, in aquis flor. lilior. convall. tiliæ, flor. pœon. compoſ. cum felici capiebat ſucceſſu. Fauces & os decocto calido, ex herbis nervinis parato, & cum ſyringa frequentius injecto colluebantur; linguæ autem modo trochiſci ſublinguales confortantes, modo guttulæ aliquot balſami vitæ Hoffmanni fruſtulo ſachari canarienſis inſtillatæ, ſupponebantur. Collo & cervici adplicabantur ſacculi calidi, ex herbis cephalicis parati, quin etiam emplaſtra veſicatoria nuchæ, temporibus & ſuris tempeſtive imponebantur, inſuperque venæſectio in brachio ſano, & deinceps in venis ſublingualibus, tempore opportuno, cum euphoria inſtituebatur. Toti ſpinæ dorſi imponebatur emplaſtrum nervinum, & tertio quolibet die dorſum integrum, præmiſſa frictione cum linteis calidis, inungebatur linimento quodam balſamico, ex unguent. nervin. adipe muris montani, pinguedine caſtor. balſam. Peruv. oleo caryophyllor. major. & ſuccin. compoſito, ſubſtituendo quandoque in eorum locum ſpirituoſa linimenta, ex aqu. Anhalt. regin. Hungar. ſpirit. lumbr. terreſtr. formic. matrical. eſſent. balſam. Peruvian. caſtor. ol. deſtill. ſalv. anth. origan. &c. compoſita. Lumbi, pedes, brachia & collum, præmiſſa ſimili frictione, modo ſpiritu quodam antiparalytico, modo etiam iisdem jam recenſitis ſpirituoſis & balſamicis quotidie bis vel ter obliniebantur, interpoſitis inſimul per intervalla errhinis, ex herbis nervinis & cephalicis paratis. Tandem quoque balnea, ex formicis

& herbis fragrantibus nervinis concinnata, opportuno tempore in uſum trahebantur. Ad alvum laxandam, inſimulque impuritates viſcidas & mucidas, in primis viis & meſenterio collectas, blande eliminandas, partim enemata abſtergentia & carminativa, partim lenia laxantia, in forma infuſorum, ſubinde commendabantur, & optimo cum effectu adhibebantur.

Cum ergo tandem æger noſter tam ab adhibitis hiſce congruis præſidiis in & externis, quam a debite obſervata diæta & regimine, in tantum gravi hoc paralytico ex morbo convaluerit, ut in ædium cubiculis & in horto ſuo obambulare, ſcalas adſcendere, & verba diſtincte & articulate proferre valeret, deglutitio etiam, ob liberiorem redditum linguæ motum, facilius & absque notabili quodam impedimento ſuccederet, redeuntibus inſimul mentis facultatibus, inprimis memoria & judicio; accidit, ut ex improviſo prior in auxilium vocatus Empiricus eundem viſitaret, omniaque ſic in meliorem ſtatum mutata offendens, medicamenta ſua denuo ipſi obtrudere conaretur, iisque prorſus repudiatis, in varia ignominioſa verba erumperet, ſicque ægrum ipſum ad ſummam concitaret iracundiam, qui idcirco e veſtigio dextri lateris, hactenus adhuc ſani, graviſſima corripiebatur hemiplexia. Sub his ergo circumſtantiis cum denuo meum imploraretur auxilium, eandem iterum, quam hactenus calcaveram, ingreſſus ſum viam, eandemque denuo adhibui medendi methodum, qua ſiniſtri lateris hemiplegia quoad maximam partem jam ſublata erat. Reſpondebat etiam eventus haud infelix impenſis hiſce laboribus & ſinceris conatibus, ſiquidem & dextri lateris hemiplegia jam pariter eximie mitigata, redeuntibus in dies magis magisque priſtinis viribus, cum poſt novam perpeſſam quandam animi commotionem, ex cauſſis domeſticis mihi ignotis, menſe Februar. anni præteriti rurſus ſiniſtri lateris hemiplegia gra-

viſſima recurreret, quæ cum omnium adhibitorum medicamentorum vim & efficaciam, omnemque operam impenſam eluderet, peracto ſic integro fere anno, circa ſolſtitium hibernum cum inopinata accedente diarrhœa, reſolutionis partium internarum certiſſimo indicio, lethalem tandem ſortita eſt eventum.

OBSERVATIO LIII.

DN. D. JO. GOTTLIEB de BOETTICHER.

Cachexia ſcorbutica, miris & monſtroſis ſymptomatibus ſtipata, feliciter tandem iterum ſanata.

Cereviſiarii Haffnienſis ſervus ſupremus, 38. annorum, faciem luridam, ex flavo pallidam & tumidam gerens, poſtquam per aliquot annos nimium ſpiritui vini aduſto Danico, & cereviſiis, equidem ratione pretii, non autem ratione virtutis & effectus optimæ notæ, nec non vitæ ſedentariæ vel otio potius deditus fuit, tandem in cachexiam incidit ſcorbuticam, cum pedum tumoribus œdematoſis; maculis ſcorbuticis flavis, cœruleis & rubicundis, ſcabie ſicca in plerisque corporis partibus, ejusque languore ulceroſo, dolore ſterni preſſorio, genuum ingenti imbecillitate, frequenti dyſuria, ſtranguria, immo & iſchuria temporaria, gingivarum cruentatione, dentium vacillatione, ſubſequente tandem, cum adeo graviter nutanti valetudini non tempeſtive ſatis proſpiceret, ſed potius in cruditatibus ſordeſcere mallet, febre ſcorbutica ardente admodum vehementi, in principio cum ſomnolentia, elapſis autem vix binis diebus ejus in locum ſuccedentibus agrypniis, cephalalgia atroci, æſtu intenſiori, ciborum inappetentia & faſtidio, ſiti intenſiſſima, totius corporis laſſitudine eximia, & erumpentibus tertio morbi die veſiculis pendulis, tam magnitudine & forma, quam

colore

colore & contentis differentibus, omnesque partes indiſcretim obſidentibus ac deturpantibus. Referebant namque harum quædam ovi anſerini, quædam gallinæ ovi, aliæ nucis avellanæ, aliæ nucis moſchatæ, aliæ fabæ, aliæ piſi majoris magnitudinem & circumferentiam, variumque continebant humorem ſeroſum, aliæ nempe flavum, aliæ limpidum, aliæ ex flavo-cœruleum, aliæ ex fuſco-nigrum, aliæ ex cœruleo atrum, qui ultimus multo ſpiſſior & acrior limpido & flavo erat. Cutis poſt rupturam cuticulæ, veſicas efformantis, aut factam mediante lanceola apertionem, ex fuſco aut cœruleo nigricans, vel obſcure rubicunda adparebat, illisque in locis, ubi nigricantis, vel cœrulei, vel fuſci erat coloris, ſenſatio admodum exigua percipiebatur, vel plane abolita erat, ac ſi partes necroſi tactæ eſſent; ubi autem adhuc rubra, vel ex albo-rubicunda conſpiciebatur, ibi ſatis inſignes percipiebantur dolores. In plurimis locis cutis ab acri & cauſtico ſero, in veſiculis contento, non ſolum erat eroſa, ſed & partes muſculoſæ ſub ea prorſus corroſæ & dicto vario colore itidem imbutæ. Paucis, totum ægri corpus, uti non ſolum mortis quaſi ſimulacrum ratione marcoris, quo erat confectum, ſed & monſtroſum quid repræſentabat, ſic omnibus adſtantibus & familiaribus haud levem terrorem, nec minorem quoque incutiebat averſionem. Pulſus erat celer, debilis & inæqualis; urina parciſſime prodibat, coloremque rubicundum, flammeum, & conſiſtentiam lixivioſam monſtrabat; in declinatione autem morbi craſſa & coloris ex flavo rubicundi erat, cum copioſo ſedimento, fluidorum diatheſin & febris vigorem indicante. Ceterum maculæ ſcorbuticæ, ſcabies & tumor œdematoſus, ſtante hac deſcripta morbi facie, ſub uſu adhibitorum remediorum plane tandem evaneſcebant, diſparebant, ceſſabant.

Quod autem nunc medendi methodum, in gravi hocce ſtatu felici cum eventu obſervatam, attinet, in principio, ad

 febrem

febrem ſcorbuticam ardentem mitigandam, & ad fluidorum acrimoniam plane extraordinariam temperandam, demulcendam & diluendam, nec non ad ſpaſticas generis nervoſi ſtricturas leniendas & relaxandas, primo ſequentem mixturam præſcripſi: Rec. Aqv. cardui bened. ℥iij. flor. ſambuc. tiliæ, ſcorzoner. ceraſor. nigr. c. nucl. ana ℥ij. pulv. e chel. cancr. ſine pretioſ. ſolution. oculor. cancr. ana ℈iiij. Corn. cerv. ſin. igne ppt. antimon. diaphor. ex regul. præparat. ana ʒj. Succin. præp. ℈ij. Nitr. depurat. ʒß, Cinnabar. antimon. ℈j. Syrup. acetoſit. citr. ʒvj. Miſc. D. ad Vitr. indeque quolibet trihorio cochlearia duo capiantur, hacque quantitate abſumta, ad ſudorem lenem eliciendum & tranſpirationem promovendam, pulverem ſequentem præſcripſi: Rec. Pulv. e chel. cancr. compoſ. corn. cerv. ſin. igne præpar. matr. perlar. præparat. ceruſſ. antimon. ana ʒj. bezoard. mineral. nitr. depurat. ana ʒß. cinnab. nativ. ℈ß. M. F. pulvis, divid. in X. part. æqual. de quibus ſexta qualibet hora unam in tribus vel quatuor cochlearibus aqu. card. bened. ulmar. flor. ſambuc. anatice commixtis, capiebat, mane vero & hora pomeridiana quinta ſequentis mixturæ guttulas XL. in infuſo thee vel ptiſana quadam ſumebat. Rec. Eſſent. card. bened. vincetox ana ʒiß. valerian centaur. minor. mixtur. ſimplic. ana ℥j. M. D. ad vitr. Ptiſana autem prædicta conſtabat ex ſequentibus: Rec. Radic. Sarſapar. medulloſ. alb. ℥iij. Scorzon. hort. ℥ij. Cichor. Liquirit. ana ℥j. raſur. Corn. cerv. ℥iiß. Paſſul. minor. ℥j. Sem. Fœnicul. ʒij. conc. & contuſ. M. divid. in VI. part. æqual. & quælibet portio in aquæ fontanæ Menſur. duabus per horam coquatur. Enemata ex emollientibus & oleoſis cum ſale Sedlicenſi parata, bis vel ter ad ſpaſmos leniendos, & quantum fieri potuit, ad varii generis impuritates, in inteſtinis ſtabulantes, educendas injiciebantur. Mitigato tandem, adſiduo horum remediorum uſu, gravi iſto morbo, ſervata ſimul, per totum ejus decurſum, exacta &

convenienti diæta, præter laxantia mitiora, repetitis vicibus interpoſita, in uſum etiam vocabantur decocta, ex antiſcorbuticis parata, addito ſemper antimonio crudo in petia ligato, nec non mixturæ reſolventes & diureticæ, ex tinctura antimon. acri, ſalis tartari, eſſent. ſuccin. pimpin. alb. vincetox. & tinct. rhabarb. compoſitæ, quibus omnibus, nec non externis conjunctis mundificantibus & balſamicis, cum aqua calcis vivæ frequentius adplicatis, poſt duorum menſium decurſum priſtina denique favente Divini Numinis gratia, penitus reſtituta fuit ſanitas.

(*Hafnia Erfordiam miſſæ, d. 20. April. 1745.*)

OBSERVATIO LIV.

DN. D. ABRAHAM. BAECK.

De

Cornu piſcis plane ſingulari carinæ navis impacto.

Multa memoraverant veteres Hiſtoriæ naturalis Scriptores de piſcibus, qui naves ipſas cornu ferire & perforare valebant. Eadem retulerunt GESNERUS & JONSTONUS, fide præcipue antiquorum. Recentiores vero libertate immodica fabulis annumerare auſi ſunt, haud alio quidem argumento, quam quod ipſi non viderint. Itaque operæ pretium erit cognoſcere, quod ſimilia noſtris temporibus obſervata fuerint, & quid de piſce ipſo ſcire liceat.

Cum Anno MDCCXLIII. Pariſiis commorarer, acceſſit theſauro rerum naturalium, qui in horto regio aſſervatur, procurante Excellentiſſimo Comite de MAUREPAS, cornu in carina navis repertum, cujus fragmenta naturali magnitudine exhibentur in Tab. III. majus Fig. 1. & minus Fig. 2. Has vero ſimul tunc accepi rei circumſtantias.

Redi-

Redibat ex America navis Gallica, jamque oram prænavigabat Guineæ, cum ad violentum concuſſum, quaſi ad ſcopulum alliſiſſent, attoniti nautæ dubitabant, an in alto offenderint. Appulerunt navem in Portum Gallo-Britanniæ, cui *St. Malo* nomen, æſtate dicti anni. Cum vero menſe Septembris navis reclinata eſſet, ut reſarciretur, occurrit in prora cornu, quod ita latus navis penetraverat, ut fragmentum minus Fig. 2. in ipſo alveo navis promineret. Volebat Lignarius uno ictu mallei extrorſum illud propellere, eo vero frangitur, atque pars major non ſine multo labore ſolvi eximique poteſt, perdita una vel altera portione intermedia.

Ipſum vero cornu, quam potuerim accurate, ita deſcripſi. Pars major Fig. 1. longa eſt pollices decem Pariſienſes, minor vero Fig. 2. pollices quatuor. Hiſce inter ſe collatis, conſtat ex proportione, qua verſus apicem cornu decreſcit, fragmentum intermedium deperditum, quatuor circiter pollices longum fuiſſe, adeoque cornu, ut navi inhæſit, pedem Pariſienſem circiter unum & dimidium longitudine æquaſſe. Utraque pars recta excurrit, nec in gyrum ſpirasque circumvolvitur. Qua peripheriam ovale eſt, vel ellipticum potius, niſi quod latus unum altero magis convexum; modice etiam decreſcit diameter, prout ad apicem accedit. Extremitas B. rubigine in modum cinguli notatur, quod ea clavum attigerit. Latere quo planius eſt, in medio per longitudinem ſulculus excurrit, utrimque ſimilis conſpicitur, leves quidem omnes & tandem vix viſibiles. Latus alterum, quod magis convexum eſt, ſimilibus notatur ſulculis, ſed minus profundis, medius vero adeo parum imprimitur, ut eminere potius videatur cornu eo loci. Fragmentum minus, Fig. 2. id tantum ſingulare habet, quod in latere magis convexo, adeoque in illo, quod reſpondet dicto majoris fragmenti, obveniat notabilis eminentia, quæ ex lata, ut circa initium eſt, coit pollicari ab apice diſtantia,

atque

atque ſpinæ in modum usque ad mucronem F. continuatur. Ipſa cornu ſubſtantia per longitudinem pervia eſt duobus foraminibus C. D. æquali diſtantia ab illa linea, quæ per axem ire concipi poteſt. In extremitate A. quæ ſecuri reſecta eſt, diameter cujusvis foraminis trium eſt linearum. Decreſcunt ut in longum procedunt, tandemque deſinunt in fragmenti minoris Fig. 2. ſubſtantia, non longe ab apice, qui minus acuminatus, propter exiguas, quas paſſus eſt, fracturas. Exterior facies hujus cornu colore alba, ad tactum rudior, quaſi membranis nudata fuiſſet longa in aquis mora. Intus candidiſſimum æmulatur ebur. Solidum vero & duriſſimum eſſe vel exinde patet, quod duæ portiones pendeant plus quam quatuor libras Pariſienſes.

Ex his concludere licet, concurriſſe piſcem magnæ molis cornuque armatum cum navi, fractique cornu hæc ſupereſſe fruſta.

Antequam longius progrediar, monendum duxi, ne quis offendat in verbis, me *cornu* appellare, defectu vocis magis aptæ, usque dum *dentem vel roſtrum* eſſe conſtiterit, ſalva interim ARISTOTELIS & PLINII auctoritate, quod cornua tantum quadrupedum generi data intelligantur.

Quis non crederet in tanta Hiſtoriæ naturalis luce facili opera determinari animal, cujus hæc ſint ſpolia. Interim rara ſunt in Cimeliis rerum naturalium, neque me in multis, quæ per Belgium, Angliam, Galliam & Germaniam vidi, hujusmodi obſervaſſe memini. Quod vero attinet ad libros, vel naturalium rerum Indices ac Collectiones, a curioſis literis conſignatas, quod huic conveniat nihil fere reperies, vel dubius hærebis, num hoc inprimis ab Auctoribus indigitetur, vel aliud. Adeo quidem imperfectæ ſunt, quas habemus, deſcriptiones.

Non pauci eorum, qui hæc legere dignantur, arbitrabuntur, cornu ſupra deſcriptum eſſe particulam cornu vel

 dentis

dentis potius Monocerotis marini, piſcis ex Cetaceo genere, quem Islandi *Narh-v-val* appellant; ARTEDIUS autem in *Ichthyologia Monodon* vocat, quod dente uno prælongo armatur; quamvis duos a natura ipſi obtigiſſe credam, ut annotavit quoque Clariſſimus Halenſium Phyſicus & Profeſſor P. O. LANGE. Jam vero OLAUS MAGNUS, *Lib. XXI. Cap. 10.* affirmat, *ferox ac fidens hoc monſtrum in boreali mari efferri in na-ves ob-vias, quo illas cornu ſuo perfodat.* Idem referunt alii de unicornu ſcriptores, ſola ut opinor OLAI MAGNI auctoritate confiſi. Sed obſtant gyri & ſpirales circumvolutiones, quæ in dente piſcis Narhwal ſemper conſpicuæ ſunt, modo non ante tornatus fuerit (quamvis & ſic quidem veſtigia remaneant,) quo minus eo referri queat cornu ſuperius deſcriptum, quippe quod omnino deſtitutum eſt ſpiralibus ſtriis gyrisque. Scio, dentibus Narhwal longiſſimis apicem eſſe non ſtriatum, ſed non ſatis longus eſt, nec figuræ ovalis. Neque poteſt eſſe ignotæ cujusdam ſpeciei Narhwal dente ſpiralibus non circumducto immiſſuris, ut ſuſpicabantur Viri in Hiſtoria naturali verſatiſſimi Pariſiis, cum dentes hujusmodi conſtanter uno tantum excaventur foramine, plane ut dentes exſerti aliorum animalium.

Multo minus, ut alii voluerunt, dens eſt *Hippopotami falſo ſic dicti* RAJI, quem *Roſſmarum*, *Wallroſs* appellant quidam, & Clariſſ. LINNÆUS ad *Phocam* refert, in *Syſtemate Naturæ.* Armatur quidem uno, vel ſæpius duobus dentibus prælongis, maxillæ ſuperiori inſertis, quibus ſcaphas piſcatorum ferit; Vid. *Fridr.* MARTENS Spitsbergiſche Reiſe *Cap. IV. p. 80.*, ſed hi incurvantur, atque ita quidem juxta inferiorem maxillam pendent deorſum, ut illis ferire & apprehendere queat animal, vix vero in navem incurrere, aut per latus tabulasque profunde penetrare. Neque exempla proſtant, quod hi in aperto mari inſidias ſtruant navibus; ſolent

lent vero magno agmine perſequi piſcatores, qui eos in glaciei acervis recubantes primi adorti fuerant. Atque hinc potius Pariſienſi ſimile fuit *rarum illud cornu, ſine ſtriis gyrisque, navi mercatoriæ impactum, quod olim in patria viderat Lucas* HOLSTENIUS, notante BARTHOLINO de *Unicornu, p. 109.*, quam ut Roſmari dens fuerit, ut ipſe voluit.

Præterea una tantum cavitate conſpicuus eſt dens Roſmari, ut docet autopſia, & obſervavit MARTENSIUS loco citato.

Occurrit quoque in Muſæis Curioſorum roſtrum enſiforme Xiphiæ piſcis. Hoc recta in longitudinem procurrit, medio elevatius, utrimque in aciem efformatum, plane ut anceps enſis, unde *gladius* appellari ſolet, atque inde piſci nomen in multis linguis. Eorum, quæ vidi, ſubſtantia non eſt adeo dura, nec in teretem acutumque mucronem terminatur, planior eſt atque enſis, ſecando magis, quam perforando aptus. Integrum pellicula aſpera obducitur. Atque hujus quidem gladii piſcisque figuras offerunt varii Hiſtoriæ piſcium ſcriptores. Elegantiſſimæ ſunt, quas habet Clariſſ. KLEINIUS in *Miſſu IV.*, quippe quæ ad vivum delineatæ vel ex bonis picturis deſumtæ. Evolvi multos Auctores, qui Xiphiæ mentionem faciunt, atque inveni tantum non omnes roſtrum enſiforme illi adſcribere. ARTEDIUS, quem honos manebit caſtigatæ ad naturæ libros artisque leges *Ichthyologiæ*, dat characterem generis Xiphiæ, roſtrum in cuſpidem longiſſimam plagioplateam enſiformem & oſſeam productum, atque unicam tantum adducit ſpeciem. Vid. ARTEDII *Ichthyol.* WILLUGHBEY Xiphias in Italia & Anglia vidit, illis vero *ſuperior maxilla in roſtrum longiſſimum, gladio ancipiti ſimile, procurrit; vid. Ejus de Piſcibus Lib. IV. Cap. 13.* WORMIUS *in Muſæo Lib. III. Cap. II. p. 272. Mucro,* inquit, *figura gladio exacte reſpondet,*

det, unde etiam piſci nomen. SCHELHAMER de roſtro Xiphiæ apud ſuos inventi refert, quod *ſimile ſit gladio, duplici inſtructo acie.* Vid. Ephem. N. C. Cent. I. & II. in Append. Scio, quod Clariſſimo KLEINIO videatur figura SCHELHAMERI, dens potius Narhwal, vid. *Miſſus IV.* de Xiphia, & fateor, in exigua figura non ſatis apte exprimi ea, quorum in deſcriptione ipſa mentio fit; quicunque autem hanc perlegere non dedignatur, videbit, a dente Narhwal toto cœlo eam differre. Alii Auctores, tradituri formam gladii Xiphiæ, ablegant Lectores ad CAJI deſcriptionem, a GESNERO adductam. Sic BARTHOLINUS de Xiphia in portu HAFFNIENSI capto, Centur. II. hiſtor. 16., *roſtri*, inquit, *deſcriptionem accuratam tradit ex ſceleto ſuo Joann.* CAJUS, *apud* GESNERUM. Cum eadem CAJI deſcriptione conveniebat roſtrum Xiphiæ ab HARTMANNO obſervati, vid. *Ephemerid. N. C. Dec. III. Ann. II. in App.* Noviſſime ad eundem Auctorem ejusque librum de rarioribus animalibus provocat Clariſſ. KLEIN, licet ipſe viderit aliquot Xiphias; *vid. loc. cit.* Non vidi rariſſimum CAJI librum. Deſcriptio vero, quam GESNERO communicavit, exactiſſima eſt & digna omnino, quæ perlegatur; habetur in *Conr.* GESNERI *Hiſtor. aquatil. fol. m. 455.* ſub finem adjicit: *Longum eſt os illud noſtrum, (quod parvi Xiphiæ roſtrum videtur eſſe) a fine adſummam capitis pedes tres & ſemiſſem. Sed ad hiatum quatenus gladii armati hominis refert figuram, pedes duos palmos tres.* Hinc non obſcure patet, roſtrum Xiphiæ a CAJO deſcriptum fuiſſe enſiforme, ut reliqua Auctorum.

Ab hoc Xiphiæ roſtro diverſum omnino eſt cornu carinæ navis impactum, ut facile patet conferenti deſcriptiones allatas, noſtrasque figuras cum Kleinianis. Eſt enim duriſſimum os circumferentiæ ovalis acumine tereti, lateribus

nullo

nullo modo in aciem compreſſis perforando aptiſſimum; non ſecando; illud Auctorum æmulatur enſis figuram.

Spe excideram videndi quidquam ſimile Pariſienſi cornu, ita carinæ navis impactum voco, cum rariſſimum cornu obveniret in Cimelio rerum naturalium ſocietatis Regiæ Berolinenſis, quod pro ſua humanitate mecum communicavit Clariſſimus LIEBERKUHN. Captavi occaſionem voluique mereri aliquo modo de hiſtoriæ animalis cultoribus, ejus figura ac deſcriptione, cum utraque deſideretur, quantum ſciam hactenus.

Repræſentatur Tab. IV. & quidem ſuperficies lævis & plana magis, quam ſummam & extimam fuiſſe credo, Fig. 1.; ſuperficies aſpera convexa, quam pro inferiori & prona habeo, Fig. 2. Longum eſt duos pedes Pariſienſes cum ſemiſſe, rectaque linea procedit ex lato in anguſtum. Si plano transverſo ad perpendiculum ſectum concipiatur, ſectio ad ovalem, ſeu ellipticam potius accedit, niſi quod extremitas major Fig. 1. ſemicircularis, ultimus vero apex B. teres evadat. Talis vero apparet ſectio extremi A. ut Tab. IV. Fig. 3. magnitudine naturali exhibetur. Ibi loci quatuor digitos latum duos cum ſemiſſe altum; ſpatio ſeptem digitorum longitudinis, craſſitie & latitudine multum decreſcit; deinde vero ut in longum procedit, usque ad apicem modice. Superficies lævis & plana Fig. 1. in medio notatur ſulco, qui ſuper extremum A. lato principio procedit, diſtantia vero trium pollicum anguſtatur, deinde parum diducitur, coitque iterum atque exacto aliquot pollicum curſu, in duos terminatur ſulculos, qui paullatim ſe dividunt, usque dum in alios duos laterales abeant. Nempe ab utraque parte laterali extremitatis A. ſimilis reperitur ſulcus, latus initio, inde magis magisque anguſtatus pergit, usque dum excipiat dictos, in quos medius deſinit. Hi leviter decurrunt verſus mucronem tandemque obliterantur.

Superficies altera, quæ aſpera & convexa Fig. 2., inæqualem offert faciem. Extremitas major C. profunde excavata eſt per quinque digitorum longitudinem, & quidem in coni figuram, cujus baſis E. apex F. verſus mucronem cornu dirigitur. Nigra intus ex materie friabili, carioſa. Supra hanc cavitatem procedit utrimque oſſis quædam eminentia G. G. coitque in acumen A. quod deprimitur ſubitque ibidem loci ſubſtantiam ipſius cornu. Juxta dictam eminentiam ab utroque latere leviter deprimitur in formam canalis I. I. Uterque ſubſtantiam oſſis intrat; ſi ſtylo explores, per longitudinem oſſis progredi vides, ut eorum veſtigia cernis ad K. ubi ſtudio perforatum eſt cornu, ut in conſpectum veniant canales. Deſinunt vero ad trium circiter pollicum diſtantiam ab apice. Via quoque eſt ad canales per cavitatem deſcriptam. Integra hæc ſuperficies obducitur membrana tuberculata, ei ſimili, quam *Chagrain* vocant. Per mediam latitudinem in longum decurrit ſulculus, qui ſpeciem fiſſuræ habet. Ceterum cornu ipſum ſubſtantiæ oſſeæ duriſſimæ candidæ, quæ ebur æmulatur, extus colore eſt fuſco. Extremitate majori, cava, oſſeum quoque, candicans, ſed per intervalla poroſum, ut exprimit Fig. 3. Pondere æquat libras duas cum tertia parte.

Patet conferenti deſcriptiones allatas & figuras, quod ovum non ſit ovo ſimilius, quam eſt cornu carinæ navis impactum ſimile illi, quod in Muſæo Reg. Societ. Berolinenſis aſſervatur. Ad ovalem accedit utriusque figura transverſim ſecti, nullo modo lateribus compreſſis & in aciem formatis, ſeu enſiforme. Utrique ſuperficies una convexa magis quam altera, & quod maxime ad rem facit, utrumque duobus foraminibus pervium, ſimili modo per longitudinem excurrentibus, ut de ſubſtantia dura, eburnea, & recta, qua utrumque procedit, linea, non loquar. Quæ ratione coloris extremæ faciei apparet differentia, tribui debet actioni

actioni aquæ, cui Pariſienſe diu expoſitum fuiſſe neceſſe eſt. Illud vero, quod Berolini ſervatur, piſci capto reſectum fuit ſine dubio. Sed & tuberculata ſuperficies in Pariſienſi obliterari potuit eadem ratione aliisve injuriis, ſi quis voluerit conſtantem eſſe naturam in minimis circa externum habitum.

Jam itaque quæritur cujusnam piſcis ſpolium ſit deſcriptum cornu Muſæi Societatis Regiæ. Non adnotatum eſt, unde & qua ratione allatum fuit; neque ex adjuncta ſchedula quidquam determinare licet, ita enim inſcribitur: **Ein Horn vom Fiſch Hay, deſſen Haut der** Chagrain. Atque in Catalogo de eodem: **Ein runder ſpitziger Schnabel von dem Fiſch Hay, deſſen Haut der** Chagrain. Scio Carchariam piſcem dentibus valere, cornu autem armatum qui dixerit, novi neminem. Ceterum acceſſiſſe dicitur Muſæo Societatis ex collectione Nob. Dni D. GUNDELSHEIMER.

Unicus eſt, quantum ſciam, Clariſſ. GREW, qui ſimile deſcribit cornu in *Muſæi Regal. Part. I. Sect. V. p. 86.* his quidem verbis: *The head of the Tuckfiſh. Of the ſwordfiſh kind, but a different ſpecies from de former (Rapierfiſh) Wether it be any where deſcribed ſeems doubtfull. The hinder parts of the head are here broken off. The ſnout is not ſo flat as in the Rapierfiſh, but thicker and rounder, more licke a tuck, from whence I take leave to name it. Tis half a yard long; near the head, two inches over, about the middle one. Not whith a flat point, but one perfectly round. The upper part hereof is ſmooth, the nether rough, thee ſmooth and rough parts continu'd obliquely from the point to the root. Both the chaps are alſo rough in the ſame manner - - - The nether chap hath alſo a different ſhape from that of the Rapierfiſh: this being not above four inches over, that half a foot, yet both are a foot long. It is compoſed of two bones, ſo joyned together, for the ſpace only of an inch and half, as to make a*

ke a ſharp point. Quæ in hunc fere modum latine reddi poſſunt: *Piſcis caput ad caput anatis accedit. Eſt ex Xiphiæ genere, ſed ſpecies diſtincta a præcedenti (roſtro enſiformi). Dubito an alicubi deſcripta. Huic fractæ & perditæ capitis partes poſteriores. Roſtrum non eſt adeo compreſſum, ut enſiforme, ſed craſſius & rotundum magis, ſimilius anati, unde nomen dedi. Longum eſt ulnam dimidiam; juxta caput duos pollices latum, unum vero in medio. In acumen terminatur perfecte rotundum, non dilatatum. Pars ſuperior lævis, inferior aſpera; pars quæ lævis, & illa quæ aſpera, continuant oblique ex apice ad radicem. Maxilla utraque eodem modo aſpera - - - - Maxilla inferior aliam obtinet figuram, quam ea, quæ eſt Xiphiæ roſtro enſiformi. Hæc enim quatuor tantum digitos lata, illa pedem dimidium. Tamen utraque pedem longitudine æquat. Componitur ex duobus oſſibus, ita quidem ſpatio ſeſquipollicis coadunatis, ut in acutum abeat mucronem.*

Tale erat Xiphiæ caput & roſtrum, in Muſæo Regiæ Societatis Anglicanæ aſſervatum. Non ſine ratione dubitat Clariſſ. GREW, an ullibi deſcriptum. Quantum vero a roſtro Xiphiæ Auctorum, ſeu enſiforrni, differt, tantum cum Berolinenſi convenit, ut patet conferenti. Utrique mucro acuminatus, pars ſuperior lævis, inferior aſpera, figura non adeo compreſſa & plana, ut enſiformi, ſed craſſa & rotunda magis. Atque conſtat ex Fig. 1. Tab. III. dum inſpiciatur extremitas A. capiti proxima, & ſimul ratio habeatur roſtri, quod non male comparatur cum capite anatis. Facile enim intellegitur ſuperficiem Fig. 1. repræſentatam fuiſſe extimam, ſeu ſuperiorem, alteram vero Fig. 2. pronam & inferiorem.

Quod de ſuo affirmat Clariſſ. GREW, roſtrum eſſe piſcis ex Xiphiæ genere, idem maxima probabilitatis ſpecie videor mihi aſſerere poſſe de illo, quod ornat Muſæum Beroli-

roli-

rolinenſium, atque de alio carinæ navis impacto, cujus cauſa hanc ſuſcepimus diſquiſitionem. Quod ad dentes referri nequeant, oſtendimus in ſuperioribus. Roſtra vero piſcium dura, in longum producta, duplici pervia ſolent eſſe foramine, plane ut ipſa illa modo dicta. Id vidi ipſe in roſtro *Priſtis* ARTEDI ſerram vocant, teſtaturque LOCHNERUS, *Rarior. Muſ. Beslerian. dum Priſtis*, inquit, *per longitudinem oſſis duas habet cavitates, quæ juxta extremitatem coaleſcunt, nec in apice hiant.* Stylo exploravi gladium Xiphiæ roſtro enſiformi, atque ſimiles obſervavi canales. Confer. memoratam CAJI deſcriptionem cum noſtris, & magnam videbis convenientiam. Ob allatas vero rationes ejusdem ſpeciei Xiphiæ eſſe nequit cum illa, quæ roſtro enſiformi inſtruitur.

Nempe duas imprimis ſpecies Xiphiæ, ex figura roſtri diſtinctas, conſtituendas judico. Una eſt roſtro lateribus compreſſo, ſeu enſiformi; altera roſtro circumferentiæ ovalis, in mucronem teretem terminato. Ad hanc poſteriorem ſpeciem referendum credo piſcem, cujus ſpolium ſervat Muſæum Societat. Reg. Berolinenſis, atque id, quod impactum erat carinæ navis, jam vero illatum in Muſæum Horti Regii Pariſienſis.

Dubitaveram, an non cornu, carinæ navis impactum, eſſet extremus apex dentis raræ ſpeciei Narhwal, de qua in *Hiſtoire natur & morale des Isles Antilles de l'Amerique p. 200.* ex relatione Dn. *du Montel* his verbis: *La Licorne de mer s'echoua en 1644. au rivage de l'Isle de la Tortue, voiſine de l'Isle Hiſpaniola, ou St. Domingo. Elle avoit une corne au devant de la téte longue de neuf pieds & demi - - - jusqu' aux deux tiers de la longueur elle étoit en forme d'une vis de preſſoir, ou pour mieux dire, faſſonnée en ondes - - - jusqu' a ce qu'elles fuſſent remplis & terminées par un agreable adouciſſement, qui finiſſoit deux pouces au deſſus du qua-*

 trieme

trieme pied. Toute cette partie baſſe étoit encroutée d'une cuir centrée, qui etoit couverte par tout d'un petit poil mollet & court comme du velours de couleur de feuille morte, mais au deſſous elle etoit blanche comme yvoire. Quant á l'autre partie, qui paroiſſoit toute nüe, elle etoit naturellement polie, d'un noir luiſant marquetée de quelques menuts filets blancs & jaunes & d'une ſolidité telle, qu'a peine une bonne lime en pouvoit elle faire ſortir quelque menue poudre. Verum dubitare deſii, quamprimum Berolinenſe inſpicere licuit; inprimis cum multa ſint, quæ ſuſpectam reddunt allatam deſcriptionem; caput equinum, corona neſcio quomodo cinctum, cornu fronti infixum, non ex maxillæ alveolo prodiens, ut in piſce Narhwal. Vide figuram loco citato.

Eſt adhuc alia Xiphiæ ſpecies, quæ propius videtur ad noſtram accedere, quamvis Auctores non ſatis determinaverint ipſius roſtri figuram, ut certi quid afferi queat. Mentionem ejus faciunt MARGGRAVIUS *Hiſtor. Braſil. Lib. IV. Cap. 11.* & WILLUGHBEY, *de Piſcibus Lib. IV. Cap. 14.* vocaturque *Guecubu* Braſilienſibus, Luſitanis *Bicuda.* Roſtrum habere ſcribitur acutum, oſſeum, durum. Dubito an in lateribus compreſſum ſit, cum gladio illud aſſimilari non legerim, nec figura id præ ſe ferat. Ceterum dignum eſt quod adferatur judicium doctiſſimi GREW, ſubjectum deſcriptioni piſcis capite anati ſimili l. c. *Marggraff and Piſo (and out of theſe Johnſtohn) deſcribe an American fiſh by the name of Guebucu, of kin to this, the head vvhereof is here deſcribet. But can not be the ſame unleſs both de Putures vvhich the give, and Marggravius Deſcription (vvho particularly ſaith, that the ſnout is ſexteen inches long, the nether chap, ten) be falſe. For in this head the nether chap is brouder and comparatively not near ſo long.*

Jam

Jam afferamus neceſſe eſt, Xiphiæ vim, roſtro perforandi carinam navis, cum qua concurrit. Id ab antiquiſſimis temporibus creditum fuit, & memoriæ prodiderunt Auctores graviſſimi. STRABO habet ex POLYBIO (qui quidem Auctor exactiſſime deſcribit venationem Galeotæ, ſeu Xiphiæ, ut noſtro quoque exercetur tempore; vide WILLUGHBEY l. c.) *quod in venatione Galeotarum circa Seyllæum nonnunquam remex per ipſum lembum vulneratur, ob magnitudinem gladii Galeotæ & vim belluæ.* Notus eſt locus PLINII *Lib. XXXII. Cap. 2. Trebius niger auctor eſt, Xiphiam, id eſt gladium, roſtro mucronato eſſe: ab hoc naves perfoſſas mergi in Oceano ad locum Mauritaniæ, qui Cotta vocatur, non procul a Lyco flumine.* Fuſius vero ÆLIANUS, *in Hiſtor. Animal. Lib. XIV. Cap. 23.* ex GILLII & GESNERI *interpretatione*, de Xiphia: *In mucronem*, inquit, *procedit roſtrum, & rectum porrigitur ſenſimque & leniter in longitudinem & craſſitudinem augetur, & dum ad cetaceam magnitudinem piſcis excreſcit, illius etiam mucro tandem vel triremis roſtro comparari poteſt. Neque modo cum cibi inopia urgetur mucronati roſtri incurſu piſces interficit atque exeſt, ſed etiam maxima Cete propellit & ulciſcitur, non quidem armis ex ferro confectis, ſed natura comparatis, ut ii, qui magnitudine proceſſerunt contra navem, mucronem in ea defigentes, venire audeant. Quidam gloriantur ſe ſpectaviſſe navem Bithynicam in littus extractam, ut carina ejus jam vetuſtate fatiſcens reſarciretur, atque in ea gladii caput affixum aſpexiſſe, cujus quum in navem mucronem ſuum defixiſſet, & nullis viribus ipſum retrahere quiviſſet, corpus quidem reliquum a cervice avulſum fuerit, roſtrum vero infixum, ut a principio inhæſerat, remanſerit.* Confer OPPIANUM.

Ex recentioribus illos tantum adferam, qui ipſi tale quid audiverint, vel autoptæ fuerint. Etenim plurimi ſolum ex-

ſcripſerunt Veteres *Xiphiæ*, inquit JOVIUS, in *Oceano Indico in tantam augentur magnitudinem, ut validiſſimis roſtris Luſitanarum navium latera ad ſeſquipalmam aliquando perforarint.* JONSTONUS cum de Narwhal loquitur, quem OLAUS MAGNUS refert cornu penetrare naves obvias, adjicit: *Quam eandem vim etiam Xiphiæ piſci, ſive gladio* PLINII, *legimus attributam ab Ovidio, Paulo Jovio aut nautis noſtratibus, a quibus fragmenta cornuum inventa fuerunt in navium carinis, rubente undique mari a profuſo belluarum ſanguine. Vid. ejus Lib. de Piſcibus, Append. nov. de Unicornu maximo.* In eundem ſenſum loquitur etiam TULPIUS; vid. ejus Obſerv. Præcipue vero fidem meretur & ſuperiora illuſtrare poteſt Muſæum Regium JACOBÆI, *Edit. 1726. Indic. alphab. ſub Tit. Xiphiæ*, quod hic piſcis roſtro ſuo tanta vi adortus eſſet navem Danicam, tendentem ad urbem Tranquebar An. 1719. d. 30. Julii, *ut vacillare cœperit ac ſi peſſum iret, unde piſcis poſtea apparuit circa puppim capite quam maxime ſanguinolento. Cum vero reficeretur carina An. 1721. d. 30. Aug. deprehendebatur cornu piſcis per tres navis tabulas perquam ſpiſſas in prora defixum, quindecim & quod excurrit pollices longum. Ipſum cornu utrinque ærugine obductum ſervatur in rei memoriam.* Deſideratur vero uberior deſcriptio & figura.

Itaque de rei poſſibilitate vix dubitare liceret, niſi duo lumina Hiſtoriæ naturalis, inprimis Ichthyologiæ, ſuſpectam in hoc puncto redderent Auctorum fidem. Unus eſt Illuſtris WILLUGHBEY, qui de *Piſcibus Lib. IV. Cap. 13. p. m. 163.* & quidem de Xiphia, *roſtro*, inquit, *naves perforare, Plinii Lib. XXXII. Cap. 2. traditur, quod mihi non videtur veriſimile, quamvis id admodum durum & acutum eſſe, & piſcem validum, non abnuerim.* Alter eſt Clariſſ. KLEIN, qui *Miſſu IV. p. 19.* de Xiphia non contentus in dubium vocare ea, quæ Veteres de roſtro Xiphiæ retulerunt, ita pro-

nun-

nunciare ſuſtinet: *Gladii ſubſtantia eſt inter corneam & oſſeam media, unde colligere licet, faſtidioſas eſſe priſcorum fabulas, quas Aldrovandus compilavit, Xiphiæ naturam & mores explicantes; nempe*, ut in ſubjuncta nota habet, *quod ſecundum Strabonem ſcaphas roſtro vulneret, naves ipſas penetret ex Æliano, Oppiano & Jovio.* Dubium quoque movet doctiſſ. SCHELHAMER, cum *l. c.* de JONSTONO hæc ſubjicit: *In Indico mari Xiphiam validiſſimas Luſitanorum naves ad ſeſquipalmam nonnunquam perforare tum credam, cum in Indico mari eum deprehenſum oſtenditur. Naves incurſu perforare & rupto gladio dilabi, certum; verum in Indico mari alterum genus, ſerram reperiri, Auctores plurimi literis mandant; de hoc noſtro, qui dixerit, legi neminem.*

Prævideo tantorum Virorum auctoritatem infringere noſtram, de origine cornu carinæ navis impacti, ſententiam. Neceſſum itaque judicamus, illorum reſpondere argumentis, & cum adductis conciliare obſervationibus. WILLUGHBEY non tam negare videtur acumen & duritiem roſtri, quam vim & impetum, qui navis lateri eſſet perforando. Cui quidem opponimus piſcis magnitudinem ac ingentem velocitatem, qua & piſcis & navis probabiliter ferebatur. Inde enim impetum & momentum motus computari notum eſt. Non provocabo ad PLINIUM, qui Xiphias Delphini magnitudinem excedere, aut ad STRABONEM, qui naviculas æquare ſcribit loco citato; dicam tantum, quod collatis inter ſe menſuris & pondere fracti illius roſtri Pariſienſis cum integro Berolinenſi, concludere liceat, magnam fuiſſe longitudinis differentiam, atque Pariſienſe ad minimum tres pedes longitudine æquaſſe. Jam vero ex Auctorum obſervationibus conſtat, roſtrum Xiphiæ eſſe ad corpus ejusdem ut 1. ad 3., adeoque piſcem ipſum novem pedes longum fuiſſe inferri poteſt. *In ingentem excreſcit magnitudi-*

 nem,

nem, dicit WILLUGHBEY *de Xiphia, adeo ut centum libras pondere excedat. Rondeletius decem cubitorum longitudinem excedere in mari ad Narbonenſem provinciam. Paris magnitudinis nos etiam vidimus tum in Anglia, tum in Italia*; hæc loco citato. Tantæ ergo molis piſcis (majores vero in Oceano habitare credibile eſt,) rapidiſſime motus contra navem plenis euntem velis, quin acuto ſolidoque roſtro penetrare poterit, nullum eſt dubium.

Valet argumentum Clariſſimi Dn. KLEIN ſi de roſtro Xiphiæ enſiformi ſermo fuerit, neutiquam vero de altero, quod eſt circumferentiæ ovalis, & mucrone tereti terminatur. Ipſe in ſuperioribus aſſerui, roſtrum Xiphiæ enſiforme, quod in Cimeliis curioſorum ſatis frequenter occurrit, minus aptum eſſe lateri navis perforando. Atque hujusmodi fuiſſe credo omnia, quæ vidit Clariſſ. KLEIN. Certe non vidit Berolinenſe a nobis deſcriptum, cum adeo confidenter auſit fabulis annumerare venerandæ antiquitatis obſervata. Hoc enim eſt duriſſimum os, nullo modo flexibile, mucronis acuminati. Si recte memini, ipſe Clariſſ. KLEIN roſtrum cujusdam Xiphiæ ſpeciei durum & acutum eſſe fatetur loco citato. Neque plane negaverim, reperiri aliquando roſtra lateribus compreſſis, ſeu enſiformia, quæ ſint ſubſtantiæ duræ, inprimis cum perpendo deſcriptiones Auctorum, qui licet enſis formam tribuerint roſtro Xiphiæ, durum tamen & validum fuiſſe aſſerunt. WORMIUS de ſuo Xiphiæ roſtro refert, adeo durum illud eſſe, ut eo naves perforari conſtet. BONANNUS de gladio Xiphiæ in *Muſæo Kircher. pag. 269. validiſſimam*, inquit (& *oſſeam habet ſubſtantiam, eoque tanquam acuto utrinque enſe retia diſcindit & cuſpide etiam navium latera vulnerat.* SCHELHAMER l. c. de gladio Xiphiæ: *Eſt ejus ſubſtantia duriſſimum os, ut ferro vel ligno pulſum ſonitum edat.* Forte HARTMANNUS & HANÆUS reliquis accuratius referunt, quod

gladius

gladius in ultima extremitate oſſeus quidem, ſed verſus caput pene corneus ſit. Attamen HARTMANNUS credit fidem mereri, quæ veteres de vi Xiphiæ roſtri narrarunt. Credo vero de altera Xiphiæ ſpecie intelligendum eſſe GILLIUM, qui de ſe dicit apud Geſnerum l.c. *Cum hujus piſcis gladii jam abſciſſi robur tentarem, dura ſaxa mucrone excavabam.*

Equidem neſcio, quæ SCHELHAMERO dubitandi ratio fuerit, an in Oceano Indico reperiantur Xiphiæ ſpecies, quæ in noſtro mari & in Mediterraneo, ibi forte degit alia grandior, & navibus magis infeſta. Multæ ſunt plantæ & piſces, quos communes habent terræ boreales cum auſtralibus. Quid, quod ſi ſpecies Xiphiæ a MARGGRAVIO & WILLUGHBEY deſcripta Braſiliæ littora frequentet? Neſcio an ab hac diverſa ſit ſpecies illa Xiphiæ, quæ Gallis audit *Beuaſſe de mer*, ad Inſulas Antillas reperiunda; vid. *Hiſtoir. natural. & moral. des Isles Antilles.*

Non debeo prætermittere hanc occaſionem, communicandi cum curioſis figuram alius cornu, ſimiliter navis carinæ impacti, quod Londini in ſuo Muſæo ſervat Clariſſ. *Petrus Collinſon*, Membrum Regiæ Societatis, Vir optime meritus de Hiſtoria naturali, inprimis de ſtudio botanico, mihique amiciſſimus. Humaniſſimo Viro debetur figura *Tab. III. Fig. 3.* in literis ad me datis Londini d. 5. Febr. 1744. & ſequens hiſtoria, ex Anglico in latinum verſa: *Redux erat ex Indiis Occidentalibus navis Regia, cui nomen Leopard atque ex mandato Cameræ, quæ navalium rerum curam habet, ſignato die 18. Octobr. anni 1725. ſubduci & refici debebat in Porthmuthenſi Machina. Cum in eo eſſent, conſpiciunt rem inſolitam in fundo navis, ad octo pedum diſtantiam a carina, & quidem recte ante malum anteriorem. Erat vero cornu, vel os piſcis cujusdam, hujus figuræ & magnitudinis, vid. Tab. III. Fig. 3. Externa ſuperficies aſperiuſcula,* nec

nec diſſimilis pelli, quam Chagrain *vocant. Extremitate qua fractum eſt, rude refert ebur. Piſcis ſine dubio ſecutus erat navem vela facientem, quippe apicem proram verſus direxerat. Quanta vi & celeritate impegerit, exinde judicare licet, quod cornu perforaverat aſſerem extimum* A.B. *ſeu integumentum navis, craſſitiei pollicaris, atque tabulam* B.C. *tres pollices craſſam, ſubſtiteratque pars* C.D. *in ipſa coſta ad profunditatem quatuor pollicum cum ſemiſſe. Et tamen recta non occurrerat navi, eam ad latus oblique aſſecutus.*

Ampliorem exſpectamus deſcriptionem cornu hujus, præcipue an foraminibus duobus pervium. Quantum vero ex adjuncto ſchemate videre potuerim, non adeo multum a Pariſienſi differre credo. Differre tamen judicat Clariſſ. COLLINSON, ex deſcriptione brevi, quam ad eum miſeram, ſcribitque in Epiſtola ad me data die 16. Novembr. ejusdem anni 1744. ſe mirari, quod neque in libris, neque in Muſæis Anglicis ſimile quid hiſce duobus occurrat.

Ex animalium regno eorum quæ in aëre & in terra vivunt forte non niſi minora incognita ſunt. Aliter vero res ſe habet cum illis, quæ nutrit Oceanus vaſtumque Pelagus. Nos adhuc latent eorum maxima, neque niſi caſu ſpolia quædam videre datur, unde molem vaſtitatemque corporum miramur. Certe reliquis in eo etiam palmam præripit ſcientiis Hiſtoria naturalis, quod nova ſemper amatoribus ſui offerat objecta, ne vel langueat ſtudium, vel temere ſibi perſuadeant, omnia dudum eſſe perſpecta.

Explicatio Figurarum Tab. III. & IV.

Tab. III. Fig. 1. & Fig. 2. repræſentantur duo fragmenta cornu carinæ navis Gallicæ impacti, magnitudine naturali.

Fig. 3.

Fig. 3. Cornu impactum navi Regiæ, quæ Londinum appulit, magnitudine naturali.

A. B. eſt pars cornu, quæ extimo aſſere inſedit.

B. C. pars, quæ ipſam tabulam perforavit.

C. D. extremitas cornu, quæ in coſta navis ſubſtitit.

Tab. IV. Fig. 1. Cornu piſcis aſſervatum in Muſæo Regiæ Societatis Berolinenſis fere dimidiæ, quam naturaliter habet, magnitudinis, ut latere extimo, lævi, in conſpectum venit.

Fig. 2. ejusdem latus inferius aſperum.

C. cavitas ſeu hiatus coni forma, cujus baſis E. apex F.

G. G. oſſis eminentia ſupra dictam cavitatem.

H. Locus ubi in acumen coit.

I. I. Canales ab utraque parte eminentiæ.

K. Foramen ſtudio factum, ut duo canales, quibus os per longitudinem pervium eſt, in conſpectum veniant.

Fig. 3. ejusdem cornu extremitatis majoris planum, tranſverſum, ut per longitudinem inſpicienti obvenit magnitudine naturali.

(Stockholmia Halam miſſa d. 18. Maii, 1745.)

OBSERVATIO LV.

DN. D. FRANC. ERNEST. BRUCKMANNI.

Lapides fungiformes maris rubri, & Dendrites Abachienſis.

F*ungi lapidei* ſunt ordinarie vel *marini*, vel *foſſiles*; poſteriores non ſunt fungi terreſtres petrefacti, ſed æque originem ex mari habent, ſub diluvio univerſali procul du-

bio ex aquoſo elemento in terram delati eademque obruti, iis in locis, ubi hodie effodiuntur rurſusque exinde eruuntur. Priores & poſteriores ad genus corallinum pertinent, ſuntque proprie *lapides fungiformes* ſui generis & peculiaris indolis, qui in Oceani abyſſo profundoque maris, ad inſtar coralliorum & aliarum plantarum lapidoſarum, proprio ſuo modo ex ſeminio quodam proveniunt fungoſque terreſtres figura ſua imitantur. Ejusmodi fungum elegantiſſimum ex mari rubro obtinui ſuperiori anno, cumque non admodum frequenter tales ab aliis Curioſis notati & deſcripti occurrant, ejus delineationem & deſcriptionem ejus idcirco hic brevibus exhibere placet. Siſtit ergo Tab. IV. Fig. 4. lit. a. partem ſuperiorem concavam, lamellis tenuiſſimis punctatis vel granulatis condecoratam. Fig. 5. autem lit. b. exhibet partem vel latus inferius lamellatum, partim tenuibus profunde inciſis, partim & craſſioribus lamellis, alternatim ſemper jucundo prorſus ſpectaculo ſe excipientibus. Tandem literæ c. c. iſtam fungitæ partem indicant, qua dubio procul rupi adnatus fuit.

Corpus fungi eſt ſemirotundum, lapideum, duriſſimum, candidiſſimum, cum nive de albedine certans, elegantiſſimum; reliqua in figura ænea conſpiciuntur.

De origine & productione horum fungorum, quos *Fenagün* ibi vocant, quique in mari rubro creſcunt & naturam talem ſaxeam induunt, Itineraria referunt, quod in arena maris creſcant & piſcatione eximantur. Quamprimum in apricum deveniunt, ſtatim evadunt duri, ſed colore adhuc rubicundo tincti ſunt, ponuntur dein ad littora & ſolis radiis exponuntur, ibique partim calore horum radiorum, partim fluctibus, lavantur & dealbantur, immo & adhuc duriores redduntur. Perquam ſimiles ſunt Agaricis, qui in laricibus, aliisque arboribus ſeneſcentibus, proveniunt. Ex aqua extracti, quandam mollitiem habent, & lympha ſalſa

ita

ita ſunt repleti, ut inſtar ſpongiæ, aqua turgidæ, manibus exprimi poſſint. Præter rubicundum ſæpius quoque alios colores, ut cœruleum, violaceum, cinereum, brunnum, viridem & album, immo diverſimode mixtos, offerunt, gratumque ſic viſui ſpectaculum præbent. Mare rubrum inprimis talibus abundat fungis, obſervatumque fuit, quod maxime in locis arenoſis admodum copioſe creſcant, procul dubio ex ſemine proprio ſui generis, quod cum coralliis & horum ſeminibus convenit. Quid Dn. de MONCONNYS de formatione horum fungorum lapideorum ſentiat, videri poteſt in ejusdem *Itinerario p. 258.* ex cujus germanica verſione pauca ſaltem hæc adjicere lubet: Es ſind im rothen Meer unterſchiedliche Bäume, ſamt ihren Aeſten und Früchten, darauf Zwiebeln, Knoblauch, Schwämme, Piltze, Rettige, allerhand Wurtzeln ꝛc. zu finden, die in dem Waſſer ganz weich ſind, und die hinnunterfahrende Leute mit ihren krummen Meſſern abſchneiden, ſo bald ſie aber in die Lufft kommen, werden ſie den härteſten Steinen gleich. Dergleichen Raritæten ſind zu Sues gar viel zu verkauffen, aber noch mehr und wohlfeiler am Geſtade des Meeres, wo ſie herausgebracht werden, und um ein gewiß Geld zu bekommen ſind. Ejusmodi *lapides fungiformes* itidem quoque in Nilo, in mari Indico, in littoribus maris novæ Hiſpaniæ & Mexico, ubi *Texcalnanacat* appellantur & forſan alibi, Alcyoniis & Coralliis potius accenſendi, offenduntur, de quibus fuſius agunt. *Eraſm.* FRANCISCI in dem Oſt- und Weſt-Indiſchen Luſt-Garten p. 186. & 896 HAPPELIUS *in Relat. Curioſ. Part. I. pag. 484. Part. II. p. 578.* Confer. quoque OLEARII Gottorfiſche Kunſt-Kammer, p. 74. & LOCHNERUS in *Rarioribus Muſei Besleriani p. 83. 84. 87.*

Marino huic producto ſubjungere adhuc lubet terreſtre quoddam, *Dendritem* nempe *Abachienſem.* Hic omnium elegantiſſimus a natura opere punctato pictus lapis, albus

eſt & ſciſſilis, fruticetis punctis miniatis minimis nigris, luſu quodam naturæ eleganter in tabulam conjectis, ornatus. Hæc fruticeta minora ſubtiliſſimo quaſi penicillo in utraque ſuperficie lapidis, opere, ut vocant, miniato, elegantiſſime depicta ſunt, ac ſi artificis manu factum id eſſet. Vid. Tab. III. Fig. 4. quæ primum, & Fig. 5. quæ alterum latus exhibet. Occurrit hoc lapidis genus ad pagum *Abach*, non procul Ratisbonâ. Imagines talium arborum & fruticetorum, prout notiſſimum jam eſt, originem ſuam debent certis terræ & mineralium evaporationibus, quæ per poros, rimas ac ſaxorum fiſſuras penetrant & veſtigia quædam poſt ſe relinquunt. Colores differunt pro varietate ingredientium, quæ vapores ſecum in & ad lapides afferunt; ſic enim in monte Ramnio Goslariæ, vitriolo Veneris copioſiſſime referto, dendritas virides annotare quondam licuit. Vitriolum martis & ſucci bituminoſi ac ſulphurei nigra arbuſcularum relinquunt veſtigia & impreſſiones, prout hoc ex uſu, arte & obſervationibus notare licuit.

(*Guelpherbyto Halam miſſa d. 28. Mai. 1745.*)

OBSERVATIO LVI.

DN. M. BONIF. HENRICI EHRNBERGER.

De

Deceptionibus dioptricis.

Quemadmodum in ſpectaculis catoptricis, ex ſpeculis ſphæricis potiſſimum natis, non prorſus aliena objecta exhibentur, & ab archetypo figura plane diſcrepantia, ſed tantum vel diſtantia adparente, vel magnitudine, vel ſitu, vel longitudine vel latitudine numerove alio: Sic idem de dioptricis dicendum eſt multo magis. Tantum nimirum abeſt, ut decipiantur oculi,

li bonis inſtrumentis dioptricis, teleſcopiis & microſcopiis armati, ut potius multa, imo quam plurima, nunc in aprico quaſi prolata habeantur in Philoſophia naturali, quæ veteres, illa armatura deſtitutos, latuerunt.

Minutiſſima nimirum ut maxima, ac remota nimium tanquam coram intueri hodie licet. Neque etiam, juſta attentione ac crebriore obſervatione adhibita, timendum facile eſt, ne quis in errorem aliquem abripiatur. Exemplum quidem exſtat *Antonii Mariæ* SCHYRLÆI *de Rheita*, Ordinis Capucinorum Concionatoris & in provinciis Auſtriæ & Bohemiæ quondam Prælectoris, qui tubo ſuo binoculo, a ſe reperto, nimium confiſus, præter quatuor Jovis comites Galileanos aut Marianos, quinque alios exteriores & majores prioribus ſe conſpexiſſe, epiſtola ad *Ericium* PUTEANUM *anno 1643. d. 6. Jan.* Coloniæ data, non adſeruerat modo, ſed etiam, (quod eos putabat Coloniæ primum viſos eſſe, imperante Ferdinando tertio, ac eccleſiam Romanam tum gubernante Urbano VIII.) *Ferdinanditertios* ac *Urbanoctavianos*, itemque *Agrippinos* planetas nominaverat. A GASSENDO autem aliisque magnis Aſtronomis non immerito erroris fuit inſimilatus, qui ſtellas fixas pro ejusmodi novis planetis habuerit. Neque enim in poſterum iſte, aut alius quiſpiam, hos imaginarios Jovis comites, novis obſervationibus inſtitutis, recuperare aut evincere potuit. At enim vero, quis hic non culpam conjecerit vel in tubi binoculi conſtructionem non ſatis diligentem, vel in ipſius SCHYRLÆI obſervationem non ſatis ſollicite, ſed præcipitanter ac perfunctorie, inſtitutam, vel in utrumque etiam. Nec quoque longe abfuiſſe videtur SCHYRLÆUS a vanæ gloriolæ captandæ ſtudio, qui tam cito evulgaverit, quod frequentiores curas vigiliasque ante deſideraſſet, quam ullus eruditorum comperiſſet. Quod longe prudentius a GALILÆO factum eſſe ex ejus *Nuntio ſidereo* intelligitur,

 (pag.

(pag. 10.) quippe qui non uno organo, quo oculos armaret, fuit contentus, nec acquievit quærere & elaborare, donec tale invenit ac paravit inſtrumentum, quod curioſitati ſuæ laudabili faceret ſatis. Neque etiam hoc invento ſuo una vice ſtellas, tum fixas, tum vagas, obſervavit, ſed ſæpius, ut utrarumque claram, diſtinctam & adæquatam ſibi compararet ideam, deque earum differentia figuræ & magnitudinis redderetur certus. Hinc igitur factum, ut nemo illum erroris arguere fuerit auſus: quod rem eandem quilibet alius etiamnum invenire poteſt, ea nempe ratione, qua ab illo inventa pariter & deſcripta eſt.

Neque tamen omnes ex dioptrica exulant deceptiones, quibus imprudentes in alienam mentem abripi ſe patiantur facile. Ut enim ſicco jam pede prætercam Polemoſcopia, quæ ſpeculorum ac lentium ope in aliam prorſus plagam objecti imaginem magnitudine auctam transferunt: Tubi etiam ipſi vel optimæ notæ ſummæque perfectionis, non carent decipiendi aptitudine: Ut enim taceamus, objecta longiſſime diſſita, ita, ut ſenſum oculorum effugiant, per teleſcopia quaſi cominus ad nos acceſſiſſe, & multo majora exhiberi, ſecus ac rerum opticarum imperiti putabunt; præterea quoque imago objecti inverſa in tubo aſtronomico oculo ſiſtitur ſpectatoris, quod tamen neutiquam impedimento eſt bene exercitatorum aſtronomorum obſervationibus.

Atque idem hoc quoque præſtant optima microſcopia, quæ exiguas res majori forma conſpiciendas exhibent, & præter hoc etiam (quod ad microſcopia compoſita, præſertim Hoockiana, attinet, duabus tribusve lentibus conſtantia,) non ſolum enormiter augent, ſed & objectorum imagines inverſas intra tubulum repræſentant. Sed de his cum alio tempore uberius ſit actum, plura jam facere verba animus non eſt: præſertim, quod alia ſunt in promptu, quæ vel oblectare opticæ tyrones, vel in admirationem adducere va-

leant

leant imperitos, quin & Philoſophis de cauſſis inquirentibus nonnunquam haud parum negotii faceſſere ſoleant.

Prodeat igitur *priſma vitreum trigonum*, vel ſolidum, vel aqua repletum, tribus parietibus probe politis & pellucidis, in triangulum æquilaterum diſpoſitis, conſtans. Hoc ipſo detineri & in admirationem rapi non raro poſſunt, qui illud vel ad oculos ſuos admovent, vel radios ſolares intromiſſos & inde refractos obſervant, vel etiam in arculam intus denigratam, & ita comparatam, ut ante crenam transverſam ejusmodi priſma poſitum ſit, introſpiciunt. Hic enim iridis arcum, iisdem, quibus in cœlo, coloribus pictum, invenient: ibi pro longitudine priſmatis, iridis colores binis ſimul in locis, vel in area, & pariete, vel in tecto conclavis & area, vel pariete, pro priſmatis ſitu, obſervabunt. Iſtic autem nudum priſma inſpicientes, omnia corpora, ſive lucida, ſive illuminata variisve coloribus aut luminis gradibus diſtincta, iride quaſi illinita videbunt. Quodſi autem iridis coloribus in aream aut parietem projectis ſpeculum quoddam cylindrice convexum objiciamus, feneſtrarum valvis omnibus clauſis, præter illud foramen, quod priſmati patet, circumcirca iridem cernere licebit ſpecie lepidiſſima.

Hujusmodi priſmata trigona, quanti æſtimata & in pretio ſint habita apud populos Orientales, ut margaritis longe præhabita, ſatis indicare videtur *P.* TRIGAUTIUS *Lib. IV. de Chriſtianorum expeditione ad Sinas cap.* 4. dum ita ſcribit: Cum P. *Matthæus* RICCIUS graviſſimo morbo expeditus eſſet, amico in grati animi teſſeram inter cætera munuſcula vitrum trigonum donavit, quod ille in tanto pretio habuit, ut in argenteam thecam incluſerit, & aureas catenulas in extremis nodis alligarit. Hoc vitrum multorum cupiditatem incitavit. Nam non ita multo poſt quingentos aureos in pretium unus aliquis dicitur obtuliſſe, & gravate extorſiſſe, quia donum regium æſtimabatur. Idem teſtatur

tur KIRCHERUS *in China illuſtrata.* Et vere, ſi miras luminis & objectorum adparentias ex vario ſitu & adplicatione hujuscemodi priſmatis attendamus, facile illud quivis ſuſpicere & magni æſtimare poteſt: Cum quamplurima ſint experimenta & obſervationes variæ circa illud inſtituendæ, quæ tamen jam adducere in medium, ſuperſedeo, quod *Zach.* TRABERUS *in Nervo optico,* & *Jo.* ZAHNIUS in *Oculo artificiali Teledioptrico,* ubi ille decem ex ſitu variato priſmatis, una cum quatuor conſectariis proponit, hicce 38. eorum experimentorum ſollicite pariter & curioſe inſtituit ac fideliter deſcripſit, ab hoc labore me levarunt.

Atque eosdem fere effectus monſtrant *priſmata annuaria,* & inſuper hunc, quod ſolis radiis expoſita perfectas irides cum vivaciſſimis coloribus in parietem oppoſitum trajiciant. Quod idem præſtant *coni vitrei*, ſive cryſtallini ſolidi, qui ſolaribus radiis expoſiti, non tantum perfectas irides in oppoſitum pavimentum vel murum ejaculant; ſed etiam hoc habent ſingulare, ut, dum per eos candelæ ardentes, vel lunare lumen adſpicitur, non ipſam lunam vel candelas exhibeant, ſed loco earum lucidiſſimas irides. Horum conorum vitreorum defectu, in potoriis quoque vitris conicis, cum orbiculo congruo piceato bitumine connexis, & intus aqua repletis, iidem effectus poterint obtineri; quorum tamen effectuum curioſos ad duum-virorum jam laudatorum, TRABERI & ZAHNII, tractatus nunc liceat ablegare.

Hoc tamen hic intactum relinquere haud poſſumus, quod & TRABERUS *Catopt. Cap. XVI.* annotat, ſphæras quoque vitreas, aqua limpida repletas, immiſſo ſolis lumine, iridem coloratam generare, quæ eo vivacior eluceſcet, ſi cubiculum ita obſcuretur, ut non niſi radius ſolis pro quantitate ampullæ ſphæricæ immittatur & hæc a feneſtra tribus quatuorve pedibus geometricis diſtans ita collocetur, ut radii

ſolares prius refracti per medium denſius, e concavo intus oppoſito repercuſſi, in parietem e regione poſitum poſſint incidere, quo facto iris colorata & circularis elegans comparebit. Quodſi duplicem deſideraveris iridem, a tergo ſphæræ vitreæ immotæ ſpeculum planum adplicandum eſt, in oppoſita nimirum radiorum ſuperficie: tunc enim radii extra ſphæram exiſtentes repercutientur, novamque iridem priori adjungent. Triplicatam vero etiam effici, vult TRABERUS l. c. ſi *ſpeculum foliatum*, ut adpellant, *concavum* in alterius plani locum fuerit adhibitum, id quod ab harum rerum curioſis tentari poteſt.

Tubi quoque, præſertim longiores, & illi quidem, quorum vitra, & potiſſimum lentes objectivæ, majori ac debeant apertura ſunt prædita, varios exhibent inſpicientibus colores, ut objectum præ illis ægre inveniatur: qui tamen ceſſant, cum vitra ſufficienter ſunt tecta, maxime in aſtronomicis tubis, ubi pro diverſis planetis, quorum alii vivacius lumen habent, alii debilius, nunc minor, nunc major apertura requiritur.

Huc referendum quoque eſt teleſcopii curioſi quoddam genus, tetraëdro bene parato & polito ita munitum, ut mucrone quodam ſuo introrſum ad vitri objectivi centrum ſit directum: quod adeo ludit coloribus iridis, ut primum introſpicientes non ſine magna admiratione eosdem obſervent.

His vero miſſis pergimus nunc ad *polyhedra* ſive *polygonia*, quæ *polyoptra* a quibusdam adpellantur. Quamvis perilluſtris WOLFFIUS per *polyoptra* alius inſtrumenti dioptrici rationem, qua objecta multiplicantur, quæ anguloſa haud eſt, intelligat, de qua paulo infra quædam dicentur. Horum autem *polyhedrorum* tam mira eſt proprietas, ut verendum, ne illi, qui cum artificioſa occultatione iſtis utuntur, præſtigiarum ac artium magicarum ſuſpicionem vix ef-

fugiant. Hæc enim vitra pluribus ſuperficiebus planis ad quadrantem elaboratis objecta quælibet multiplicant ad ſuarum ſuperficierum numerum, & diverſis locis depingunt, ut tali lente angulosa, oculo debite adplicata, rem toties videre ſibi videatur ſpectator, quot habet illa hedras. Et inter alia jucundiſſimum viſu eſt, quod, ſi quis (*) rem ante ſe poſitam, & tali *polyhedro* inſpectam tangere tentet, initio eam digito extento haud facile attingere queat, cum tot digiti appareant, quot rei imagines, & diſcerni nequeat, quæ res, & quo digito ſit attingenda. Quanquam, ſi tot digiti nondum adparent, quot res, errori propior eſt digitus, quam ſi digitorum numerus rei multitudini æquatur: tunc enim digitus rei eſt proximus, & tunc facilius rem propoſitam attingere diſces, ſi vitrum *Polyedrum* ante oculos poſitum parumper vertas in gyrum; tum enim movebuntur omnia objecta, excepto vero, quod vel plane non, vel minimum movetur. Digitum ergo extende verſus illud, quod non, aut minus, movetur; aut digitum quemlibet adparentem extende verſus rem adparentem eidem proximam. Neceſſe tamen erit, ut talismodi polyedra non, ut Schema a ZAHNIO *pag. 508.* depictum monſtrat, comparentur, ita ut anterior quædam ſuperficies, ſive ἕδρα, poſteriori parallelo ſitu opponatur; ſic enim vera res ſtatim ſuo loco viſui occurreret, ſed potius hedræ in medio vitri concurrant cum inclinatione quadam ad baſin oppoſitam, ſic enim nulla imago rei in vero ejus loco adparet, ac res ipſa plane non, ſed ejus ſolum imago cernitur. Ejusmodi autem vitris recte adhibitis, varie homines deludi poſſe, & in magnam deduci admirationem, non negabunt, qui his organis ſunt inſtructi. ZAHNIUS hunc luſum proponit, & jubet perſpicillum ex polyedris conſtruere & naſo amici in

menſa

(*) ſunt verba ZAHNII *Fund. III. Synt. II. c. XIII. p. 509.*

menſa adponere, qui, licet unicum ferculum eſſet oblatum, quamplurimis tamen inſtar lautiſſimi epuli menſam refertam videbit, e quibus, ſi jubeas eum, ut unum ſeligat ſibique reſervet, ac eodem contentus maneat, facile efficies, ut eum jejunum e menſa tam magnifica & opulenta dimittas. Simili fere & occultiori, hincque etiam mirabiliori, ratione hoc artificio utens aliquis, ex uno equite aut milite armato præſenti exhibebit turmam equitum, aut militum cohortem hancque arma expedite & æqualiter ad nutum tractantem, ſi nimirum per foramen parietis tali vitro inſtructum proſpicienti, opponatur miles ejusmodi armis indutus, a tergo autem hujus parietis, per cujus foramen ſpectator perſpicere jubetur, lateat is, qui hunc militem in armis inſtruat: tunc tot milites iſte ſpectator videbit æqualiter ſe moventes, quot planas vitrum illud *polygonum* habebit ſuperficies.

Ad alium vero etiam uſum adhibuiſſe tale vitrum aliquem rerum opticarum peritum Colonienſem, relatum mihi aliquando eſſe memini. Hunc doctum creditori ſuo pecuniam repoſcenti veniam dediſſe ad ſe veniendi ac debiti ſummam recipiendi, hac tamen conditione addita: ſi ſolus inveniatur in muſeo ſuo; id quod per foramen in janua exiſtens exploratu eſſet facillimum: At vero hunc doctum foramen iſtud armaſſe talismodi *polyhedro*: Hinc quoties flagitator ille ad januam veniſſet, & per vitrum illud anguloſum inſcius introſpexiſſet, ſicque debitorem ſuum ita multiplicatum vidiſſet, regreſſum domum ſe recepiſſe, perſuaſum firmiter, eum non eſſe ſolum, ſicque diu a poſtulatione ac ſolutione debiti manſiſſe immunem.

Alio quidem etiam organo, quod celeberrimus WOLFFIUS *polyoptron* vocat, objecti alicujus imago multiplicari poteſt: Si ſcilicet in orbiculo vitreo plano plures inciſos habeamus circellos cavos, tanquam exiguæ magnitudinis vi-

tra concava eſſent, huncque orbiculum, pro vitro objectivo adhibitum, cum lente convexa, cujus focus ſit fere 8. vel 10. digitorum, in locum vitri ocularis conjungamus & in tubulo, aut potius duobus tubulis ductitiis, vel etiam ſub forma coni truncati, cujus tamen interior ac minor ductitius eſſe poteſt, firmemus, in formam fere tubi belgici minoris, ſeu perſpectivi ita dicti. Quod ſi quis enim per lentem iſtam convexam introſpiciat, objectum e regione poſitum per illos cavos circellos cernet toties ſimul, quot ſunt cavæ ſectiones in iſto orbiculo, ſed tamen minore magnitudine & tanquam longe diſſita judicabit eſſe ſpectator. Sicuti & res nimis propinqua non æque diſtincte, & uno conſpectu multipliciter exhibetur, aut per omnes ſectiones cavas ad lentem ocularem & oculum radiat, quemadmodum ea, quæ longius abeſt ab obſervatore.

Sed vitrum *polygonum* nondum eſt dimittendum, ut potius brevi hac digreſſione interpoſita, ad illud revertamus, cum plura ſuperſint de eo memoratu digna. Haud equidem ſcio, an ex *polyedrorum* proprietate parheliorum aut paraſelenarum rationes & phænomena apte ſatis explicari poſſint: utut hoc arbitratus ſit CARTESIUS, Philoſophus alioquin in excogitandis ac inveniendis rerum naturalium cauſſis ingenioſiſſimus pariter ac feliciſſimus: Neque enim omnes difficultates hac ratione ſuperari poſſe, concedent facile, qui omnia *parheliorum* ac *paraſelenarum* phænomena ad *polyhedri* vitri proprietates, tanquam ad lydium lapidem, examinabunt. Id quod ex B. *Jo. Chriſt.* STURMII, *Phyſicæ electivæ Tomo II.* uberius patebit eo ablegare ſe paſſuris.

Nos hic loci potius hoc porro notamus de vitris *polyhedris*, ea ad oppoſitos etiam effectus poſſe adhiberi. Diſſipatas ſcilicet & diſciſſas imagines etiam conjunctas & redunitas exhibent, lepidiſſimo ſpectaculo. Quem in finem tamen machina aliqua eſt paranda, cujus conſtructionem non

modo

modo apud ZAHNIUM laudatum, ſed & in omnibus fere mathematicas diſciplinas tradentibus libris depictam videmus, quam etiam fere quotannis in ſcholis mathematicis deſcribimus, ut præterire jure hic poſſimus. Id tamen tacendum hic minime videtur, KIRCHERUM etiam *polyhedro* uſum eſſe ad inventum ſuum, quod *Horoſcopium magico-dioptricum* adpellat, quo in infinita fere linearum confuſarum in tabula delineatarum multitudine, ſtilorumque & utcunque poſitorum ſitu, hoc tamen confuſum rerum chaos ex certo puncto *horologium* ordinatum & exacte horas demonſtrans exhibet. Deſcribitur illud etiam a ZAHNIO (*), hoc inſuper addente, quod non minorem admirationem excitare aptum eſt, quemadmodum ex diverſis foraminulis ſibi proximis, per eundem tubulum idemque vitrum proſpicientes, in una eademque tabula diverſas res, verbi gr. ex uno foraminulo hortum, ex alio exercitum, ex alio urbem, rurſus ex alio gregem ovium, obſervare poſſimus.

Quod ſi autem anguloſas has lentes conjungamus cum alia lente multum convexa, ludrica exinde microſcopia habebimus, quæ non modo magnitudine, ſed & ſimul multitudine, aucta repræſentabunt objecta, incertumque reddent rationem hujus compoſitionis neſcientem, an totidem objecta ſint præſentia, nec ne. Quorum microſcopiorum ludicrorum varias ſpecies & rationes, ſive quoad formam internam, ſive quoad externam, qui diſcere geſtit, ſæpius jam laudatum adeat ZAHNIUM, cujus curioſa vel inventa, vel ab aliis tradita, quisquis cum animo attento perlegerit, non raro nova alia inveniendi nanciſcetur occaſionem.

Nos hic tacere nolumus inſtrumentum aliud, quod externa forma ſua non multum abludit ab illa machina dioptrica,

(*) *Fundam. III. Synt. V. cap. VII. p. 760. ſeqq.*

ca, quæ diſrupta & diſciſſa junctim videnda exhibet, meminit ejus SCHWENTERUS *in Parte V. Probl. XXII.*, quam vero paullo perfectiorem deſcribemus. Nimirum in canali quodam, aut potius cono truncato, imo etiam pyramide truncata, unius circiter pedis longitudine, firmetur orbiculus aut baſis, cui inſciſſi ſunt plures circelli, qui ſinguli lentibus æquali ſectione gaudentibus armentur, quarum autem focus paulo major requiritur, quam longitudo canalis, aut coni truncati, &c. eſt. Ex altera ejus parte relinquatur exiguum foramen, cui lampas adplicetur, vel noctu, vel in camera obſcura. Ex oppoſito autem objiciatur paries dealbatus, in quem lampas, adhuc intra focum lentium exiſtens, radios lucidos per ſingulas lentes projiciat. Quodſi vero lentes iſtæ charta adglutinata tectæ ſint ita, ut nihil vitri, niſi quantum litteræ cujusdam figura depoſcit, remaneat, pingentur iſtæ litteræ in pariete ac lucidæ apparebunt, præſertim, ſi lampas ſit extra conclave, & canalis aut conus truncatus per parietem lumen transmittat in parietem oppoſitum. Schema SCHWENTERI l.c. depictum rem reddet conceptu faciliorem, modo loco canalis cylindracei, conus truncatus aut pyramis decurtata concipiatur.

Sufficiant jam deceptiones dioptricæ: Plures autem ſuperſunt machinæ & inſtrumenta, quibus indocti decipi poſſunt, ſi Catoptricam cum Dioptrica conjungamus. Huc enim referri poſſunt *Camera obſcura* plano ſpeculo & una lente inſtructa, quæ objecta erecto ſitu in fundo aut pariete dealbato exhibet; ut & *Polemoſcopium*, quod, uno aut duobus ſpeculis planis ac lentibus inſtructum, rem remotam plane aliam in regionem transfert conſpiciendam; quod inſtrumentum ab inventore HEVELIO deſcriptum videmus in ejus *Selenographia*, & in commodiorem formam redactum ac demonſtratum a me in duabus diſputationibus olim

Jenæ

Jenæ habitis (*). Itemque *Laterna magica*, ſive inſtrumentum noctu aut in tenebris imagines in orbiculis vitreis depictas, interventu ſpeculi concavi ac unius, vel, quod melius, binarum lentium ac lampadis, in pariete oppoſito dealbato, ſatis magna, imo etiam gigantea magnitudine, repræſentans, inde *magicæ* cognomen ſortitum; præſertim illud, quod novis acceſſionibus a me auctum, imaginibus mobilitatem ac vivacitatem majorem conciliat (**), v. gr. Chriſtum e ſepulchro exſurgentem, molam alatam cum alis mobilibus, Muſicum cantum modulantem, &c. exhibet. Quibus illuſtris F. E. SCHENCK, Conſiliarius aulicus Saxo-Coburgico-Meiningenſis & ſupremus Waſungenſium ac Sandienſium Præfectus, Vir ingenioſiſſimus & ad curioſa natus, feminam addidit rhombo mobili adſidentem ac ſimul caput nutantem. Quod ſi imagunculas removeamus, laternam habemus tanto lumine radiantem, ut oculos introſpicientium excæcare poſſet. Huc referre quoque poſſumus *arculam Catoptrico-dioptricam*, res externas intus majores exhibentem in tabula vitrea plana, ſed non polita; *Ciſtulam paraſtaticam*, in qua imagines ſatis magnæ & erectæ ſpeculi ac lentium auxilio repræſentari poſſunt: Item aliam *machinam paraſtaticam*, quæ objecta foris a tergo conſtituta curioſiſſime erecta ſiſtit conſpicienda (†). In eundem cenſum venit *poculum potorium magico dioptricum*, in cujus fundo, vel vino eidem infuſo, qualescunque imagines curioſiſſime incurrunt in oculos. Similiter addere hic non pigramur *Horoſcopium curioſum magico-dioptricum*, quod in horto, vel

(*) An. 1709. reſpondente in utraque Henr. Andrea Hœpero, Hannoverano.

(**) Vid. Diſp. mea de Laternæ magicæ novo & curioſo augmento, Jenæ an. 1713. habita.

(†) De quibus laud. ZAHNIUS *Fund. III. Synt. V. p. 687. ſeqq.* pluribus agit.

vel quovis alio loco, ope Teleſcopii in Engyſcopium converſi, artificioſe conſtrui poteſt. Quanquam enim ad deceptiones dioptricas referri quoque poſſet, tamen quia præſtantius videtur, ſi tubo recurvo gaudeat, malui huc trahere. Atque eodem in numero habendum eſt *Anemoſcopium Teledioptricum*, quo tempore quovis lucido ventus a quacunque regione ſpirans, una cum qualitatibus & effectibus curioſe repræſentari poteſt (*) & quamplurimæ aliæ artificioſe compoſitæ, quarum agmen claudat *Panſcopium Teledioptricum*, quod una Teleſcopium, Microſcopium, Polemoſcopium, Helioſcopium, Cameram obſcuram & plura alia complectitur (**).

(Coburgo Halam miſſa d. 9. Jun. 1745.)

OBSERVATIO LVII.

DN. D. JOANN. CONRADI TRUMPHII.

De

Ictero nigro ex urina tantum conſpicuo.

Notum eſt, ſigna icteri ex urinæ flavedine & nigredine, nec non albo oculorum in flavum mutato, facile & fere in principio morbi cognoſci; icterum autem nigrum vocari, quando color urinæ, oculorum & cutis corporis magis in atrum inclinat. Non facile contingit, flavum colorem in albo oculorum non adeſſe, quando icterus præſens eſt. Contigit vero exemplum, ubi icterum nigrum non tam mutatus color tunicæ oculorum albugineæ & cutis corporis, ſed ſolummodo urina indicabat. Erat autem urina eodem nigrore imbuta, quo atramentum eſt ſcriptorium, ſedimentum ipſum autem referebat limaturæ martis colorem. Æger qui jam per 12. dies decubuerat, cum loco Phyſici tunc ægro-

(*) l. c. pag. 703. (**) l. c. pag. 768. ſeqq.

ægrotantis d. 19. Octobr. a. p. eum inviſerem, viribus omnibus erat exhauſtus & vix cutis oſſibus hærebat. Manus erant tremulæ & tendines ſubſultabant, neque ſomnus, neque appetitus aderant. Laboraverat hactenus omnino febre maligna cum delirio, & interrogatus, an regio hepatis doleret, non verbis, ſed capitis inflexione, id affirmabat. Quapropter ſuſpicans adhuc hepatis obſtructionem, quamvis hactenus rhabarbarum & ſapo Venetus exhibita fuiſſent, imponebam huic regioni emplaſtrum, ex emplaſtro de cicuta & diachylo compoſito mixtum. Hoc brevi dolorem mitigabat, obſtructione nempe reſoluta, quod exinde patebat, quod alvus bis, ter & pluries intra nychthemeri ſpatium ſolveretur, quamvis per aliquot adhuc dies feces nondum naturali, ſed albo & cinereo tinctæ eſſent colore. Poſt quatuor dies ſubſultus tendinum diſparebat, verum ſomnus, appetitus & vires nullatenus redibant. Hiſce diebus ſemper inhæſi remediis ſequentibus, parum tantum interdum mutatis: Rec: Aq. flor. tillæ, lilior. convall. ſambuc. cordial. frig. ana ℥ij. cinnamom. ſin. vin. ℥j. Corall. rubr. ppt. antimon. diaphoret. martial. lap. cancr. citrat. ana ſcrupul. unum, Cinnab. nativ. ſcrup. dimid. Nitr. antimoniat. vel depurat. ſalis abſinth. ana ſcrup. I. vel drachm. dimid. limatur. martis ſubtiliſſ. gr. XV. rhabarb. Alex. ſcrup. unum. Confect. alkerm. incomplet. drachm. dimid. ſyrup. de toto citro drachm. III. ſpir. nitri dulc. drachm unam. M. D. quovis bihorio uncia una. Rec: Tinct. mart. helleborat. Anim. rhabarb. arcan. tart. liquid. ana drachm. I. cum dimid. ſpir. nitri dulc. drachm. I. M. D. gtt. LX. bis de die. Rec: Aqu. Majoran. Regin. Hung. ana drachm. II. acet. rutac. unciam dimid. M. D. pro odoramento.

Quamvis igitur hoc in ſtatu urina de ſumme nigro ſuo colore vix quicquam remitteret, flavedo tamen in oculis nulla prorſus conſpiciebatur; ſenſim hinc ad meliora redibat

 æger

æger, nihiloſecius urina manebat fuſca, niſi quod ſedimentum non amplius inſtar limaturæ martis atrum & pulverulentum, ſed mucoſum eſſet. Remedia in hoc ſtatu fere eadem fuerunt, quæ antea deſcripta, nempe: Rec: Tinct: mart. cum ſucc. pomor. & helleborat. Anim. rhabarb. Arcan. tart. liquid. Eſſ. abſynth. compoſ. ſpir. nitr. dulc. ana ſcrup. II. vel drachm. I. olei de cedro gutt. IV. M. D. gutt. LXX. Rec. Decoct. hord. cum C. C. & rad. ſcorzoner. libr. dimid. Aqu. ſcord. flor. paralyſ. cordial. frig. ana unc. II. Antimon. diaphoret. martiat. Corall. rubr. ppt. lapid. cancr. citrat. ana ſcrup. I. Limat. mart. ſubtiliſſ. gr. XV. cinnab. nativ. ſcrup. dimid. Nitr. antimon. drachm. dimid. Rhabarb. orient. ſcrup. unum. ſyrup. de toto citro drachm. VI. M.

Tandem urinæ color nigerrimus in flavum degenerabat, & cum d. 12. Novembr. appetitus ciborum, ſomnus & vires aliquantum rediiſſent, tandem citrina evadebat inſtar urinæ ſanorum. Diarhœam in hoc morbo ſalutarem merito exiſtimans, juvandam omnino eſſe duxi, quamvis interdum quoque eam moderandam, non quidem ſiſtentibus remediis, ſed ſaltem imminuendo doſin rhabarbari, exiſtimaverim. Quod autem nullus color flavus in cute comparuerit, qui tamen ſæpe etiam ſuperato jam morbo ad huc remanet, exinde puto provenire, quod bilis ex obſtructo hepate regurgitans, a vaſis internis reſorpta, potius ad vaſa urinaria, quam ad extrema cutis tranſierit; ſedimentum enim illud nigricans arenoſum, limaturæ martis ſimile, bilem fuiſſe non tam æruginoſam, quam potius ferrugineam, extra dubium omnino eſt, Putabat quidem alius æger, eodem morbo laborans, qui ab alio Medico hactenus remedia obtinuit, provenire illud ſedimentum a pulveribus potioni admixtis; aſt facile refelli poterat hæc ſententia exinde, quod tum in illo ipſo, tum & in noſtro ægrotante, urina tale jam ſedimentum monſtraverit, antequam illud præſcriptum fuerit

rit remedium. Concretiones quasdam bilioſas per alvum ſeceſſiſſe, in hactenus deſcripto caſu non obſervavi, quale exemplum eodem tempore in alio ægro, colica in principio morbi bilioſa vehementiſſima laborante, obtigit.

Quamvis autem de reliquo rhabarbarum cum ſalibus junctum in hoc morbo omnem fere abſolvat paginam, & ſapo Venetus in deobſtruendis viſceribus magnæ ſit efficaciæ, (quæ remedia jam a priori Medico adhibita fuerant) hisce tamen ſub circumſtantiis ea, quæ enumeravi, potius ſubjungere volui quam illis ſolis ulterius inſiſtere. In hoc vero ægri ſtatu, dum omnia fere in vado eſſe videbantur, aliquando poſt rigorem cutis pruritus ejus percipiebatur, & poſtero die levis purpura apparebat, quæ tamen intra paucos dies, poſt lenem promotum ſudorem, iterum diſpellebatur, ut ita poſt aliquot hebdomadum decurſum vires integras cum ſanitate, auxiliante divino Numine, tandem feliciter recuperaverit.

OBSERVATIO LVIII.

DN. D. JOANN. CONRADI TRUMPHII.

Abſceſſus in inguine, ex quo lumbrici & feces alvinæ prodierunt, feliciter conſolidatus.

Hujusmodi abſceſſus non adeo infrequenter occurrere, ex multis obſervationibus nunc conſtat, nec mihi quoque talem in praxi defuiſſe, teſtantur ea, quæ cum Dn. Collectoribus Commercii litterar. phyſ. med. Norimberg. communicavi, ibique Ann. 1740. extant. Non minus quoque in Volumine VII. Actor. Academ. noſtræ p. 473. talis caſus conſignatus proſtat, in quo tamen felix haud ſucceſſit ſanatio, ſed abſceſſus apertus manſit, ſicuti utplurimum evenire ſolet; hinc quoniam alius interea mihi obtigit caſus, qui perfectam admiſit conſolidationem, eum quoque in præſentia-

 rum

rum ſincere communicare placuit, cum omnibus eo pertinentibus circumſtantiis, quæ in ſequentibus conſiſtunt.

Uxor civis cujusdam honeſti, 44. annorum, quam ex circumſtantiis quibusdam gravidam eſſe ſuſpicabar, (quæ ſuſpicio tamen fefellit) prægreſſa gravi iracundia, poſt antea comeſtas ſpiras recentes, percipit noctu vehementes dolores colicos, cum alvi & urinæ obſtructione. Sequente die vocatus, deprehendo eam colica nephritico-bilioſa laborare. Remedia interne exhibita ab initio omnia revomebat. Clyſter applicatus alvum ſubducebat, ſed altera vice immiſſus nullum effectum præſtabat. Inter hæc fluxus menſtruus per duos dies, ſed parcius, prorumpebat, eoque ceſſante, cum alvus obſtructa reſerationem urgeret, & ægrota pilulas plane abhorreret, ſequentem præſcripſi mixturam: Rec: Reſin: Jalap. ſcrup. dimid. ſolv. in Eſſ. Cort. ☉ant. drachm. II. adde ſyrup. Violar. drachm. dimid. D. pro duabus doſibus. Hocce remedio tandem ſatis ſolvebatur, præſertim quoniam ſimul ſequens ſubjungebatur clyſter: Rec: Spec. decoct. emollient. uncias II. ſem. carvi & aniſi ana unc. dimid. flor. chamæmel. vulg. manip. I. fol. Senn. drach. II. fol. Tabaci Virgin. drachm. I. Conc. M. decoqu. cum ſ. q. aquæ & lactis, Colaturæ addebantur Elect: cathol. & ol. rapar., alia autem vice terebinth. in vitell. ovi ſolut. drachma I. & dimidia. Interim, non obſtante, quod alvus eſſet aperta, tamen vomitus bilioſus continuabat, &, quod magis adhuc mirandum erat, feces alvinæ aliquoties cum vomitu rejiciebantur, quemadmodum etiam eodem tempore lumbricus vivus ſimul evomebatur. Ad ulterius ergo eliminandam ſaburram bilioſam repetebam uſum prædictæ mixturæ purgantis, quæ exoptatum iterum præſtabat effectum, prodeunte ſimul, unacum lotio, ſatis notabili quantitate ſabuli, quod inſimul morbum recte pro colica nephritico-bilioſa declaratum fuiſſe, arguebat. Quoniam autem ſimul flatibus adhuc moleſtabatur ægra, ſe-

ſequentem dein præſcribebam mixturam: Rec Spir. nitr. dulc. drachm. II. Eſſ. carminat. Wedel. & Caſtor. ana drachm. dimid. M. D. gutt. XL. Interim durante hocce morbi decurſu, conquerebatur ægra de notabili per intervalla occurrente augmento doloris in tumore quodam in inguine, antea quidem ſæpius, ſed mitiori in gradu ibidem percepti. Herniam leviorem eſſe hunc tumorem, ex circumſtantiis enarratis tum a me, tum a Chirurgo concludebatur. Ceſſantibus vero ventris doloribus, prædictus ille in inguine magis adhuc exacerbatur. Propius ergo intuentes tumorem, inveniebamus, apoſtema hic latitare, ſtatimque, ponderatis omnibus circumſtantiis, prædicebam, ex illo aperto lumbricos eſſe prodituros, id quod Chirurgus, ceterum ſatis peritus, vix ac ne vix quidem imaginari ſibi poterat, eventus vero demonſtrabat, verum fuiſſe hoc prognoſticon, quod ex caſibus ſimilibus jam jam obſervatis formabam. Paucis enim poſtea elapſis diebus, adhibitis antea convenientibus cataplaſmatibus, aperiebatur apoſtema, præviaque excretione ſatis notabilis quantitatis purulentæ materiæ, altero die Chirurgus, turundam apprehenſurus, lumbricum extrahit, magna cum admiratione ex parte ſua, & haud minori cum ſtupore ex parte ægrotæ. Hunc poſtero die adhuc unicus ſequebatur, præter quem vero, neque ex apoſtemate hoc, neque etiam per inferiora aut ſuperiora, ullus quidam ulterius prodiit. Interim ad abſtergendum & mundificandum ulcus, quod ſatis anguſta quadam apertura in abdomen progrediebatur, & ex quo interdum feces alvinæ una cum pure ſimul excernebantur, injectiones balſamicæ frequentius in uſum vocabantur. Poſt aliquot dies foramen magis anguſtum evadebat, aſt quoniam hoc non obſtante puris excretio continuabat, dubii adhuc hærebamus, an plenariam illud admiſſurum ſit conſolidationem. Continuatis ergo porro prioribus injectionibus, ſubjungebantur balſamica, ex

Eſſ. myrrhæ, balſ. de Copaiba, aliisque, quæ cum turunda adplicabantur, horumque ſub uſu intra quatuordecim dierum ſpatium plenaria tandem conſolidatio, rarius alias in ejusmodi caſibus eveniens, ſuccedebat, nihilque amplius incommodi poſt ſe relinquebat.

(*Goslaria Halam miſſæ, d. 12. Jun. 1745.*)

OBSERVATIO LIX.

DN. D. JOANN. FRIDER. FURSTENAU.

Biga Caſuum de abſceſſu & ulcere genuum feliciter perſanatis.

Puella 12. annorum conqueritur de ambulandi difficultate, mox tumor durus, dolens, ex parte rubeus in cavitate flexuræ poplitis ſiniſtri pedis in conſpectum prodit. Mater anxia me advocat in conſilium, & cum tumorem exploraſſem, auctor ipſi fui, ut ſacculum ex herbis reſolventibus & diſcutientibus conficeret, ipſumque aceto deſtillato, cum ſpiritu vini mixto, irrorando, calide ſæpius applicaret. Fecit hoc per octo circiter dies, non admodum magnum autem inde ſentiit levamen, neque tumor multum imminuebatur, ideoque ſuaſu meo ſaponacea, camphorata, ſpirituoſa, ſalina & ſimilia applicabat, ſed neque his optatum effectum conſequi potui. Cum itaque probe animadverterem, fieri haud poſſe, ut tumor hic diſcutiatur & reſolvatur, tandem, licet trepidus, ad emollientia & maturantia confugi: Hæc inter commendabam εὐπόριστον illud, quod ex melle & farina ſecalina paratur, addito pauxillo olei lini, inde tumor ſenſim ex parte mollis reddebatur, ita quidem, ut in ſuperiori ejus apice locus ſe ſe oſtenderet, qui accuratius intuenti albus apparebat. Hunc itaque locum lanceola provide aperui; effluebat

fluebat primo ſanguis ater, deinde materia purulenta ichoroſa, multo ſanguine remixta. Abſceſſum hinc digeſtivis & balſamicis lege artis tractans, tumor ſenſim imminuebatur, & interne ſimul laxantibus & diaphoreticis in uſum vocatis, omnia ex voto ſuccedere videbantur, imo firmiſſima mihi ſpes erat, fore, ut paucorum ſpatio dierum, abſceſſus ad plenariam deduci poſſet conſolidationem. Sed ex improviſo nova accedebant ſymptomata: Puella enim, forſan ex errore in ſex rebus nonnaturalibus commiſſo, corripitur ſimul forti horrore, cum inſequenti æſtu leniori, & ingenti pedis dolore, apparentibus ſimul novis tumoribus non multum a priori diſtantibus, maxima interim materiæ purulentæ atque ſeroſæ copia ex abſceſſu aperto profluente, ita quidem, ut abſceſſus in ulcus depaſcens quaſi degeneraret, & labia excavata peculiares formarent ſinus, magnaque pars muſculorum, qui hoc loco ſiti ſunt, gracilis nempe, ſemimembranoſi & ſemi nervoſi, in conſpectum veniret. Huic ut ſuccurrerem malo, ſuaſi primo, ut ad tumores novos diſcutiendos novum, ſed priori longe majorem conficeret ſacculum, ex herbis floribusque roborantibus & reſolventibus, inprimis lavendula, ſalvia, roremarino, majorana, flor. ſambuc. chamomill. ſimilibusque conſtantem, quo totum fere femur interius foveret; interne vero laxantibus, diaphoreticis, temperantibus, bezoardicis, vulnerariis, in pulverum & infuſorum forma exhibitis, cum regimine diapnoico, uteretur, unde etiam tumores iſti novi diſcutiebantur. Abſceſſum vero ipſum purgavi aqua phagædenica; deinde balſamum inſtillavi vulnerarium, deligationes bis in die inſtitui, lintea ſæpius duplicata (vulgo compreſſen) rite applicavi & faſcia apta omnia firmavi; loco balſami vulnerarii interdum inſperſi pulverem myrrhæ cum alumine crudo, & omnem movebam lapidem, ut ſinus probe comprimerem labia ſimul ad ſe invicem adducendo, quod etiam ex voto

ſuc-

ſuccedebat, ita quidem, ut puella iſta, ſex circiter ſeptimanarum ſpatio, perfectam recuperaret ſanitatem, neque ullam in ambulando retineret difficultatem, quamquam abſceſſus, qui primo duos digitos transverſos ſupra articulationem aperiebatur, deinde transverſim ipſam attingebat, imo fere usque ad locum, ubi muſculi, gracilis, ſemimembranoſus & ſeminervoſus inſeruntur, progrediebatur.

Hunc ideo potiſſimum notavi caſum, quia tam quoad ſymptomata, quam quoad locum affectum, aliasque circumſtantias, valde analogus fuit illi, quem recenſet Illuſtris HEISTERUS, *Diſſert. de genuum ſtructura & morbis* §. 78. *ſeqq.* quæ M. Dec. 1744. prodiit; iſte autem modo citatus caſus fuit lethalis, ob copioſum ichoris ſanguinolenti effluxum, quem Medicus & Chirurgus, in abſentia celeberr. HEISTERI compeſcere non poterant, unde quoque modo nominatus Vir clariſſimus inductus fuit, ut crederet, aneuriſma forſan occultum abſceſſus ſpecie hic latitaſſe.

Reſtat nunc, ut de ulcere in genu a nobis perſanato quædam addamus: Puella decem annorum laboraverat variolis t. t. epidemice graſſantibus, peſſimoque more remediis calidis, & regimine exquiſite diaphoretico erat tractata, unde magnam ſeroſarum & acrium humorum copiam collegerat; ſuperatis itaque variolis, quæ maximam partem confluentes fuerant, in genu quoque dextro tanta earum fuit copia, ut tota patella una veluti eſchara eſſet obducta, hacque remota magna conſpiceretur cavitas, quam ſeroſa illa acris materia, ſub eſchara collecta & ſtagnans, effecerat. In auxilium itaque vocatus, corpus primo appropriatis laxantibus & hæmo-catarticis purgavi, ulcus ipſum Eſſ. ſuccini, myrrhæ ſimilibusque deligavi, & cum in utroque latere ſinus eſſent, magnam puris quantitatem ſeroſi plorantes, id egi, ut ſpleniis craſſis, utrique lateri adplicatis, aptaque

liga-

ligatura comprimerem, quod etiam feliciter ſuccedebat, deinde pulverem Myrrhæ, vel ſolum, vel cum alumine crudo permixtum, ulceri inſperſi tandemque ſaccharo Saturni exſiccavi & ſic ad perfectam deduxi ſanationem.

(*Rintelio Halam miſſa d. 25. Jun. 1745.*)

OBSERVATIO LX.

DN. D. ANDREÆ WESTPHAL.

Hydrops aſcites feliciter curatus.

Virgo, quæ viginti quatuor annos jam compleverat, ruſtico vitæ generi dedita, ob refrigerationem pedum in aqua frigida, tempore illo, quo menſes fluxerant, horumque inde ortam plenariam ſuppreſſionem, hydrope aſcite, ſucceſſive invaleſcente, tandem adfligebatur. Varia hinc equidem ſubinde ab ægra adſumpta erant remediorum genera, inprimis a domeſticis undiquaque corraſa, eventus autem non reſpondebat ſpei conceptæ, ſed morbus in dies majora incrementa capiebat. Cum ergo tandem auxilium a me peteret, præſcripſi infuſum aliquod, ex raphano ruſticano radula comminuto, & baccis juniperi contuſis, mediante affuſione aquæ calidæ paratum, & ſyrupo quodam edulcoratum. Hujus in dies tantam haurire debebat quantitatem, quantam ferre valebat. Mane elixirium proprietatis ſine acido, cum ſpiritu nitri dulci mixtum, veſpertino vero tempore pulverem, ex nitro, tartaro vitriolato, & lapidibus cancrorum cum acido citri ſaturatis compoſitum capiebat. Uſu horum remediorum per aliquod tempus continuato, cum urinæ larga quantitas redderetur, remedium quoddam purgans, ſequentem in modum paratum, ægrotæ porrigebatur: Rec. Succi iridis noſtratis expreſſi & per ſubſidentiam depurati, unciam unam, ſpiritus aniſi drachmas

 ſex

ſex. Hujus mixturæ poſtea recipiebat drachmam unam & Syrup. corticum aurant. drachmas duas, hæcque cum duabus unciis vini commixta pro doſi capiebat.

Magna inde copia fecum alvinarum & ſeri per alvum exturbabatur, manifeſto cum levamine ægrotantis. Urina quoque, infuſo illo antea commemorato ad libram unam quotidie adſumpto, ſatis large dein profluebat, & tumor abdominis pedumque adeo quidem imminuebatur, ut poſt duorum circiter menſium, ab incepta hac curatione, decurſum, ægrota libere in hypocauſto poſſet obambulare, cum antea pedibus haud inſiſtere valuerit, & lecto fere perpetuo affixa fuerit. Tunc vero iterum remedium illud purgans, cum quatuor drachmis Syrupi cortic. aurantiorum commixtum, haurire juſſi, unde denuo magna quantitas aquarum expellebatur. Ipſa autem ægra poſtea ſemper majus ſentiebat levamen, viriumque incrementum, ac tandem, adhibitis ſimul medicamentis roborantibus, pilulis ex aloe, pulvere ſquillæ, extract. cent. minor. ſapone Veneto & tartaro tartariſato paratis, hauſtoque quotidie infuſo quodam pugillari ex herbis uterinis, ſanitatem priſtinam plenarie tandem recuperabat.

OBSERVATIO LXI.

DN. D. ANDREÆ WESTPHAL.

Radicis Squillæ inſignis efficacia in oppletione pectoris pituitoſa.

Sacerdos quidam fere ſexagenarius, temperamenti ſanguineo-cholerici, & ſtrictioris corporis habitus, hæmorrhoidum fluxum hactenus ſingulis menſibus ſatis largum expertus, ex refrigeratione extremitatum inferiorum, ſub itinere, tempore hyemali inſtituto, oppletionem pectoris inſignem

ſignem ſibi contraxerat. In conſilium ergo vocatus famoſus quidam empiricus, ſyrupum de pulmone vulpis, commixtum cum ſyrupo violarum, exhibuit, a cujus largiore uſu, per ſeptem dierum ſpatium continuato, oppletio illa pectoris tantum ſumſerat incrementum, ut ſuffocari omni momento ægrotus videretur. Mediante tuſſi nil plane ejicere valebat, vires omnino erant fractæ, & maxima ſimul conjuncta reſpirandi difficultas. In hoc rerum ſtatu ego accerſitus, mixturam, ex aquæ Veron. vinoſ. unciis tribus, aquæ Hyſſop. unciis duabus, aceti ſcillitici, in quo gummi ammoniacum erat ſolutum, uncia una, & ſyrup. Nicotian. q. ſ. ad gratum ſaporem conciliandum, paratam, nec non pulverem, ex radicis ſquillæ granis quatuor, rad. Vincetox. granis ſex, & nitri granis octo compoſitum, offerebam. Suris inſimul imponebantur veſicatoria, & ano injiciebantur clyſteres leniter ſtimulantes. Hac ergo ratione non ſolum illa inſignis pectoris oppletio eximie levabatur, ſed & ingens materiæ viſcidæ & mucidæ quantitas ope tuſſis rejiciebatur, ſubjunctisque demum remediis lenioribus diaphoreticis & analepticis, æger tandem perfecte iterum convaleſcebat.

OBSERVATIO LXII.

DN. D. ANDREÆ WESTPHAL.

Cœcitas plenaria in puero, uſu mercurii dulcis iterum ſublata.

Puer egenus ſumme cacochymicus, pedibus nudis ſemper incedens, per viginti quatuor hebdomades, plenaria jam laboraverat cœcitate. Oculi valde erant turbidi, atque hinc & inde, inprimis non procul a pupilla, maculæ quædam albæ in iisdem apparebant, concurrentibus ſimul continuis fere doloribus capitis, præſertim in regione oſſis frontis.

 Probe

Probe ergo conſiderans, cœcitatem hanc pro cauſſa forte agnoſcere aut nimiam craſſitiem & viſciditatem humorum illorum, quos oculi fovent, aut obſtructionem nervi optici, a humoribus craſſis productam, ſtatim in uſum vocare decrevi mercurium dulcem, tali maxime ratione, ut uni parti mercurii dulcis adderem lapidum cancror. partes tres, & decoctum ex radice chinæ, ſarſaparillæ, bardanæ & ſcrophulariæ hauriendum inſimul præberem. Suris poſt hæc imponebantur veſicatoria, oculis adplicabantur epithemata, ex herbis roborantibus & diſcutientibus confecta, interpoſitis aliquando lenioribus purgantibus. Singula hæc etiam ita proficiebant, ut intra octo hebdomadum ſpatium colores varios non modo iterum cognoſcere & a ſe invicem diſcernere, ſed etiam ſcripta, typis majoribus expreſſa, legere valeret, tandemque adjuvante Divini Numinis gratia viſum plenarie recuperaret.

OBSERVATIO LXIII.

DN. D. ANDREÆ WESTPHAL.

Diarrhœa Pleuritidi ſuperveniens ſalutaris.

Mulier ſexaginta annorum, ſanguine plena, multorum liberorum mater, & per totum vitæ ſuæ curſum ab omnibus fere morborum inſultibus vitam degens liberam, tandem hoc anno pleuritide vera adfligebatur. Statim ab initio vena in brachio lateris adfecti ſecabatur, veſicatoria ſuris, & lateri dolenti veſica ſuilla lacte tepido repleta, adplicabantur. Pulveres nitroſo-diapnoici camphorati, aliaque in pleuritide uſitata remedia, debito ordine & modo exhibebantur. Succedebant etiam omnia ex voto, & die morbi quarto ſputum prodibat cruentum, hac vero excretione circa diem ſeptimum uno quaſi actu ſubſiſtente, omnia ſymp-

tomata reddebantur pejora: Æſtus enim maximus, dolores ſumme ardentes & punctorii lateris ſiniſtri, reſpiratio valde difficilis & anxia deliriumque vehemens, ſuperveniebant, ægra floccos legebat, ungues in digitis manuum colorem induebant lividum, oculi lacrymas fundebant involuntarias & artus quandoque convellebantur. Nono autem morbi die accedebat diarrhœa, ſub qua materia coloris ex atro rubeſcentis, inſignem fœtorem ſpargens, in magna quantitate, atque utplurimum inſcia ægrota, excernebatur, quemadmodum etiam urina pari ratione reddebatur. Durabant hæc usque ad decimum quartum morbi diem, quo ſuperato, omnia ſymptomata antea commemorata ſenſim evaneſcebant, & priſtina ſucceſſive redibat ſanitas.

OBSERVATIO LXIV.

DN. D. ANDREÆ WESTPHAL.

Motus convulſivi chronici ex terrore orti.

Virgo 28. annorum, temperamenti ſanguineo-cholerici, habitus corporis floridi, & perfecte ceteroquin ſana, decimo ſexto ætatis ſuæ anno, ex adſpectu viri cujusdam, qui prorſus inſolitæ formæ fictam geſtaverat faciem, repentino terrore vehementer fuerat commota, quem mox convulſivi motus, inprimis brachii & pedis ſiniſtri, excipiebant, qui equidem a Medico, tunc temporis præſente, quadantenus mitigati fuerunt, temporibus autem ſequentibus, & quidem præcipue circa æquinoctia, magno cum impetu & vehementia recurrerunt, nec ullo etiam modo amplius refrænari potuerunt, licet optima quælibet denuo adhibita fuerint remedia. Per decem ergo annos jam jam malo hocce ita adflicta fuerat, cum & ego in conſilium ſimul vocarer, præviaque diligenti indagatione omnium circumſtantiarum, ſta-

 tum

tum ejus ita comparatum deprehenderem. Quando a motibus hiſce libera vivebat, quantum ſcilicet ex externo adſpectu judicare licuit, vegeta erat ac ſana, catamenia rite & ſtato tempore fluebant, nec in aliis actionibus, homini ſano competentibus, præternaturale quidquam notabatur, excepta ſaltem atonia & quandoque occurrente tumore aliquo, leviſſimo tamen, brachii & pedis ſiniſtri, nec non inſigni proclivitate ad terrorem, ex minima etiam cauſſa ſtatim oborientem. Paroxyſmum autem inſtantem præſagiebant ordinarie ſomnus inquietus admodumque turbatus, appetitus plane dejectus, dolores capitis, palpitationes cordis, anguſtia præcordiorum & frigus per totum corpus ſeſe diffundens. Hæc, quando per duos, tres, ad ſummum quatuor dies perduraverant, motus convulſivi magna cum vehementia miſeram ita excruciabant & exagitabant, ut a quatuor perſonis in lecto detineri haud potuerit. Oculi tunc erant clauſi, os diſtorquebatur, caput mira quadam vi modo antrorſum, modo retrorſum agitabatur. Cor palpitabat, ſanguis impetuoſe verſus pectus & caput movebatur & reſpiratio ſumme erat difficilis. Manus & pedes durante paroxyſmo ratione frigiditatis cum glacie certabant; quamprimum vero calor, etiam ſaltem aliqualis, in iisdem redibat, ſtatim paroxyſmus non ſolum mitior evadebat, ſed quoque ad breve quoddam tempus plane remittebat. Superato tandem illo, de ſumma virium proſtratione, ſiti, dolore capitis & anguſtia præcordiorum conquerebatur. Mens ſibi non conſtabat, ſed varia minus cohærentia plerumque tunc proferebat. Quodſi autem pedes, præcipue vero manus, frigus iterum occupabat, illico etiam paroxyſmus denuo recrudeſcebat, nunquam tamen ultra duas, vel ad ſummum tres horas durabat, hacque tragœdia finita, dein ægrota, paucorum dierum intervallo, ad plenariam orthoſtadiam redibat.

Cete-

Ceterum omnia illa remedia, quæ per integrum biennium ad malum hocce radicitus exſtirpandum, fuerunt adhibita, nullum plane attulerunt levamen, quin potius nuperrime adhuc fluxus menſium nimius, cum fluore albo benigno conjunctus, acceſſit, quem dein plenaria adpetitus dejectio, viriumque tanta proſtratio excepit, ut vix ægra adhuc negotia illa, quæ alias facili etiam modo perficiuntur, obire queat; inprimis cum etiam nunc intumeſcentia præternaturalis totius lateris ſiniſtri ipſius corporis, maxime brachii & pedis accedat, motusque iſti convulſivi prædictis temporibus indeſinenter recurrant, hacque ratione lethalem tandem ſucceſſurum eventum omnino præſagiant.

OBSERVATIO LXV.

DN. D. ANDREÆ WESTPHAL.

Hæmorrhagia uteri enormis, immiſſione extremitatum ſuperiorum in ſal calefactum, feliciter cohibita.

Fœmina viginti quatuor annorum, temperamenti ſanguineo-melancholici, vegeta alias ac ſana, & partu jam ſemel feliciter defuncta, ob lapſum in terram graviorem, & iracundiam, qua vehementer exarſerat, quinto graviditatis menſe abortum patiebatur. Negligentia obſtetricis, membranæ, quibus fœtus in utero circumdatus eſt, & funiculus umbilicalis fere totus, in utero remanſerant, quare febris ſuperveniebat inflammatoria uterina perquam vehemens. Quinto vero poſt abortum die hæmorrhagia uterina tam enormis accedebat, ut ægrota intra ſex horarum ſpatium ultra viginti libras ſanguinis amitteret. Omnia remedia, ad illam ſiſtendam adhibita, prorſus irrita erant, immo eo uſque tandem increſcebat, ut lipothymiæ frequentiores,

ſudores frigidi, abalienatio mentis & tremores artuum mortem inſtantem prænuntiarent. Hoc ergo ſub rerum ſtatu perquam ſontico cogitabam adhuc, an non forte ligaturæ artuum ſuperiorum, aut immiſſio eorundem in ſal valde calefactum, ſanguinis affluxum verſus hancce regionem promovere, & hæmorrhagiæ huic obicem ponere valerent. Prius remediorum genus, in tali ſtatu alias præſtantiſſimum abhorrebant adſtantes, metu vano crudelitatis detenti; poſterius vero admittebant. Immiſſis itaque artubus ſuperioribus in ſal calefactum, & quidem crebrius repetitis vicibus, primo omnium faciei lenis quidam calor conciliabatur; poſtea lipothymiæ & artuum tremores ſubſiſtebant, & tandem ſudore frigido in calidum per totum corpus mutato, hæmorrhagia uterina quadantenus intuitu vehementiæ ſuæ remittebat. Cum ergo uſui ſalis calefacti ulterius inſiſterem, intra duarum denique horarum ſpatium, impetus hæmorrhagiæ hujus penitus coërcebatur, & exhibitis ſimul poſtea idoneis remediis internis, a gravi hocce morbo ægrota feliciter liberabatur. Notatu autem inprimis adhuc dignum erat, quod, durante illo externo calidi ſalis uſu, artus ſuperiores undiquaque adeo quaſi perfuſi fuerint rubicundo colore, ac ſi flagellis cæſi eſſent, manifeſto ſane indicio, quod ſatis valida tali modo excitata fuerit humorum verſus ſuperiora revulſio, quæ optimum & ſecuriſſimum ad compeſcendam effrenem talem hæmorrhagiam conſtituit remedium.

OBSER-

OBSERVATIO LXVI.

DN. D. ANDREÆ WESTPHAL.

Oculorum inflammatio, cum prominentia inſigni dextri extra orbitam, a difficili perruptione dentium caninorum orta.

Infans ſeptem circiter menſium, communi alias & utplurimum uſitato more admodum difficili dentium ſic dictorum caninorum in maxilla ſuperiore perruptione laborabat. Complures jam jam noctes diesve plane inſomnes transegerat, doloresque adhuc magis augebantur accedente utriusque oculi inflammatione. Varia a parentibus jam jam adhibita erant remedia, ad promovendam hujus inflammationis diſcuſſionem, dentiumque ſimul adjuvandam perruptionem, quæ etiam in tantum profecerant, ut dens caninus ſiniſtri lateris e gingivis prodierit, inſimulque inflammatio oculi ejusdem lateris a vehementia ſua notabiliter remiſerit; aſt dexter caninus dens, his non obſtantibus, quaſi immobilis intra gingivas hærens, nullo modo ulterius promoveri poterat, indeque eveniebat, ut inflammatio totius oculi dextri non ſolum valde augeretur, ſed etiam bulbus ipſe ex orbita usque adeo promineret, ut quaſi exinde propulſus videretur, concurrente ſimul copioſa ſeri lacrymalis profuſione, & atrociſſimis indeſinenter continuantibus doloribus. Sub his itaque circumſtantiis cum meum quoque parentes implorarent auxilium, locum illum gingivarum, ſub quo dens perrupturus adhuc latitabat, lanceola leniter incidebam, hocque facto tertio die non ſolum dens iſte absque ulteriori difficultate prodibat, ſed omnia illa modo commemorata ſymptomata in totum quoque evaneſcebant.

OBSERVATIO LXVII.

DN. D. ANDREÆ WESTPHAL.

Abſceſſus lienis, abſceſſu in inguine orto, ſublatus.

Miles gregarius ingurgitationi ſpirituum ardentium ſummopere deditus, tandem exinde inflammatione lienis fuerat correptus. Chirurgus advocatus venæſectionem negligens non ſolum, ſed etiam alia remedia, ſtatui morbi convenientia, ægroto non porrigens, effecerat, ut inflammatio illa tandem in apoſtema abierit. Quadrageſimo tandem morbi die, auxilium meum efflagitabat æger. Inveniebam eum febre hectica laborantem, cum impotentia pedem ſiniſtrum movendi, hærebatque ſine dubio abſceſſus ille in ſuperficie lienis externa, ſiquidem partim tumor notabilis in hypochondrio ſiniſtro occurrens, partim etiam ſenſus fluctuantis materiæ in illa regione, ſi digito prædictus tumor leviter comprimebatur, hanc ſuſpicionem confirmabant. Prædicebam ideo ægroto funeſtum omnino exitum, niſi forte inciſione, in hypochondrio ſiniſtro inſtituenda, materiæ purulentæ exitus tempeſtive adhuc pararetur. Reſpuebat vero non modo ægrotus hancce operationem, ſed etiam omnia interna recuſabat medicamenta, unde iterum diſceſſi. Poſt undecimam a primo inflammationis initio hebdomadam ſponte ægrotum denuo viſitabam, qui tunc de dolore & ardore ſummo in inguine ſiniſtro conquerebatur, quanquam in illo loco nec rubor, nec tumor ullus tunc conſpiceretur. Paucis autem poſtea diebus prodiit ibidem tumor inflammatorius, cui, pro obtinenda maturatione, adſtantes mel cum farina mixtum impoſuerant. Obtenta demum hoc remedio ſuppuratione me iterum vocari curabat ægrotus. Suadebam ergo ſtatim apertionem abſceſſus hujus,

eaque

eaque facta, magna materiæ purulentæ quantitas non modo profluebat, ſed æger etiam ſtatim referebat, ſe pedem ſuum libere iterum movere poſſe. Deligato vulnere ut artis eſt, eundem derelinquebam, cumque altero die redirem, percepi ipſum optime præterita nocte quieviſſe, nihilque fere incommodi jam perſentiſcere. Remotis faſciis magna iterum purulentæ materiæ quantitas e vulnere prodibat, idque adhuc per octiduum continuabat, diſparente ſimul tumore in hypochondrio ſiniſtro & hectica febre prorſus iterum evaneſcente feliciterque ceſſante.

(*Gryphiswaldo Halam miſſæ, d. 7. Auguſt. 1745.*

OBSERVATIO LXVIII.

DN. D. JO. CAROLI VILELMI MOEHSEN.

Deſcriptio oſſis frontis omnium craſſiſſimi, cui adnexa eſt oſſis cribriformis pars peculiaris ſtructuræ.

Firma & compacta Ægyptiis fuiſſe capitis oſſa, teſtatur HERODOTUS *Lib. III. 12.* De incolis Hiſpaniolæ refert *Gonzalus Ferrandus* OVIEDUS, in *Hiſtoria Indiæ generali*, eorum capita tam dura fuiſſe, ut gladiorum aciem obtuderint, immo ipſi ſæpius in fragmenta diſſilierint. Hoc quoque *Alex.* CARDAMUSTA de incolis Thomæ inſulæ, aliorumque ſub æquatore habitantium, prodidit. Calorem harum regionum ſolam eſſe cauſſam, ut compacta nimis fiant capitis oſſa, a pleriſque creditur. Sed cranium e terra in Islandia effoſſum deſcribit *Angrinus* JONAS *Lib. II. Crymogæeſ. rerum Island.* edit. Hamb. MDCX. p. 135. quod tanta fuiſſet firmitate & craſſitie, ut nec ſecuri, nec malleo, ab adſtantibus potuiſſet frangi. Magni hoc herois, *Egilli* ſci-

 licet

licet *Scallagrimi* fuiſſe, idem docet. Medicorum obſervationes evolvi, an quædam de craniis craſſioribus memoriæ prodiderint, ſed nihil reperi, excepta *H.* WELSCHII obſervatione, de cranio ſine ſuturis, digiti fere annularis craſſitie. Vid. *Hecatoſt. I. obſ. phyſic. med. p. 98. obſ. 77.* KEYSLERUS quoque refert, *Epp. itin.* pag. 1073. in theſauro rerum anatomicarum, quæ Dresdæ ſervantur, cranium humanum pollicis craſſitie monſtrari.

Cum in parvo rerum curioſarum adparatu, quem non ita pridem collegi, os frontis ſingulari craſſitie ſervem, cum parte oſſis cribriformis peculiaris fabricæ adnexa, illud examini eruditorum, cum accurata oſſis delineatione, ſubjicere placuit, quam nec WELSCHIUS, nec KEYSLERUS dederunt. In *XII.* quidem *parte Scriptorum Societatis* δοκιμαζόντων, *Nro. III. p. 337. ſeqq.* deſcriptionem hujus oſſis dedi; ſed cum Societatis hujus ſcripta raro in Medicorum conſpectum veniant, ac deſcriptio abſque delineatione minus clara ſit, eam Illuſtr. PRÆSES Academiæ Naturæ Curioſorum Actis inſeri juſſit. Hoc ordine in deſcriptione nunc procedam, ut primo externam oſſis frontalis faciem, deinde craſſitiem & internam ejus ſtructuram, ac poſtremo fabricam oſſis cribriformis particulæ ſingularem, exponam. In menſura pede Pariſino utor. Superficies externa, quæ convexa eſt, ab extrema parte apophyſis naſalis *Tab. V. Fig. 1. a* usque ad conjunctionem circiter ſuturæ coronalis & ſagittalis *b.*, longitudinem habet ſeptem pollicum cum dimidio. In delineatione, quam hac ipſa *Fig. 1.* dedimus, non eandem reperies menſuram, cum eam ſupra editam & convexam frontis partem egimus. Quælibet apophyſis angularis externa ab altera, ut *c.* usque *d.*, diſtat quatuor pollices & tres lineas. Apophyſes angulares internæ *e* & externæ *d* vel *c* pollicem & quasdam lineas inter ſe diſſitæ ſunt. Apophyſeos naſalis longitudo ab *f.* usque *a.* octo eſt linearum. Alae oſſis frontis,

quæ

quæ ſuperiorem orbitæ partem formant, a medio arcus ſuperciliaris, *Tab. VI. Fig. 1.*: vel marginis orbitæ *a* usque ad fundum ejus, pollicem & decem habent lineas. Accurate & fuſius oſſis frontis ambitum deſcripſi, quo perſpicue convenientia hujus oſſis cum omnibus aliis adultorum oſſibus frontis appareat, ea ſolum menſura, quæ ab extrema apophyſis naſalis parte, usque ad conjunctionem ſuturæ frontalis & ſagittalis ſumta eſt, reliquas excedit, quod inde ortum eſſe putamus, cum nullum harum ſuturarum veſtigium in conſpectum venit, ſed oſſium ſincipitis vel bregmatis partem, frontis oſſi adnexam eſſe, judicamus. Craſſitiem nunc attingam hujus oſſis, quæ optime ex *Tab. V. Fig. 2.* poteſt cognoſci. In margine *a. b.* qui alias cum oſſibus bregmatis connectitur, craſſities octo vel decem linearum, imo quibusdam in locis pollicis latitudinem ſuperat. Proceſſus ſive alæ oſſis frontis, quæ ſuperiorem orbitæ arcum conſtituunt, dimidium pollicem & amplius craſſitie æquant; vid. *Tab. V. Fig. 2. c. d.* Apophyſes angulares externæ *e.* uſque ad cavitatem internam oſſis frontis *f.* protenſæ, craſſitiem habent duorum pollicum, quæ autem non ſatis exacte in delineatione expreſſa eſt. Hæ apophyſes eo in loco, ubi oſſi zygomatico vel jugali junctæ fuerunt, cavitatem habent glenoideam, *Tab. V. Fig. 2. g.* & *Tab. VI. Fig. 1. c.* cum alias hæc oſſa ſutura junguntur. Craſſities inferior hujus apophyſis, ubi glenoidea cavitas eſt, in quadro habet ſex ſeptemve lineas, ſed hæc ob artis delineatoriæ regulas breviationis, non potuit ad amuſſim exhiberi.

Ubi extremitates ſuperiores oſſium naſi cum oſſe frontis jungi ſolent, peculiarem hic obſervamus ſuperficiem, *Tab. VI. Fig. 1. d.* & *Tab. V. Fig. 1. g.*, cujus craſſities ad tres quatuorve excrevit lineas, unde colligere licet, naſi oſſa ejusdem fuiſſe craſſitiei. Apophyſis naſi *Tab. VI. Fig. 1. e. Tab. V. Fig. 1. h.* quæ in media ſuperficie gaudet ſpina *Tab. V.*

Fig. 1. a. f. per harmoniam cum oſſe frontis & per gomphoſin cum parte oſſis cribriformis jungitur, quod in delineatione non expreſſum eſt. Inciſura ethmoidalis admodum anguſta eſt, nam ubi alias latiſſima, hic vix duas æquat lineas. In cava oſſis frontis parte *Tab. V. Fig. 2.* nullam ſpinam coronalem conſpicimus, ſed ſulcus latus *h.* ſinus falciformis, usque ad cœcum procedit foramen. Interdum hoc reperiri obſervavit WINSLOVIUS in *Anatomiæ Tab. I. No. 200.* Tota ſuperficies interna, ſulcis gyrorum ſubſtantiæ corticalis cerebri præaltis abundat. Oſſis cribriformis adnexam apophyſin inferiorem *Tab. VI. Fig. 1.* proponit, longitudo ejus a proceſſu naſali *e* oſſis frontis uſque *f* pollicem excedit. Criſta galli, vel apophyſis cribriformis ſuperior, parum in cava oſſis frontis parte proſtat. Reliquæ oſſis cribriformis partes, laminæ nempe cribroſæ, labyrinthus narium, oſſa ſpongioſa ſuperiora, oſſa plana & apophyſes ſuperiores, plane deficiunt, & vix adfuiſſe videntur, nam inciſura ethmoidalis adeo anguſta eſt, ut locus hiſce non fuerit. Præſertim vero notatu dignum eſt, quod in utroque latere hujus apophyſis inferioris oſſis cribriformis, canales oſſei in conſpectum veniant *Tab. VI. Fig. 1. g.* quorum aperturæ poſteriores verſus cavam oſſis frontis partem directæ ſunt, longiſſimi horum quatuor ſunt linearum. Probabile eſt, canales oſſeos laminarum cribroſarum munere functos eſſe, cum alias non reperiuntur. Reliqua delineatio adjecta monſtrabit.

Pondus totius oſſis eſt libra una civilis & ſemunciæ XXVII. Figura oſſis frontis externa, & partium externarum proportio indicant, quod ad hominis caput pertinuerit. Doleo vero, quod nec reliqua capitis oſſa, nec locum, ubi inventum eſt, comperire mihi licuerit; dudum enim jam a familiis quibusdam aſſervatum eſt, uſque dum in venditoris, & poſthæc in meas manus venerit, nunc autem, ne tam ſingulare os, poſt obitum, in imperitorum manus veniat,

in

in Phyſiotameion Academiæ Imperialis Naturæ Curioſorum delatum eſt. Pondus totius oſſis & craſſities ejus multis perſuaſit, lapidefactis accenſendum eſſe; ſed odor empyreumaticus, quem ſcobes abraſæ, prunis injectæ, ſpargunt, nec non odor omnibus oſſibus attritis & calefactis communis, ut & ſubſtantia ejus mollior lapidibus, imo adſpectus ipſe, oſſeam naturam produnt. Subſtantia quoque reticularis, ſeu celluloſa, duobus in locis aperte in conſpectum venit, *Tab. V. Fig. 2. i.* Hæc ſunt, quæ in præſentiarum communicare potui; animus mihi erat plura addere, ſed tempore excluſus hic ſubſiſtere cogor.

OBSERVATIO LXIX.

DN. D. JO. CAROLI VILELMI MOEHSEN.

De

Cervi capite una cum cornibus, quod trunco quercus inſertum & coalitum conſpicitur.

Speculatoribus naturæ non eſt incognitum, multa adhuc in phyſicis reperiri obſcura dubiæque originis, qua occaſione cum abuti ſoleant lucripetæ, tanto magis a fraude ſibi quisque cavere debet. Nam vel quæ ſola arte ſunt facta, vel naturalia quidem, ſed ubi artificis manus acceſſit, pro ſolius naturæ operibus ſubdole ſupponuntur. Nos in præſentiarum ſubjicimus Naturæ Curioſorum judicio truncum quercinum, qui Berolini in Technematophylacio Regio ſervatur. Eſt is altitudine octo circiter pedum; in ejus medio ſuperioris partis caput cervi ita inolevit, ut pars capitis poſterior, cum cornibus ex ligno arboris eminentibus in conſpectum veniat. Cortice tantum non omni truncus caret, ut caput non conglutinatum eſſe, ſed coaluiſſe arbori,

ſatis

ſatis appareat. Superior trunci pars, cui inhæret caput, in nodoſam excrevit molem, inferiori craſſiorem. Cornua ex utroque latere exſtant, utrumque quinque gaudet extremitatibus. Duæ inferiores, capiti proximæ, ex ipſo trunco ſeorſim eminent. Hunc truncum adſpicientibus olim miraculum eſſe viſum, *Jacobus* TOLLIUS *in Epp. itin. p.* 41. refert. Cum enim jubente & præſente magno Electore, FRIDERICO WILELMO, *Tollio* monſtraretur, adſtantes aulici vel Principi blandientes, vel naturam trunci ignorantes, adfirmabant: Nil in terrarum orbe huic ſimile inveniri, cum omnibus artis & naturæ miraculis pretioſius ſit & dignum tanto Principe κειμήλιον. Artis autem ope creditum hoc miraculum eſſe factum, cenſet idem TOLLIUS: *Dolus ille,* ait, *venatorum eſt, gratiam Principis captantium, & creſcentibus arboribus novellis illa inſerentium, quæ dein, tanquam innata, creſcendo complectantur.*

Cum vero TOLLIUS rem ex Phyſicæ fontibus nec illuſtraverit, nec penitus perſpexerit, aliique hoc artis & naturæ phænomenon, quantum quidem memini, intactum reliquerint, in rem altius inquirere conſtitui. Cuivis arbori ejusque ramis, docente experientia, nutrimentum a radicibus per corticem advehitur. Nam arbores, ligno putredine abſumto, ut in ſalicibus, quercubus aliisque quotidie videre licet, tamen virent & in folia exeunt. Obſervavit Perilluſtr. L. B. de WOLFF (vid. Phyſicæ vernacula lingua editæ Tom. III, §. 242.) nucem juglandem, ligno putrefacto, ſed cortice integro; lætam induiſſe frondem fructusque tuliſſe, imo intra duos annos iterum concreviſſe & cum cortice ita coaluiſſe, ut nullis fulcris indiguerit. Quodſi itaque arbori ad cervi caput recipiendum ſatis craſſæ, cujus ſuperior pars exaruerit, (ut in nuce juglande accidit) exciſis, quæ corrupta ſunt, caput cervi ingeratur, & cavum contra pluvias tegmine muniatur, plane perſuaſi ſumus, ar-

borem

borem coalituram, cervinumque caput novis incrementis tandem penitus coopertura m, cornibus per lignum & corticem extantibus. Incrementum autem arboris per inſertum caput non impediri, ex eo patet, quod arbores, licet trunco corrupto & diſſoluto, tamen efflorefcant. Idem contingeret, ſi truncus arboris junioris, firmus & craſſus, in ſuperiori parte, ubi in ramos diſcinditur, ramis non læſis excavaretur. Nam non dubitamus, cranium cervi huic loco impoſitum ſenſim fibris ligneis circumdatum iri. Artis ope hanc cornuum vel capitum inſitionem peragi, ex eo porro judicamus, quia frequentius in Principum Phyſiotameis plures res, truncis arborum coalitæ, ſervantur, quam ut fortuitis & ſolius naturæ effectibus tribui poſſint. Nec caſum cum KEYSLERO, de quo infra, aliisque fingere licet, quomodo cervina & cornua & capita altis arboribus ſola auxiliante natura increſcere poſſint. Minime autem ſtatuendum videtur, quod nonnulli volunt, cervos, amoris ardore incenſos & occæcatos, arborum truncos, octo circiter pedes proceros & ſatis craſſos, cœco impetu transverberare poſſe, ut cornua exeant, ipſum vero caput per medium arboris penetret. Hoc credat Judæus Appella! Plura hujus phænomeni extare exempla, teſtatur TOLLIUS antea laudatus *Libr. cit. pag. 41.* cum tria ſe vidiſſe, ait, cervina capita in uno Sereniſſimi Electoris Saxoniæ Gazophylacio, inſerta & coalita arboribus, quod KEYSLERUS in *Epp. itin. pag. 1066. P. II.* adfirmat. Pragæ quoque tale quid ſervari, TOLLIUS *p. 71.* aſſerit. *Vidi hic*, ait, *& aliud par cornuum cervinorum arbori velut innatorum, quale Berolini inſtar miraculi erat. Olig.* JACOBEUS, in *Muſeo Regio Danico* deſcribit *Sect. I. pag. 5.* cornu cervinum, cujus extremitati fruſtum ingens ligni adhæret, nec non *cornua duo cervina e fruſto ligni exerta,* & mandibulam equi inferiorem, ligno querno immerſam, horum icones Tab. IV. Fig. 1. 2. 3. ibidem repræſentant. Man-

dibulam optime & fuſius in *Muſeo Wormiano* depinxit *Olaus* WORMIUS, & veriſimilem hanc adjecit ſententiam: (quæ autem ad noſtrum caſum, ubi totum caput ligno ita continetur, ut cornua tantum promineant, adplicari non poteſt,) *Exiſtimo*, ait, *mandibulam hanc impoſitam fuiſſe ramo quercino juniori, qui ſenſim excreſcens per interſtitium utriusque alæ mandibulæ, paulatim in majorem actus eſt altitudinem, ita ut & inferior & ſuperior pars rami adaucti coaluerit, & accedente copioſo nutrimento, in nodoſam hanc molem excreverit, quæ & extra & intra mandibulam tam arcte amplexa eſt, ut ſine fractura avelli nequeat, coaleſcente paulatim ſuperiore parte corticis cum inferiore, ut jam continuatum exiſtat corpus.* KEYSLERUS *Part. I. Epp. itin.* Technophylacium, quod Ambræ in Comitatu Tirolenſi ſervatur, deſcripſit, ſimulque *p. 43.* refert, ſe ibi vidiſſe cornua cervina trunco inſerta & veluti innata, in utroque latere apparuiſſe caput, remque ita peractam eſſe putat: Cervum morientem adoleſcenti arbori caput impoſuiſſe & ita deceſſiſſe, arborem vero ſenſim concreviſſe & caput cum cornibus complexam eſſe. Sed, quod pace beati viri dictum eſto, hoc nobis vix veriſimile videtur. Cervus enim animam agens, pedibus conſiſtere nequit, ſed procumbit humi, & ſecum caput arbori impoſitum trahit, quod a reliquo corpore non niſi ingenti vi avelli poſſet. *Adamus* OLEARIUS, in *Technematophylacio Gottorpino p. 16. n. 4. Tab. X.* capreoli cornu arbori innatum deſcripſit. Vellem ab auctoribus, cujus generis ſint arbores, quibus corpora heterogenea includuntur, eſſet relatum. Plurima quercubus inoleverunt. Ratio vero, cur quercus reliquis aptiores ſint, ex iis, quæ MALPIGHIUS & alii, de arborum generatione & incrementis adnotarunt, deduci poſſet, ſi obſervationis limites transgredi vellemus. Hæc ſolum coronidis loco adjicimus, oleaſtrum non minus, quam quercum, ad hoc negotium

aptam

aptam eſſe, quod exemplo probat THEOPHRASTUS ERESIUS, in *Hiſtoria Plantarum Lib. V. Cap. 3.* Sæpe enim, ait, pars arboris comprehenſa ab altera proxima eſt, atque in ejusdem corporis magnitudinem coagmentata; & ſi lapidem aut aliquid ſimile arboris alæ inculcaveris, demum inſinuabitur atque occultabitur amplexu auctionis obductæ. Quod etiam in oleaſtro, qui Megaris in foro ſtabat, eveniſſe accepimus. Quo ſucciſo urbem capi & dirimi oraculum erat, ſicuti actum eſt. In hoc enim perſciſſo repertæ ſunt ocreæ, & alia quædam Attici ritus. Parte qua primum affixa fuere, ad ramorum ambitum concavata. Hujus oleaſtri quod adhuc ſupereſt parum admodum extat. Aliis quoque locis complura ejusmodi facta produntur. *Sed hæc, ut dictum eſt pluribus, publica habentur.* Ad hunc Græcorum morem, qui ante fana adfigebant & ſuſpendebant dona in oleaſtro, alluſit VIRGILIUS *Libr. XII. Æneid.*

> Forte ſacer Fauni foliis oleaſter amaris
> Hic ſteterat, nautis olim venerabile lignum,
> Servati ex undis, ubi figere dona ſolebant
> Laurenti Divo & votas ſuſpendere veſtes.

Fuſius hunc Theophraſti locum *Jul. Cæſar* SCALIGER in animadverſionibus & *J. Bodæus a* STAPEL in *Notis & Comment.* expoſuerunt. Sine artis ope interdum peregrina corpora arboribus adpenſa innaſci poſſe, oleaſter Megarenſium docet, ſed in noſtro exemplo humanas opem tuliſſe manus, extra dubium videtur.

(*Berolino Halam miſſæ d. 7. Aug. 1745.*)

Nota. Cum hac Obſervatione conferri merentur, quæ leguntur in Commercio litterario phyſico technico medico Norimbergenſi a. 1736. p. 141. a. 1738. p. 89. ſeqq. 105. ſeqq. 417. & an. 1745. p. 7. n. II.

OBSERVATIO LXX.

DN. D. JO. GEORGII MAURER.

Singularia phænomena, in Ictero cum febre tertiana bilioſa alternante obſervata; una cum ſectione anatomica.

Illuſtris quidam Dominus, 46. circiter annorum, temperamenti ſanguineo - cholerici, Veneri non parum alias deditus, nunquam vere hæmorrhoidarius, venæſectiones præſervatorias non negligens, ob ictum ſclopeti, qui per muſculos tantum circa regionem hepatis penetraverat, d. 10. Jul. 1744. Argentoratum veniens brevi ibidem tempore felicem vulneris hujus conſolidationem obtinet; decimo autem poſt vulnerationem die febre correptus fuit tertiana bilioſa, juncta cum æſtu notabili interno, ſiccitate & flavedine linguæ, urina bilioſa, plus minus turbida, pulſuque febrili, flaveſcente ſimul, ut exacte mihi relatum fuit, per totum corpus cute. Servat hæc febris typum quidem intermittentis regularem, ſed non niſi 4. vel 5. paroxyſmos format iterumque deſinit, brevi poſt recurrens eodemque modo deſinens, id quod binis vicibus ita factum fuit. Tribuuntur hæc ſymptomata bili depravatæ ac inprimis ſpiſſiori, ceu unicæ morbi cauſſæ, multaque ad illam corrigendam & attenuandam ibi ordinantur remedia, ſed irrito cum effectu; emaciatur enim potius æger valdopere, ac idcirco aërem mutare & domum reverti deſiderat, eumque in finem die quinto Octobris, ſat languidus licet, iter ingreditur. Tertio autem die Ratisbonam deveniens, meum requirit conſilium, magnaque cum confidentia deſiderat, ut in hocce itinere ipſum comitarer, id quod, invitus licet, tandem promittebam.

To-

Totum enim ejus corpus, præter jam dicta ſymptomata, ſubtumidum erat, conjuncta ſimul febricula continua ad lentam vel hecticam tendente; pedes præſertim verſus noctem œdematoſus occupabat tumor, excretiones alvi erant albicantes, tardiusque & admodum difficulter ſuccedebant, eadem fere ratione, ſicuti in ictero conſummato fieri ſolet, concurrente ſimul plenario ſomni & appetitus defectu. Infarctus igitur viſcerum pertinaciſſimos altiusque jam radicatos præcipue in abdomine, ut hepate, meſenterio ductibusque biliariis, de dubio & vix ſperando felici curationis exitu abunde ſatis teſtari prædixi, nihilominus tamen, poſt exhibitum lene laxans adpropriatum, remediis blande aperientibus, amaris, diapnoicis inprimis & mitioribus diureticis, ulterius fontici hujus mali incrementum, quantum quidem poſſibile foret, avertere conabar, erantque hæc ſequentia: Rec. Lap. canc. præp. ʒj. rad. Curcum. pulv. epilept. March. antim. diaphoret. ana ʒß. milleped. præp. cinnab. nativ. ana ℈j. M. F. pulvis, divid. in VIII. part. æqual. harumque una veſpertinis horis quotidie ſumatur. Rec. Rad. cichor. chelidon. major. tarax. ana ʒiiß. rhabarbar. ver. ʒj. herb. card. bened. fumar. agrimon. fragar. ana Mj. Summitat. cent. min. min. marrub. alb. ana manip. dimid. cort. ☉rant. ʒij. croc. or. ℈ij. ſem. fœnic. ℥iß. M. conc. cont. F. Species pro infuſo theeformi, bis quotidie hauriendo. Interponebantur ſimul, pro conſervanda alvi apertione, modo lenia clyſmata, modo laxantia cum diæta tenui & humectante. Hiſce per aliquot dies continuatis, recurrebat equidem ex voto tertiana biliosa, ſed quarto paroxyſmo plenarie iterum ceſſabat, cum diminutione manifeſta coloris icterici circa oculos totamque cutis peripheriam, quemadmodum etiam feces alvinæ ferme naturaliter tunc tinctæ erant; brevi autem poſt tumor œdematoſus pedum graviter denuo invaleſcebat, habitusque corporis plane cachecticus ſucceſſive evadebat, cum

abdominis magis ſimul aucta intumeſcentia, aquarum extravaſationem indicante, unde, præter jam recenſita remedia, ſimul exhibui pulverem temperantem Stahlii cum millepedibus præparatis mixtum, itemque ſequens Elixirium diuretico viſcerale: Rec. Extract. ſcolopendr. trifol. fibr. cichor. ana ʒß. rhabarb. ℈j. Solv. in aqu. cichor. ℥iß. colat. add. liquor. terr. foliat. tartar. ʒvj. ſpirit. Sal. ammon. aniſ. ʒiiß. M. & bis quotidie gutt. XL. vel L. ſumantur. Appetitui tunc proſtrato, Elixirio ſtomach. temper. Viennens. cum Tinct. mart. pomata maritato, conſului, pedesque ſubinde cum linteis calidis fovere juſſi, interpoſito quandoque clyſtere, hacque ratione intumeſcentia corporis pedumque œdemata multum quidem minuebantur, urina vero ſemper inconſtans perſeverabat, modo ſedimentum craſſius multasque cruditates biliosas, ſucceſſuram quandam ſalutarem criſin indicantes, deponebat, modo iterum limpida & clara erat, quamvis continuo bilioſa, modo ex æſtu rubicunda adparebat, internam quandam inflammationem ſignificans, pulſus autem naturalis ferme & vix paululum per intervalla magis acceleratus & quadantenus febrilis obſervabatur, cum appetitu etiam aliquo modo redeunte, ſomnoque mediocriter bono ac tranquillo. Tandem exigua quædam in cute proruperunt exanthemata, tubercula quaſi purpuracea conſtituentia, ſcabiei dein ſimilia, totum corpus, præſertim pedes, obſidentia ibidemque acriter rodentem ſenſum excitantia, quod ſymptoma novum etiam criſin quandam ſalutarem ſiſtere videbatur, & idcirco pro adjuvanda & conſervanda hac excretione guttulæ XXX. mixtur. ſimpl. mane per tres dies porrigebantur, unde lenis ſudor, gravem fœtidumque odorem ſemper ſpirans, prodibat, aſt quamvis etiam hic mador per intervalla horum dierum ſponte adhuc continuaverit, nihil tamen inde emolumenti in ægrum ipſum redundavit, immo & ipſa

tan-

tandem illa purpuracea excretio ſponte iterum evanuit, ſuperſtite ſaltim manente ſcabioſa ſalſaque iſta pruriginoſa irritatione tuberculorum, inprimis in pedibus, ſomnum, hucusque per intervalla ſatis adhuc tranquillum, ob perpetuam fere fricationem plane iterum inquietum reddente, pulſu ſemper, ut antea dictum, absque manifeſtis motibus febrilibus permanente, flavo autem faciei totiusque cutis colore tunc magis adhuc evaneſcente.

Tanta itaque ſymptomatum congeries ac variatio merito augebant metum ſtatim ab initio ſincere manifeſtatum, de difficillime ſperanda adhuc reſtitutione, ob infarctus viſcerum graviſſimos indeque exortas ſummas functionum læſiones, præſertim circa hepar ductusque biliarios. Hanc igitur ob rationem tandem ad ſacram quaſi anchoram, aquas ſcilicet Selteranas, cum lacte caprillo maritatas, confugi, tentaturus, an forſitan hac ratione viſcerum vaſorumque pertinaces adhuc reſerari queant obſtructiones. Sumſit itaque æger Illuſtr. de his aquis quotidie matutinis horis tres circiter libras, cum caprilli lactis ſemilibra, tepide, ſubjuncto ſimul leni ſemper corporis motu, intra hypocauſtum nempe obambulando, adeo ſalutari cum effectu, paucos intra dies ſeſe manifeſtante, ut nova plenariæ reſtitutionis ſpes affulgeret, ſiquidem nulla febrilis commotio, prout per intervalla antea factum erat, ulterius obſervabatur, color ictericus in prorſus naturalem floridumque mutabatur, alvinæ feces in magna copia & naturaliter tinctæ prodibant, urina quantitatem omnium aſſumtorum liquidorum multum exſuperabat & ſaltem adhuc bilioſa manebat, modoque limpidiſſima, modo turbida apparebat; intumeſcentia quoque corporis & pedum plenarie diſparebat, inprimis vero abdomen, hucusque ſemper quadantenus tenſum & expanſum, manifeſto flaccidum evadebat, ciborum adpetitus magis magisque redibat, & quoniam ſitis hactenus ſem-

ſemper naturalis fuit, ideo ſub prandio pauxillum vini Rhenani cum aqua Selterana mixti, concedebatur. Ceſſabant hinc penitus anxiæ, ob dubium rei eventum ortæ, animi ſollicitudines, augebantur vires ipſumque corpus ita, ut intra ædes libere obambulare valeret æger, fugiendo tamen aëris intemperiem, variaque rurſus negotia, quod non prorſus impedire potui, iterum adminiſtraret; ſolus vero ſucceſſive rurſus diminuebatur ſomnus, ob continuas in aſperiuſcula tantum cute, præſertim in pedibus, adhuc durantes pruriginoſas moleſtias, augebatur hinc inquietudo, & excretio urinæ modo copioſior iterum, modo parcior, ſemper tamen adhuc cum inſigni acrimonia bilioſa conjuncta, deprehendebatur.

Sub his ergo circumſtantiis, meliorem omnino mutationem intuitu ſanitatis præſagientibus, ex improviſo contingebat, ut Illuſtris æger nono die, ſtatim poſt aſſumtas Selteranas, ob militaris regiminis negotia, vehemens & ardentiſſimum iniret colloquium, idque ſequente die tanta cum animi commotione, me præſente, per tres vel quatuor horas repeteret, ut peſſimum exinde metuendum illico prædicere coactus fuerim eventum; neque etiam diu hic anguis latuit ſub herba, dum æger nocte mox ſequente ſeptimum inter diem & octavum Novembris, cephalalgia vehementiori, cum odontalgia & dolore faucium ardente pulſuque maxime accelerato juncta, adfligebatur, unde metus & anxietates ob mortem forſitan imminentem, quæ hactenus ex animo penitus jam proſcriptæ erant, non ſolum duplicabantur, ſed malum ipſum quoque augebatur, increbeſcente inprimis magis magisque deglutiendi difficultate. Omnia nunc adhibebantur incaſſum remedia, accedebat febris inflammatoria, cum ardore ex imo thorace verſus

ſus collum aſcendente, fruſtraneaque me adhuc ſpes alebat, poſſe forſitan per abſceſſum in faucibus evenientem imminens adhuc averti vitæ periculum: Singulis enim horis majora capiebat incrementa gravis iſta inflammatio, tam in thorace, quam in collo, concurrente ſimul dolore pungitivo & ardente in ſiniſtro pectoris latere, cum pulſu duro, tremulo ac celerrimo; ſuccedebat nono Novembris circa noctem, reſpiratio ſumme difficilis, cum expectoratione pituitæ ſpumoſo-ſanguinolentæ, lethalem hinc adeſſe deprehendebam peripneumoniam, cum extravaſatione ſeri & ſanguinis in thorace, ſtatum hinc deploratum & exitialem eſſe ſignificabam, applicans ſaltem adhuc duo veſicatoria circa ſuras, quæ tamen pariter nihil opis præſtabant, quin potius die 10 Novembr. verſus meridiem, ceſſante paulatim reſpiratione, placide Illuſtris hic Dominus exſpirabat.

Interim mirari haud licet, funeſtam hanc ſubſecutam eſſe cataſtrophen, ſi nempe interiora conſideramus, per Sectionem anatomicam, in præſentia duorum aliorum Medicinæ Doctorum triumque Chirurgorum, detecta, quæ ita comparata erant.

1) Pinguedo ſub tota cute, quaſi per coctionem tumefacta, ex bile flaveſcens deprehendebatur, ſerum undique fundens acre; omentum itidem aperto abdomine colore tali ceraceo imbutum, & pinguedini flaccidæ atque ex parte jam exſiccatæ ſimile, adparebat, licet ab extravaſato ſero mucilaginoſo, in abdominis cavo occurrente, ſatis adhuc tumidum fuerit.

2) Hepar magnitudine præternaturali conſpicuum, bile ſpiſſa & nigricante ſanguine undiquaque erat infarctum, coloremque ſubfuſco-nigrum, quaſi ſphacelo eſſet tactum, uno alteroque loco in parte ejus convexa & circa margines excepto, monſtrabat, quanquam de reliquo nulla plane

 ſig-

ſigna actualis cujusdam corruptionis putredinoſæ in hoc viſcere præſto eſſent.

3) Veſicula fellis tres continebat calculos ſubfuſco-flaveſcentes, rotundos durosque, omnes magnitudine & figura fere æquali, ceraſi nempe majoris, aut nucis moſchatæ oblongæ, ipſa autem bilis, quæ a naturali non recedebat colore, etiam ad ordinariam proxime accedebat quantitatem.

4) Orificium ductus choledochi totusque hic canalis ita obliteratus vel conſtrictus, ut ne minimo cuidam ſtylo, multo minus bilis guttulæ amplius concederet tranſitum.

5) Meſenterium, quod totum pariter infarctum erat, cum inteſtinis cæterisque membranis vicinis ita ſimul concretum deprehendebatur, ut absque membranarum dilaceratione hæ partes minime a ſe invicem ſeparari potuerint.

6) Lien naturalis quidem erat ſubſtantiæ & coloris, duplici vero ad minimum & pondere & magnitudine gaudebat.

7) Omnia viſcera hepati vicina, aut partes illud proxime attingentes, color ille ſubfuſcus, nigricans & quaſi ſphaceloſus, ſaltem ex parte, non ſolum in externa ſua ſuperficie, ſed & per totam ſubſtantiam, inquinaverat & penetraverat, id quod & intus in ventriculo, prorſus alias vacuo, in quantum præſertim ab hepate tegitur, & in duodeno usque ad aperturam choledochi ductus, incredibili fere modo conſpiciendum erat.

8) Ex omnibus autem viſceribus, hac ipſa nigredine præternaturali nullum erat magis inquinatum, quam ren dexter, quippe de quo, ſub paulo rudiori tantum attactu, exterior membrana undique facile ſecedebat, interior vero ſubſtantia usque ad pelvim paulo ampliorem & capaciorem, tanta imbuta erat nigredine, ac ſi in juſculo quodam ſpiſſiore, vel Rob ſoluto juniperi aut prunorum molliter fuiſſet decocta, nullum vero de reliquo inſolitum

ſpi-

ſpirabat odorem; cum e contrario ſiniſter ren prorſus ſanus & naturaliter conſtitutus fuerit deprehenſus.

9) In thorace cor nimis laxum aut flaccidum, ratione ſubſtantiæ ſuæ, erat. Mediaſtinum, corruptæ pinguedini ſimillimum, latitudine duorum digitorum arctiſſime cum ſterno erat coalitum; diaphragma autem, ſi rubedinem quandam huc illuc comparentem ſubfuſcam excipiam, optime conſtitutum deprehendebatur.

10) Pulmones in utraque cavitate libere ſuſpenſi, colore ſæpius deſcripto nigricante imbuti, vel tincti, & quaſi ſemicocti offendebantur; ſiniſtri autem lobi pars inflammatione, perfecto ſphacelo ſimili, & per aſperam arteriam ad fauces usque ſe extendente, tacta erat.

11) In ipſa autem hac ſiniſtri pectoris cavitate aliquot cochlearia ſeri cujusdam extravaſati, cum craſſioris ſanguinis exigua portione mixti, loturæ carnium ſimilis, quale etiam proximo ante mortem die per expectorationem excretum fuerat, inveniebatur.

12) Pleura ab utroque, præſertim autem ſiniſtro latere & per ſpinæ dorſi tractum colore itidem ſubfuſco - nigricante tincta erat. De reliquo autem totum cadaver mediocriter adhuc carnoſum, nec admodum eximie emaciatum erat, vulnusque ſupra memoratum ſclopeto inflictum, muſculos tantum abdominis perforaſſe ac jam dudum perfecte conſolidatum deprehendimus.

(*Ratisbona Halam miſſa, d. 15. Aug. 1745.*)

OBSERVATIO LXXI.

DN. D. JO. HERMANNI FURSTENAU.

Obſeſſio ſpuria.

Egregia prorſus ſunt, quæ de obſeſſione ſpuria Clariſſ. DETHARDINGIUS pridem publice monuit, pleraque nimirum, ſi non omnia, quæ hodie de obſeſſione & obſeſſis circumferuntur, ad convulſiones, vel deliria vel ad utrumque jure meritoque referri; utrumque vero morbi genus a variis rurſus cauſſis, plethora, cacochymia, viſcerum vitio vario, ipſisque non raro vermibus, & produci & foveri. Hujus quidem notabile exemplum anno proxime elapſo obſervare licuit in viro honeſto, qui nondum trigeſimum ætatis annum attigerat. Is in re lauta vivens, itineribus, venationibus, commeſſationibus deditus, data occaſione ira vehementer commotus & a vindicta prohibitus, animum vultumque ſubtriſtem præ ſe ferre, qui antea lætus & in gaudia effuſus fuerat, nec multo poſt de anxietatibus præcordialibus, vigiliis, inquietudine, conqueri cœpit. Conſultus in id Medicus, V. Snem & ſcarificationem (utrique enim adſuetus eſt) quamprimum repetendam ſuaſit, & quæ ex re viſa ſunt, commendavit medicamenta, ex millefolio, ſalibus digeſtivis, abſorbentibus, laxantibus, compoſita, non quidem ſine ullo, ſed tamen absque conſtanti levamine. Medio enim Martii menſis 1744. poſteaquam pridie ſacra cœna uſus erat, ad ægrum, altero hinc lapide diſtantem, vocatus acceſſi, eundemque valde inquietum, anxium obambulantem, & labiis tremulis facieque pallida adſtantes quosvis obſecrantem, ut cacodæmoni ipſum male mulctanti ejiciendo ſocias jungerent operas, offendi; V. Snem brevi abhinc, ſed non in ſufficienti quantitate adminiſtratam, mox repetendam & notabilem ſanguinis quantitatem educendam ſuaſi,

ſuaſi, cum manifeſto levamine & ſomno placido circa noctem inſequente. Mane ſequente exhibito, ob cruditates ventriculi, leni emetico, ex radice ipecacuanhæ, ægrum placidum & tranquillum reliqui. Non multo poſt recidivam experto ægro, non defuerunt, qui auxilia conquirerent a medicaſtro longius hinc diſtante, & non tam herbis, quam verbis & ceremoniis curare ſolito; ſed ut inſcio hæc ægroto & invito peracta ſunt nullumque effectum memoratu dignum præſtiterunt, ita is continuato deinceps temperantium, diaphoreticorum, nervinorum & interpoſito catharticorum uſu, elapſo ſecundo quin & tertio dierum ſeptenario, quo urina, ab initio cruda, aliquoties craſſa & cocta emiſſa fuit, ut de morbi acuti præſentia & criſi in eodem facta nullum ſuperſit dubium, ægro deinceps continuato congruorum remediorum uſu, quin & V. Snis & ſcarificationis opportuna repetitione, nec non acidulis Pyrmontanis juſto tempore & loco uſurpatis, ſenſim recreato, & Deo benedicente in valetudine confirmato.

OBSERVATIO LXXII.

DN. D. JO. HERMANNI FURSTENAU.

Pleuritis lethalis a glandibus faginis.

Juvenis 18. fere annorum, ſucci plenus, facie florida ipſam ſanitatem referens, initio M. Novembr. 1744. in aëre libero eoque tunc horrido verſatus, pleuritide corripitur, primo ſeptenario ſat placide decurrente, hinc vero ſubito pejorem ſcenam inducente & delirio ac convulſionibus accedentibus, non obſtante omni auxiliorum apparatu, circa diem morbi undecimum ægrum vita privante. Cauſas morbi occaſionales in ea morborum h. t. penuria ſollicite inquirenti, relatum eſt, ægrum præter immodicum fructuum

horæorum uſum, quorum largiſſimam copiam proximus autumnus Divina clementia ſuppeditavit, glandibus inprimis faginis a ruſtica gente roganti identidem ſuggeſtis & affatim comeſtis, valde delectatum eſſe. Qua occaſione narratum ſimul accepi, ante aliquot annos in pago, altero hinc lapide diſtante, ultra quadraginta incolas pleuritide lethali correptos, ejusdemque rei cauſſam a Parocho loci in immodicum uſum glandium faginarum conjectam eſſe; ego quidem, quotquot ad manus erant, materiæ medicæ ſcriptores, itemque botanicos evolvi, ſed nihil plane offendi, niſi quod uno ore ſinguli virtutem fago narcoticam adſcriberent, id quod cum vi nervis infeſta, & juncto deliriis & convulſionibus ſopore, haud difficulter conciliare licebit. Sed vim affatim nutrientem ex oleo fagino expreſſo, ad nauſeam usque dulci, & ruſticorum more placentis, pulmentis aliisque eduliis frequenter admiſceri ſolito, facile omnino colligendam, accedente inprimis largiſſimo fructuum horæorum uſu, in ægroto hocce antea ſucci pleno & in aëre frigido liberiori verſante ſimul accuſandam eſſe, exiſtimemus licet.

OBSERVATIO LXXIII.

DN. D. JOANN. HERMANNI FURSTENAU.

Variolæ Rintelii epidemicæ.

Ante & circa æquinoctium autumnale 1744. Variolæ, diu hactenus ſilentes, paſſim iterum notatæ, ſenſimque contagio ulterius ſerpente, puſillis infeſtæ fuerunt, inde usque ad ſolſtitium hyemale, circa quod plures ſolito fatis ceſſerunt, conſuetum ſervantes & invadendi modum & progreſſum & exitum, paucis & ſparſim e medio ſublatis, in quibus vel maculæ lividæ Variolis interſperſæ, vel rhonchi, vel motus convulſivi ad ultimum acceſſerunt, pluribus vero, blandis inprimis emeticis initio propinatis, ſervatis.

Ante

Ante eruptionem & ſub illa motus non tantum epileptici, ſed & varii generis deliria, multum ſæpe terrorem parentibus incuſſerunt, qui tamen, puſtulis rite efflorescentibus, juxta cum ſymptomatibus iſtis horridis, evanuit. In his puer erat novennis, formæ venuſtæ & comptis præditus moribus, qui inter variolarum initia, & ante eruptionem per aliquot ex ordine dies noctesque non perpetuo tantum delirare, ſed miris artuum geſticulationibus, & riſu inprimis frequenti ingentem parentibus non tantum honeſtiſſimis, ſed &, qui auxilia ex arte parabat, Medico, concitabat terrorem, probe quippe gnaro, deliria cum riſu reliquis omnibus gravius portendere periculum, & hoc quidem in caſu tanto magis attendendum, quanto rarius ante variolarum efflorescentiam occurrere ſolet. Sed veſicatoriis in nucha, utroque brachio, & crure utroque ex arte applicatis, poſt tot alia fruſtra tentata, ita divina benedixit clementia, ut æger mox ad quietem ſe componeret adque ſaniorem mentem brevi rediret, toto deinceps variolarum decurſu ex voto ſuccedente. Sed alius isque unicus optimorum Parentum filius, nondum biennis, ante variolarum eruptionem inſultu epileptico ſemel atque iterum correptus, exhibito ſulphure antimonii aurato, indeque blenna viſcida vomitu rejecta, a motibus convulſivis brevi liberatus, variolis hinc belle efflorescentibus, usque ad diem morbi undecimum mediocriter degit; hinc vero exorta febre, ut ſolet, ſecundaria, ſtridore dentium & jectigatione ſumma atque perpetua accedente, inter plura alia ex arte applicata remedia, veſicatoria nuchæ & brachiis impoſita officium quidem fecerunt, & notabilem ſtridoris dentium remiſſionem produxerunt, ſed brevi deinceps & hoc & reliquis cum ſumma inquietudine conjunctis ſymptomatibus auctis, alvo hactenus dura in liquidam mutata, ægroque inſcio ſæpius ſoluta, puſillus diem morbi ſextum & decimum ſibi fatalem expertus eſt.

eſt. Videlicet diarrhœa circa diem morbi undecimum accedens, non tantum ominatur periculum, etiamcum lumbricis, haud raris variolarum comitibus, ſimul excretis, blandis quippe anodynis & emulſivis papaveraceis ſubinde cedens, quam ſi feces alvinæ & urina inſciis & invitis excernuntur ægrotis, utpote quod peſſimæ augurium notæ, ſicut in omnibus fere acutis pariter & chronicis morbis ſuppeditat.

OBSERVATIO LXXIV.

DN. D. JO. HERMANNI FURSTENAU.

Febris catarrhalis Rintelii epidemia.

Poſteaquam tempeſtas autumno proxime elapſo 1744. ſatis tranquilla, circa ſolſtitium hybernum ſenſim in horridam, nivoſam & ventoſam commutata, ingentem valetudini mortalium, hactenus ſatis conſtanti, mutationem aut induceret, aut minaretur, febris quædam catarrhalis, mitis, ut videbatur, indolis, ſed durationis intuitu tanto pertinacior, gliſcere cœpit, & ſenſim per contagium quoque propagata, uno ſaltim victu, eodem vitæ genere & communi aëris regimine utentes, tenerioris inprimis texturæ, invaſit, frigore equidem modico, vel horripilatione ſaltem, per plures ex ordine horas non tantum, ſed & dies priores per intervalla moleſta, hinc æſtu quoque mediocri, nec ſiti adeo clamoſa, ſed laſſitudine viriumque proſtratione ſumma, & ciborum non tam faſtidio, quam adpetitus languore diuturno & pertinaci, hinc in aliis capitis inque primis occipitis, nuchæ, oculorum, narium, faucium dolore aliisque vitiis, in nonnullis quoque nauſea & vomitu ſtipata, purpura quoque in quibusdam accedente. Et hæc quidem omnia non uno alteroque ſeptenario abſolvebantur, ſed in ter-

tertium quartumque, imo ulterius extendebantur, non niſi tardius ad priſtinam redeuntibus alacritatem hoc morbo infectis. Venæſectio & ſcarificatio non niſi in illis, qui iisdem adſueti ſalutaria hæc ſanitatis adminicula juſto forte diutius intermiſerant, profuere ab ipſo morbo ejusdemque ſymptomatibus rarius indicata, quin & veſicatoria ad dolorem & ruborem oculorum egregie conducentia, majorem in occipite æſtum, quaſi igneis ſcintillis quaquaverſum diſperſis, accendere, majoremque deinceps ſoporem inducere ſunt viſa juxta cum dolore, pruritu, aliisque iisdem propriis incommodis. Urinæ quoque ardorem ſingularem, morbo huic proprium, a cauſtico cantharidum ſale derivare liceret, ni ſi & in aliis ſubjectis, quæ iisdem uſi non ſunt, idem ipſe fuiſſet notatus. Omnis curationis cardo in placida quiete & regimine exquiſite diaphoretico auxiliisque id ipſum promoventibus, vertebatur, niſi quod laxantia quoque remedia, quin & vomitoria in nonnullis ſubjectis officium facerent, ventriculo, ut ſæpius alias, ita & in præſentiarum, ſcenam frequenter clam palamque ludente.

OBSERVATIO LXXV.

DN. D. JO. HERMANNI FURSTENAU.

Hydrops Ictero complicatus lethalis.

Vir fere ſeptuagenarius, cum ægrotis I. & III. *pag. 1453. ſeqq. Ann. 1728.* & inprimis *Art. 7. p. 1208. Ann. 1730.* in *Miſcellaneis phyſico-medico-mathematicis* Illuſtr. Præſidis Acad. Nat. Cur. notatis, idem mali genus idemque cum viris optimis fatum expertus eſt. Erat nimirum vir plethoricus, toroſus, ſ. d. ſcorbuticus, hæmorrhoidarius ſimul & hæmorrhagiæ narium ultimis quoque vitæ temporibus frequenter obnoxius, neque venæſectionem, neque ſcarifica-

tionem, utrique adſuetus & ab utraque manifeſto adjutus auxilio, temere omiſit: ſcabiem rebellem, ſi non malignam & veneream, ultra annuum ſpatium expertus, caſu ab equo ſubinde graviter læſus, tertium nuper maritatus cum ſocero, genero, filio & privigno litibus forenſibus implicitus, inter anni currentis initia febre catarrhali h. t. paſſim epidemia & valde rebelli correptus, recidivam quoque identidem expertus, purpuram tandem, ſeu excretionem potius huic ſimilem, in variis corporis partibus vidit, ſub regimine diaphoretico ſenſim una cum pruritu moleſto evaneſcentem, niſi quod in tibia ſiniſtra ejusdem veſtigia conſtanter remanerent. Interea ægrotus tum aliis auxiliorum generibus, tum evacuantibus ἄνω καὶ κάτω, poſcente morbi genio, per intervalla tractatus, & cum valetudine in gratiam redire viſus, abdomen, aqualiculi inſtar tumidum, ſenſim intumeſcere & tympani in modum expandi, ſimul & flavum in oculorum albo inque habitu corporis univerſo luridum obſervans colorem, varii quidem generis remedia, purgantia fortiora & mitiora, diuretica & roborantia l. a. præſcripta, aliquamdiu diligenter uſurpavit, ſed hydropis appellationem forte incidentem, abominatus eſt, indeque ſcroti intumeſcentiam, ſollicite licet exquirenti, negavit, vel neſcio, quam aliam ob cauſſam aſtute diſſimulavit; hinc vero ad alia, maxime empirica, draſtica, & domeſtica auxilia delapſus, ſibique belle valere & in dies convaleſcere viſus, prævia ſcroti ruptura; aliquot ſeri purulenti menſuras excrevit, & paucis exactis diebus, actionibus vitalibus cum animalibus, hinc & rationalibus ſenſim imminutis, initio Julii menſis vitam cum morte commutavit, abdomine poſt obitum ſponte diſrupto & notabilem ſeri quantitatem adhuc profundente.

OBSER-

OBSERVATIO LXXVI.

DN. D. JO. HERMANNI FURSTENAU.

Spaſmus veſicæ lethalis.

Vir 62. annorum, præter alia ſymptomata, tuſſim, difficilem reſpirationem, nauſeam, anorexiam, mictu quoque cruento per intervalla affectus, opem implorat meam eo quidem tempore, quo filius meus Diſſertationem de Spaſmo Veſicæ ſolemnem ſibi elaborandam ſumſerat, qui a me ad ægrotum cominus inſpiciendum deductus, occaſionem nactus eſt, cauſſarum antecedentium indolem penitius introſpiciendi, pleraque vero, quoad diagnoſin, prognoſin ipſamque medendi methodum pridem litteris conſignata tanto audentius adſerendi. Ego vero ægrotum hunc, quo numerus hoc morbo languentium & defunctorum hodie paſſim occurrentium augeretur, eo minus ſilentio prætereundum duxi, quod tot exemplis, in citata Diſſertatione breviter ſtrictimque allegatis, conſtet, malum iſtud, quando ad ἀκμὴν pervenit, nullam fere admittere medelam, cunctis, etiam exquiſitiſſimis remediis l. a. adhibitis, nullum non modo auxilium, ſed ne levamen quidem mentione dignum procurare aptis. Vir iſte hactenus in conjugio neque ſterili, ultimo autem vitæ biennio in cœlibatu ſed non æque caſto vixit, & adverſus pectoris vitia, tuſſim, & reſpirationem difficilem, cum febre lenta catarrhali combinata, aliquot urceolos electuarii chinati, alius Medici ſuaſu, devoravit. Hinc vero præter alia ſymptomata, mictu cruento, dyſuria & iſchuria urinæque incontinentia, cum exquiſitis & perpetuis doloribus vigiliisque brevi auctis, varii generis remediis nervinis, oleoſis, ſalinis, roborantibus, emollientibus, laxantibus, internis atque externis, fruſtra uſurpatis, accedente ad ultimum ſopore & urinæ incontinentia haud

deſinenti, tandemque ſcroti gangræna & ſphacelo, abdominisque, ut ſolet, tumore, initio menſis Junii naturæ debitum ſolvit. Hic corticis chinæ uſum, vel abuſum ſolum accuſare non auſim, cum, licet de ejusdem in febribus uſu atque abuſu prona vel adverſa inducti experientia alii aliter ſentiant, in aliis tamen morbis chronicis, ab atonia præſertim viſcerum ortis, quo & noſtrum referre malum, haud incongruum erit, virtute, qua pollet roborante, cortex hic neutiquam ſit defraudandus, aliorumque conſtet fide, fortiora quoque adſtringentia, ut calculo veſicæ pellendo, ita ſpaſmo ejusdem mitigando inſervire. Quare de aliis ſollicitus, quæ occaſionem malo præbuerunt cauſſis, diligenti inſtituto examine, de hæmorrhoidibus vel apertis, vel cœcis, vel molientibus, prorſus nihil, de ſcarificatione, illam quondam & ſæpius forſan adminiſtratam nunc per integros viginti annos prorſus intermiſſam, neque ægrotum re adhuc integra, & non omni vitæ ſpe deſtitutum, ad illam reiterandam nulla ratione diſponi potuiſſe. Demum & illud comperi, ægrum per maximam vitæ partem & brevi ante morbum fatalem, quo faſtidio eorum captus eſt, liquorum ardentium abuſui ad notabilem usque exceſſum indulſiſſe.

OBSERVATIO LXXVII.

Dn. D. JO. HERMANNI FURSTENAU.

Hæmorrhagia linguæ ſalutaris.

Vir plethoricus, toroſus, 48. annorum, hæmorrhoidarius, venæſectionibus & ſcarificationibus adſuetus, victum plenum, vinoſum, vitæque genus mobile & laborioſum amans atque exercens, Februario menſe ob tempeſtatem adverſam præter voluntatem & conſuetudinem domi diutius detentus, absque cauſſa manifeſta mane in lecto

ſan-

ſanguinem ſincerum, ex ore ſub lingua fonticuli inſtar proſilientem, animadvertens, dentibus linguam mordendo hæmorrhagiam iſtam autocraticam ſibi proficuam fore ominatus, ſtudio eandem promovere ſatagit, idemque, quoties ſanguinis purpuram in ore deprehendit, identidem repetit, eo quidem ſucceſſu, ut V. Sne ſimul in brachio adminiſtrata, & gargariſmate ex aqua pura tepida frequenter adhibito, aliquot ſanguinis libris, ſi non menſuris ex ore excretis, non modo ab angina, quæ proxime imminere videbatur, ſed & a præſenti ſuffocationis periculo, quod faciei & colli tumor cum livore minitabatur, ſimul & a pleuritide hoc anni tempore ipſi alias familiari, liberatus, ſanus deinceps, lætus vegetusque in hunc usque diem permanſit, omnisque generis negotiis, domi forisque in itineribus ex officii ratione peragendis, idoneus exſtitit.

OBSERVATIO LXXVIII.

Dn. D. JO. HERMANNI FURSTENAU.

Hydropis idea.

Hydropis ideam Illuſtris dudum PECHLINUS eleganter delineatam dedit *Lib. I. Obſ. LX.* quem divini virum ingenii exquiſitumque rerum pulcherrimarum obſervatorem eo lubentius imitari ſoleo, quo plura is & ſelectiora utriusque eventus paradigmata uno digeſta elogio enarrare conſuevit. Nunc tamen ab illius tramite pauliſper ſecedere conſultum duxi, ipſe quod in ætiologia morbi & modo fiendi omnis generis hydropis multum operæ poſuerit, mihi vero diverſum morbi eventum, quem diverſis hactenus notare licuit exemplis, neutiquam ſimul omiſſis cauſſis, quæ eidem occaſionem dedere, paulo plenius ediſſerere allubeſcat. Enimvero omne hydropis genus, inque primis illud, quod

aſcitis & *tympanitis* nomine venit, inverſum plane ſtatum hominis naturalem denotare, eodemque univerſam pathologiam in compendio quaſi ſiſti, & ipſe pridem ſum perſuaſus, & ferente occaſione auditoribus meis identidem inculcare ſoleo. Vita quippe & ſanitas noſtra, ſicut in perenni, eoque duplici, inteſtino & progreſſivo humorum vitalium per ſolidas partes motu, harum vero perpetuo reniſu, oſcillatione & tono, indeque pendente variorum tum utilium, at ſuperfluorum, tum inutilium ſecretione, nemine contradicente, conſiſtit; ita omnium illorum contraria prorſus in hydropis geneſi notare licet, pro ætatis, ſexus, vitæ generis aliarumque diſcrimine circumſtantiarum variis indiciis conſpicua, mirum ut non ſit, morbum hunc ſerius ocyus ad lethum viam ſternere & præviis longioribus, aut brevioribus, intervallis, quibus ægri aut remiſſionem morbi ſibi aliisque conſecuti videntur, aut variis dirisque ſymptomatibus indeſinenter torquentur, ad certum tamen exitum perducere, & ſi qui ex hoc morbo revera eluctati cum valetudine in gratiam rediere, Naturæ id magis beneficio, paucis iisque vulgaribus adjutæ ſubſidiis, quam remediorum heroicorum efficaciæ, aut peculiari & arcanæ medendi methodo, in acceptis eſſe referendum videatur.

Septem effluxerunt annorum luſtra, cum inter initia praxeos fœmella ruſtica, tota quanta tumida, & facie morticina prædita, anaſarca nempe laborans, ad b. Parentem meum accedens, ut ſacra Synaxi, tanquam optimo mortis inſtantis viatico reficeretur, meam quoque opem, aliud quaſi agendo, imploraret, viciſſim & ego ne nihil egiſſe viderer, fuliginis tincturam, cum menſtruo alcalino recens paratam, quæ forte ad manus aderat, perfunctorie quaſi, ſcopo diuretico porrigerem, ægra vero inde brevi & præter omnium propriamque opinionem reſtituta, magnum partim ſtrepitum famæ hinc incrementum paratura, concitaret. Sed

nec

nec brevi deinceps ad vetulam aſciticam, altero hinc lapide diſtantem, media evocatus nocte, neque in aliis, qui curandi obtigerunt, hydropicis, vel hoc vel aliis remediorum generibus quicquam effatu dignum efficere licuit, quanquam haud raro ingens ſalutis ſpes ſignis haud dubiis affulſerit. Ruſtici inter alia recordor robuſti, media ætate & facie rubella præditi, & pejoris notis ſymptomatibus plane deſtituti, niſi quod ſcrotum una cum abdomine tumidum monſtri quid alere viſum ſit. Hic, quamvis nihil intentatum reliquerim, ægerque præter gentis morem morigerum ſe geſſerit, neutiquam tamen impedire potui, quin aucto ſenſim morbo, paucarum ſpatio ſeptimanarum æger vitam cum morte commutaret; idemque fatum civis honeſtus, ætate provectus, expertus eſt, qui male habens, notabilem balſami ſulphuris forte oblatam doſin hauriens, indeque tumorem alterutrius, mox utriuſque cruris, hinc & abdominis expertus, paucis itidem ſeptimanis veloci admodum curſu ad lethum contendit.

In fœminino ſigillatim genere ſterilitatem morbo haud raro anſam præbere, & ovaria aut exſucca, aut hydatidibus referta, ipſumque adeo ovariorum muliebrium hydropem, aut ſubeſſe, aut ſcenam ludere primam, notabili exemplo mihi viſus ſum notaſſe in fœmina juvencula venuſta, ſed ſterili, quæ aliquot annorum ſpatio malo ſuo afflicta, abdomine turgido aliquoties, ſed absque levamine rupto, tandem commune hydropicorum fatum ſubiit, ex cujus cadavere, leviter a Chirurgo exenterato, ingens lymphæ putridæ quantitas effluxit, nullo inteſtinorum viſcerumque, ſacculo quippe ſeu tunica peculiari incluſorum, veſtigio animadverſo. Sic & virgo annoſa, menſium vitio & fortunæ adverſæ ærumnis in hydropem aſcitem incidens, nullam morata remediorum efficaciam, brevi ad metam, licet non æque exoptatam, pervenit. In univerſum vetulas exſuccas & menſium negotio

pri-

pridem defunctas, malum hoc corripere ſolet, licet nec in medio ætatis flore conſtitutæ ab eodem plane immunes degant. Menſium ſigillatim finis, ut plurimum aliorum, ita hujus quoque morbi initium frequens & opportunum eſt, id quod duplici eoque memorabili exemplo nuper admodum edoctus ſum, fœminæ nimirum honeſtæ, annum ætatis octavum & quadrageſimum agentis, recte hactenus menſtruatæ, quæ non niſi de ſymptomatibus hyſtericis hactenus conqueſta, ſimul & ſemel tumore hydropico correpta eſt, brevi adeo adaucto, ut, licet ante quatuordecim dies ordinarium menſtruum fluxum experta fuiſſet, ſub ipſum tamen anni auſpicium in vivis eſſe deſierit, cujus quidem rei, ſollicito facto examine, nullam, quæ occaſionem dederit, cauſſam expiſcari potui, præterquam animi commotionem frequentiorem & iram modo aperto marte flagrantem, modo & frequentius ſuppreſſam, dira illa & peſtifera vitæ & valetudinis humanæ offendicula. Altera ejusdem ætatis erat fœmina ruſtica, vigens valensque hactenus, quæ hydropis primordia ſentiens, opem per interpretem aliam fœminam bene moratam quærit. Hæc interrogata, quo paſſu menſes ambulent? recte omnia ſe habere in hunc usque diem affirmat; an venæſectioni, an ſcarificationi forſan adſueta ægrota, vel utramque vel alterutram temere omiſerit? neque his, neque aliis remediorum generibus fœminam ægrotam unquam indiguiſſe reſpondit, usque adeo omni ex parte ſanam, vegetam & robuſtam, quæ nihilominus, fruſtra exhibitis, quæ ex re eſſe videbantur, remediis, brevi admodum temporis ſpatio morbo confecta fatis ceſſit. Melius autem fatum manſit fœminam honeſtam fere quinquagenariam, quæ variis & domeſticis calamitatibus afflicta, hydrope pariter correpta, varii generis remedia non quidem ſine omni auxilio, absque tamen plenaria morbi remiſſione, adhibuit, donec forte fortuna, in ſuem præcipitato impetu delapſa, mox aquis

per

per vias ordinarias largo rivo profuſis ab hydrope liberata, cum valetudine in gratiam rediret, ultra tria deinceps luſtra valens ſuperſtes, nunquam recidivam experta, cujus analogum per omnia exemplum eodem ipſo anno 1720., quod contigit Halæ Saxonum, ſub præſidio Dn. M. ALBERTI ventilata *Diſſertatio*, de *hydropica lapſu integro abdomine curata*, fuſius enarrat. Ita in hunc usque diem, quos ratio non ſanat, temeritas ſubinde adjuvat. Sed &, qui ſanitatis portum jam attigiſſe ſunt viſi, ſubitaneo interdum nec præviſo ante naufragio pereunt, quod viro contigit tympanitide laboranti alibi fuſius deſcripto, qui congruorum uſu præſidiorum a morbo graviſſimo, cum virium manifeſto augmento & totius corporis vigore, liberatus, graviſſimis in diæta commiſſis erroribus, ebrietate ante- & pomeridiana contracta, febre acuta inflammatoria correptus, paucorum ſpatio dierum mortalitatem exuit; cujus quidem eventus rationem & prognoſin nonnulli in plenaria abdominis ſubſidentia, certo mortis inſtantis ſigno, quærebant, cujus tamen contrarium in illis, qui ab hydrope convaleſcunt, toto die videre eſt.

Ejusmodi autem exempla hydropicorum, aut ſponte, aut paucorum ope remediorum in integrum reſtitutorum, paſſim & his ipſis quoque diebus occurrunt. In his eſt ſenex plusquam ſeptuagenarius, quatuor uxorum maritus, qui hydrope aſcite hinc anaſarca usque adeo intumuit, ut cum virium & adpetitus plenario decremento nec manuum, nec pedum miniſterio uti valeret, pauciſſimorum tamen & e trivio petitorum auxiliorum ope, brevi & in totum ab omni tumore liberatus, ſat commode etiamnum vivit. Idem quoque alios inter de ruſtico in vicinia hydrope correpto, & lixivio ex cineribus ſtipitum fabarum parato diu hauſto, plenarie curato, alios inter relatum accepimus. Sed aliud longe fatum manſit Virum LX. annorum, qui juvenis itine-

ribus, equo & pedibus diu incurvatis confectis, in utroque crure ruborem contraxit, ſæpius deinde exacerbatum & eryſipelaceum redditum, indeque & ob auditum difficilem acidulis Pyrmontanis ultra XX. annos, hinc & aliis ſimul atque iterum uſurpatis, anno 1744 domum redux, aquæ frigidæ potu per pluſculos dies delectabatur ſingularem mox abdominis intumeſcentiam cum duritie animadvertens, meam imploravit opem. Prævia venæſectione in pede, cui non æque adſuetus erat, cum mali fomitem in primarum viarum atonia quærerem, præter ſalia digeſtiva, martialia, antimoniata, purgantia varia in forma exhibita, corticem Peruvianum cum cortice aurantiorum & chaccarillæ permixtum, decocti forma mane quotidie hauriendum, & eo usque continuandum ſuaſi, donec uncia in dies decocta, ſedecim dierum ſpatio integra corticis libra, cui ter quaterve cathartici uſus fuit interpolatus, conſumeretur, eo quidem effectu, ut æger quotidie hinc alvum aliquoties liquidam expertus, blandum ſibi catharticum exhibitum eſſe, nullus dubitaret, miram inde alacritatem, virium incrementum & adpetitus vigorem ſibi recuperaſſe viſus. Accidit autem brevi deinceps, ut crura rubore ſuffuſa, accedente febre eryſipelacea l. a. tractata, lympham plorare inciperent, nec niſi cum ægri exceſſu prorſus deſinerent, ut conſtet, neque abdomen hydropicorum, aut crura ſponte rupta, neque paracenteſin quicquam laude diuturna dignum facile aut præſtare, aut ominari. Et hæc quidem menſe Septembri agitata; ad magnam Octobris menſis partem porrigebantur. Jam ruſticus ſupra laudatus, & lixivio ſtipitum fabarum perſanatus, hoc ipſi ceu divinum commendat remedium. Rogatus non potui illud ipſum, ceu diureticum egregium cum vino aut aqua parandum, & quotidie, non tamen omiſſis prorſus reliquis ſtomachicis, carminativis, digeſtivis & ſimilibus, concedere; quo per integrum menſem continuato,

neque

neque tamen urina huc usque lixivioſa majori copia, prodeunte, multo minus tumore abdominis remittente, quin tuſſi, appetitu proſtrato, vigiliis aliisque ſymptomatibus accedentibus, hujus tandem remedii ulteriorem uſum diſſuaſi, ægro vero eundem conſtanter continuanti, prævia levi horripilatione & aliquot dierum ſopore, pulſu, ut per totum morbi decurſum, debili & inæquali, tumor pedum eryſipelaceus & veſicularis brevi acceſſit, manifeſto gangrænæ imminentis documento, ſiquidem & æger, accedente dyſpnœa, ſummo virium languore & linguæ tremore, mente licet integra, menſe Novembri adulto a. p. naturæ debitum ſolvit.

(*Rintelio Halam miſſæ d. 22. Aug. 1745.*)

OBSERVATIO LXXIX.

Dn. D. JO. MARTINI BREHM.

Paracenteſis ſpontanea & ſalutaris in hydropica per umbilicum eveniens.

Ruſtici cujusdam in pago *Rotterod*, prope Smalcaldiam, uxor, 50. annorum, habitus corporis carnoſioris, præterito anno abdomen inopinato, ſed tamen ſucceſſive ſaltem, intumeſcere ſentit, ita ut etiam gravida putaretur, quæ opinio tamen poſtmodum evanuit, cum in tantam denique molem extenderetur abdomen, ejusque pondus eo usque increſceret, ut faſciis & ſubligaculis illud ſuſtentare cogeretur, concurrente etiam tunc, qui alias præcedere ſolet, œdematoſo pedum & crurum tumore. Res nimis anguſta non permittebat, ut vel Medicum conſuleret, vel qualiacunque convenientia remedia in uſum vocaret, unde tanto magis malum ipſum increbeſcebat, ut in ſtatu prorſus

deplorato verſari videretur, cum ex improviſo quaſi & præter omnium opinionem extraordinaria quadam ratione ab inſtante jam jam mortis periculo liberaretur. Sponte jam jam per octiduum omnis diſparuerat tumor œdematoſus in pedibus, hique ad naturalem jam rediiſſe videbantur ſtatum, cum, ſub majori adhuc incremento intumeſcentiæ abdominalis, ſpeciatim umbilicus ad ovi anſerini magnitudinem usque prominere inciperet, & omphalocelen quaſi ſiſteret, apparente ſimul in ſuperficie hujus particularis tumoris cruſta quadam ſicca & ſquamoſa. Hæc poſtquam per aliquot dies ita ſubſtiterat, tandem, cum aliquando ægra ad alvum deponendam urgeretur, ſub conatibus egerendi paululum auctioribus, dehiſcit & diſrumpitur, promanante inde ſtatim, non tamen admodum impetuoſe, per exiguam iſtam aperturam, ſatis notabili quantitate ſeri limpidi inodori, ad aliquot menſuras usque aſcendente, hocque facto ſponte iterum clauditur foraminulum & ſimili cruſta obducitur. Tertio die, redeuntibus conſuetis ad alvi exonerationem ſtimulis, reſeratur inſimul quoque prædicta apertura, & ſimilis iterum quantitas immo paulo major adhuc, quam prima vice, ſeri iſtius ſponte profluit, ſponteque dein pariter occluditur apertura. Hac ergo ratione alternis ſemper diebus, ſub alvi exoneratione & qualicunque ad feces expellendas ſuſcepto niſu, iterum vincula iſta continuo adhuc protuberantis umbilici quaſi laxantur, novaque ſeri quantitas, ſed ſubinde paullo minor, ita profluit, ſponteque iterum hæc excretio qualibet vice ſubſiſtit, donec omnis hactenus collecta, vel in abdominis cavo, vel potius (quod magis veroſimile videtur,) intra peritonæi membranam, talis extravaſata aqua, prorſus exhauſta & eliminata fuerit, ægra nunc optime valente & ſatis gracili iterum reddita, ac ſimul viribus ita denuo inſtructa, ut ſingulis hebdomadibus absque incommodo ad noſtram civitatem pedibus ire, domumque eodem modo repetere valeat.

In-

Interim peracta tali felici curatione hoc adhuc retulit iſta noſtra hydropica, ſe durante ſpontanea tali excretione nihil plane inſoliti percepiſſe, præter hoc unicum, quod, quamdiu apertum erat exiguum illud foraminulum, ſemper ſibi viſum fuerit, ac ſi nullus maneret aër in pectore & pulmonibus, ſed omnis antea ſub inſpiratione hauſtus, unice per hanc viam egrederetur, quale quid tamen & ii perſentiſcunt, in quibus ordinaria inſtituitur paracenteſis, inprimis ſi juſto major unica vice aquarum emittitur quantitas, utpote quæ, vel etiam hanc ſimul ob cauſſam, nunquam a prudentioribus Medicis & Chirurgis confertim & ἀδρόως unove impetu tali ſub operatione extrahi ſolent, ne una cum morbo ægrum tollere videantur, quoniam ſubitanearum mutationum impetus perferendi ſemper impatiens eſt natura, probe id jam olim notante & inculcante HIPPOCRATE, *Sect. II. Aphor. 51. & Sect. VI. Aphor. 27.*

Licet autem de reliquo non ſemper ſpontaneæ tales umbilici rupturæ felicem ſortiantur eventum, quemadmodum jam olim lethalem exinde ſubſecutum eventum notavit HAGENDORNIUS, *Cent. II. Hiſtor. 11. pag. 169.*, plures tamen utique adhuc proſtant obſervationes, huic noſtræ non plane diſſimiles, (hoc unico ſaltem excepto, quod in ea periodice & per exquiſita quaſi intervalla ſpontanea talis facta ſit excretio,) felicem tali modo factam hydropis, non admodum inveterati, ſed magis adhuc recentis, curationem demonſtrantes, quas evolvere licebit apud PLATERUM *Obſ. Libr. III. p. 611. ſeq.* ZACUTUM *Luſitanum Med. Princip. Hiſt. Lib. II. Hiſt. 123.* & in *Act. Nat. Cur. Dec. I. Ann. IV. & V. obſ. 148.* necnon *Dec. II. Ann. VIII. obſ. 100. in Schol.* An vero ductum huncce naturæ, viam ita ſibi, pro exterminandis aquis collectis, ex umbilico parantis, ſecure ſemper imitari, & idcirco juxta quorundam mentem, vel notiſſimam illam operationem chirurgicam, *paracenteſin* puta,

prope

prope umbilicum inſtituere, vel etiam punctura hanc ipſam partem perforare liceat, merito cum prudentioribus dubito, ſiquidem natura tot & tam varias ſibi parare poteſt vias, etiam per externarum corporis humani partium extremitates, quas ſi imitando pariter ſeligere iisdemque pertinax quiſpiam voluerit inſiſtere, facile vituperio ſe dabit, ægrosque in vitæ periculum, aut præſentaneam mortem non raro præcipitabit.

OBSERVATIO LXXX.

Dn. D. JO. MARTINI BREHM.

Lumbrici teretes variolis obſeſſi, ab infante varioloſo excreti.

Mercatoris cujusdam filiolus, duorum circiter annorum, conſtitutionis admodum obeſæ, ineunte menſe Auguſto a. c. laborabat variolis epidemice graſſantibus, ſuamque malignam indolem, eximia jam jam edita ſtrage infantum, abunde ſatis manifeſtantibus. Erant hæ in ipſo illo infante perquam numeroſæ & ſimul confluentes, ac inſuper adeo gravibus ſtipatæ ſymptomatibus, ut die undecimo pariter, uti in multis aliis, lethalem ſortirentur eventum. Antequam autem funeſta talis ſuccedebat cataſtrophe, tam nono, quam decimo die, non ſine ingenti parentum aliorumque adſtantium admiratione imo vero ſtupore, permulti adhuc vivi, cum alvinis fecibus, excernebantur lumbrici teretes, a capite ad caudam uſque ſimilibus variolis, ejusdem coloris & ſimilis fere magnitudinis, undiquaque obſiti, per aliquot adhuc horas inter excrementa dejecta viventes. Rarum hocce phænomenon, nunquam hactenus, quantum mihi quidem conſtat, obſervatum & adnotatum, manifeſto ſatis demonſtrat, miaſma varioloſum ratione propriæ ſuæ acti-

vitatis

vitatis non adeo anguſtis circumſcribi limitibus, ut eandem unice in genus humanum, omniumque maxime in infantum corpora exſerat, ſed potius illud, ſub epidemica inprimis graſſatione, & accedente aëris ſimul noxia conſtitutione, uſque adeo exaltari poſſe in virtute ſua pernicioſa & corruptiva, ut hanc ipſam in alia quoque corpora, ab humano genere prorſus aliena, transferat, ibidemque ſimili modo exſerat. Subiit ergo procul dubio ſpecificum tale virulentum venenum, lumbricorum, in inteſtinis hujus infantis latitantium, corpuſcula, mediante chylo abinde jam jam infecto & contaminato, eadem plane ratione, qua alias etiam in fœtus tenellos, utero materno adhuc incluſos, ſi mater prægnans vel actu jam variolis laborat, vel ipſum ſaltem hoc miaſma, contagio communicatum, adhuc in humoribus abſconditum gerit, tranſire ſolet, qualia exempla, fœtuum jam in utero variolis laborantium, paſſim occurrunt, ſpeciatim vero ab HILDANO, *Cent. IV. Obſ. 55. & 56.* BARTHOLINO, *Hiſtor. anatom. rarior. Cent. IV. Hiſt. 50.* & *Epiſtolar. Cent. III. Epiſt. 85.* FORESTO, *Libr. V. obſ. 44. pag. 196.* RHODIO, *Cent. III. obſ. 83.* & in *Ephemerid. Academ. noſtræ, Dec. I. Ann. I. obſ. 52.* & *Dec. II. Ann. VI. obſ. 61.* notata deprehenduntur.

(*Smalcaldia Halam miſſæ, d. 19. Octobr. 1745.*)

OBSERVATIO LXXXI.
Dn. D. JOANNIS GRASHUIS.
De
Infante Hermaphrodito dicto, adjectis ſimul conjecturis quibusdam, de origine & cauſſis Hermaphroditorum.

Sub finem circiter Anni MDCCXLII. infans trium annorum cum dimidio, in *Scotia* natus, a Circuitoribus *Amſtelodami*

dami tanquam *Hermaphrodita*, quorumlibet viſitationi pretio exponebatur. Sanus erat, vegetus, toroſus & quoad habitum corporis rite conformatus. Detecta autem pubis regione, labia quaſi muliebria in conſpectum prodibant, rimam ſatis profundam inter ſe linquentia. In ſuperiori & media parte glans clitoridis ingens & valde craſſa prominere videbatur. Hiſce perfunctorie tantum viſis, omnes fere ſpectantes unico ore fœminini ſexus infantem eſſe pronunciarunt. Et revera fœminæ hæcce ſimillima videbatur, ſolito majori clitoride inſtructæ. Accuratiori vero inſtituta indagine, rem longe aliter ſe habere obſervatu erat facillimum. Diductis enim labiis nihil fœminino ſexui proprium conſpiciebatur. Ipſa hæc interne æque ac externe albicante pellicula tecta erant, & licet magnam invicem facerent rimam, nihil quidquam, quod alis muliebribus erat ſimile, conſpiciebatur; neque apertura vel introitus vaginam verſus. Omnia ad rimæ finem erant clauſa; locus autem, ubi rima iterum clauſa erat, ſtria, quaſi cicatricem mentiente, terminabatur. Ad inferiorem dictæ ſtriæ partem parvum & rotundum erat orificium, per quod urinam voluntarie puer emittebat. In ſiniſtro labio corpuſculum modice durum, imperfecte rotundum, teſtem maſculinum haud inepte referens, perſentiri poterat, non æque in dextro. Quod ſupra labia inſtar clitoridis ſeu Nymphæ prominebat, glandi penis non erat diſſimile; præputium autem in inferiori parte erat fiſſum, nullusque in glande ad excernendam urinam meatus. Quin & ipſum penis corpus, deorſum tendens, digitis obſervari poſſe videbatur, ad oſſa pubis arcte compreſſum, iisque accretione firmiter coadunatum. Ex hiſce, quæ dixi, ſatis ſuperque, me judice patebit, infantem hunc maſculini generis, ejusque partes genitales præter naturam eſſe vitiatas, ſic, ut externe fœminale ſimulare viderentur. Scrotum pueri, ut mihi videtur, certa quadam cauſſa, ante

nati-

nativitatem in duas partes fuit fiſſum & diviſum; urethra itidem ſub ſcroto perforata, uterque hiatus ſine conſolidatione ſuperſtes remanſit: prior labia muliebria quaſi repræſentabat, poſterior urinæ exitum, more quaſi fœminino, concedebat; neuter autem pudendo muliebri vere ſimilis. Eadem quoque ratione penis a naturali ſtatu permutatus virilis membri notas externe quoad omnia non referebat, neque clitoridi muliebri perfecte erat æqualis.

Cauſſas hujus conformationis præternaturalis, vel alius cujuscunque, plus minusve ei ſimilis vel diſſimilis, perſcrutari, difficillimum erit. Natura enim ut veritatem, ſic ejusmodi cauſſas in profundo abſcondidit. Aliquas tamen, forte non omnino improbabiles, eminus licet, conjectura aſſequi conabor, poſterior dies forte meliora docebit. Vitium ante nativitatem oriri, in utero contrahi, nemo dubitare poteſt. An a mala conſtitutione germinis, primi humani fœtus rudimenti? non credibile videtur: quidquid enim præternaturale eſt, non naturæ, ſed cauſſis quibusdam foris accedentibus, ortum debere, veroſimillimum eſt.

Fœtum in utero matris hærentem læſione quadam affici poſſe, ita ut partes quædam compreſſæ ad ſolitam formam ſeu magnitudinem increſcere non poſſint, vel in præternaturalem abire cogantur, obſtetricantium obſervationes, & quotidiana experientia abunde teſtantur. Uterus inter dura admodum oſſa, pelvim conſtituentia, eſt locatus, & quomodocunque tempore graviditatis adſcendat, inferius tamen & ad latera oſſibus pelvis innixus hæret. Poteſt itaque fœtus in eo incluſus, maxime ſi præternaturalem quendam in eo ſitum habeat, cum ipſo utero in aliquam dictorum oſſium partem impingere. Quod ſi contigerit, neque ſitus vel uteri, vel infantis cito mutetur, uterque, præcipue tamen fœtus, tenellus adhuc, compreſſionem patietur moleſtam, læſionem variam, prout hæc vel illa pars cauſſæ com-

primenti magis fuerit expoſita. Incremento ſecundum naturam haud raro impedimentum exorietur, ut vel pereat embryo ſuffocatus, vel pars ejus natura prævalente in cæteris in deformitatem increſcat (a). Hinc variæ in recenter natis, a ſolita forma aberrationes, monſtra repræſentantes, inter quæ *Hermaphroditæ* quoque connumerari merentur. Verum namque Hermaphroditam, hoc eſt, utriusque ſexus partibus naturalibus perfectis inſtructum, nunquam occurrere certum eſt, & ab omnibus hodie admiſſum. Applicentur nunc quæ dicta ſunt ad caſum in hac obſervatione propoſitum. Fœtus dum utero erat incluſus, per aliquot tempus ſic potuit eſſe locatus, ut anteriores & inferiores trunci partes, ſcrotum præcipue & penis, tenui margini vel coſtæ oſſium pelvis inſtiterint. Scrotum a margine duri oſſis preſſum, cedet introrſum quantum poſſit; molles enim partes extenſiles, a duris compreſſæ, figuram immutant, uſquedum vel rumpantur, vel cauſſa compreſſionis reddatur irrita. Si vero vel defectu aquarum in membranis fœtum involventibus, vel alia quacunque cauſſa, fœtus vel ejus trunci pars inferior, adeo fuerit coarctata, ut intro verſus cedere amplius nequiverit, molles partes a duris compreſſæ contuſionem recipient, quam, præcipue ſi cauſſa perſeveret, neceſſario deſtructio ſequetur. Margo oſſis, ex hypotheſi, in deſtructam partem introibit, quæ quaſi cultro, ut ſcrotum in noſtro caſu, in duas partes, magis minusve æquales, prout cauſſa comprimens medietati fuerit adplicata, diviſa

(a) Uterum cum incluſo fœtu præter naturam aliquando talem ſitum obtinere, ut ex compreſſione oſſium pelvis verſus teneras embryonis partes, variæ deformitates exoriantur; quin & alias cauſſas in utero vel extra eum ſæpiſſime adeſſe, idem efficientes, in Tractatu quodam, belgico idiomate, de *Spina bifida ejusque cauſis*, conſcripto, multis demonſtrare adniſus ſum.

viſa apparebit. Penis itidem eadem de cauſſa retro fuit adactus; neque hæcce introceſſio forte finem obtinuit, antequam oſſa pubis ipſius fœtus, plus reſiſtentia, quam flexile ſcrotum & penis, comprimenti cauſſæ obicem ponerent; vel alia quæcunque demum cauſſa ulteriorem compreſſionem impediret. Hinc & præputium glandis facile findi potuit, & urethra itidem contuſa, ſeparatione facta, perforari. Penis maxima parte oſſibus pubis firmiter accreſcere debuit, meatu urinario compreſſo & conſolidato. Poſtea vero increſcente fœtu, ſitu mutato, partibusque a comprimente cauſſa liberatis, quæ vulneratæ & cute denudatæ fuerunt, tectæ quidem a natura ſunt & cicatrice obductæ; fiſſura ſcroti autem ſeparata manſit. Diviſæ etenim hæ partes, cauſſa licet comprimente vel ſecante ablata, ſibi non erant contiguæ, neque vi vel cauſſa cogente adductæ ad invicem, proin non coaluere, ſed ſingulæ ſeparatim conſolidatæ, quatenus contuſæ fuerant. Ergo hiatus vel fiſſura fuit relicta, poſtea nunquam coadunanda. Eandem ob rationem apertura in urethram penetrans patula manſit, accedente præcipue, tractu temporis, quotidiano urinæ affluxu, altero exitu ad finem glandis denegato. Neque eſt quod quis objiciat, uterum matris eadem cauſſa lædi & rumpi neceſſario debere, antequam tale vitium fœtui ſit impreſſum. Non dubito etenim, quin ſæpe ſæpius, ejusmodi læſione uteri, fœtus ante debitum tempus expellatur, & *abortus* nomine pereat. Sufficit mihi hanc læſionem aliquando ſic poſſe fieri, & re ipſa fieri, ut embryoni majorem, quam utero vim inferat.

Quæ de aliis ſic dictis *Hermaphroditis* ex relatione virorum fide dignorum percepi unquam, eodem, niſi vehementer fallor, modo, quam facillime explicari poſſunt. In plerisque, ſi non omnibus, præternaturalis & vitioſa partium genitalium virilium conformatio locum obtinebat. Scrotum fiſſum, orificium quoddam in meatum urinarium

 pene-

penetrans, per quod urina emittebatur, vaginæ autem muliebri perquam diſſimile; pene interim quandoque in anteriori parte imperforato. Eandem fere de *Hermaphroditis* opinionem foviſſe videtur egregius, inter Anglos Chirurgus, CHESELDENUS, qui, ſe Hermaphroditam aliquem examinaſſe, dicit, in quo ſcrotum erat fiſſum, ut labia pudendi muliebris perfecte ſimularet; utrumque horum vero teſticulum continebat; clitoris aderat magnitudine peni virili ſimilis, tenui meatu perforata, & urinam parca copia emittens: ex foramine altero inter prædicta labia urinæ itidem exitus patebat (b). Minime itaque doctiſſimis Viris, DOUGLASS, PARSONS, aliisque multis adſentiri poſſum, ſolas pro *Hermaphroditis* haberi debere fœminas luxuriante nympha, ſeu clitoride, inſtructas (c). Haſce quandoque & ſæpe pro *Hermaphroditis* eſſe venditatas, non inficior, eas autem ſolas minime credo. A multis enim inter recentiores æque ac vetuſtiores τριβάδες ſeu *fricatrices*, ab *Hermaphroditis* caute ſatis diſtinguuntur. Pro *Hermaphroditis* habitos eſſe infantes maſculinos, fiſſo ſcroto & deformato pene natos, & haberi ab imperitis facile poſſe, rationi æque ac experientiæ valde conſentaneum videtur. Multis autem & variis modis ſibi non ſimilibus ejusmodi vitium evenire poteſt, ut nunc magis, alio tempore minus Hermaphrodito ſimilis cenſeatur homo; nunc viro magis, nunc fœminæ ſimilis judicetur. Exemplum proſtat in *Satyris Medicorum Sileſiacorum*, pueri, ob fiſſum ſcrotum pro *Hermaphrodito* vendidati, licet parum ſimilitudinis revera adeſſet. Huic ſcrotum quaſi in duos exiguos tuberculos erat diviſum, in quorum medio

(b) W. CHESELDEN *Anat. of Human. Body.* IV. Edit. p. 300. in ſexta autem Editione hæc, nulla addita ratione, omiſit.

(c) J. PARSONS *Mechanical and Critical Enquiry into the Nature of Hermophrodites*, p. 133. 145.

medio ſola glans cum præputio, eandem non tegente, ſed ſaltim coronæ ad inſtar cingente, nullo præſente pene, ventri infimo ſupra oſſium pubis limites adnata, rimula quidem notata, ſed non perforata. Infra glandem paulo dextrorſum, in ipſo ſacco vel tumore, locum alias ſcroto familiarem occupante, profunda & duos digitos transverſos longa fuit rima, vel potius plica, tumidis ab utroque latere quaſi labiis ſtipata, continuo fere urinam plorans, primo intuitu omnino vulvam muliebrem repræſentans, & exinde vetulæ obſtetrici imponens, infantem pro Hermaphrodito venditanti. Labiis diductis inferius occurrebat exiguum & vix viſibile foraminulum, urinæ ſcaturigo (d). Præter hæc & alia quædam præternaturalia in eodem puero obſervabantur, ad ſcopum meum non pertinentia. Dantur & alia quædam ſimilia apud Auctores exempla, quibus recenſendis vel illuſtrandis non immorabor.

(*Amſtelodamo Halam miſſa, d. 17. Nov. 1745.*)

OBSERVATIO LXXXII.

Dn. D. JO. DANIEL SCHLICHTINGII.

De

Fiſtula rara glandulæ parotidis cauterio actuali ſingulari modo ſanata.

Virgo 25. annorum, diu moleſtata fuerat ſcirrho ingenti parotidis glandulæ, inter tragum auris & genam. Excidimus tumorem, cum maxima arteriæ temporalis hæmorrhagia, quam etiam ante operationem metuebamus & idcirco omni ſtudio præcavere annitebamur; relicta vero fuit fiſtula, quæ nullis remediis cedebat. Intruſi igitur ipſe

(d) Medicor. Sileſiacor. Satyr. Specim. I. pag. 58.

propria manu, comite Chirurgo quodam juniori, actuale cauterium per dictam illam fiſtulam longitudine duorum transverſorum digitorum, ut calor & ambuſtionis fœtor per fauces & os penetraverint. Adhibitis poſtmodum variis injectionibus, virgo ſemper potuit injecti liquoris ſaporem exacte diſtinguere, certo indicio, quod cauterium prope tragum per cartilagineum meatum auditorium, atque membranam tympani usque in ipſam tympani caveam tranſierit, ac injecti liquores per eandem viam, per tympanum ac per tubam Euſtachii in ipſas fauces penetraverint; & quod magis adhuc eſt mirandum valdeque ſimul rarum, contigit hoc absque ulla auditus læſione, utpote quem æque integrum jam adhuc in parte læſa eſſe adſerit virgo nunc ſanata, ſicuti ante perpeſſum illud fiſtuloſum ulcus fuit.

OBSERVATIO LXXXIII.

Dn. D. JO. DANIEL SCHLICHTINGII.

De

Dyſenteria ex potu aceti.

Vinopola juvenis 26. annorum, æſtate calida 1742. corpus gravi labore exercet, unde incaleſcens ſitit enormiter, & cum neque aqua, neque cereviſia vinove ſitim extinguere valeret, ebibit tandem quotidie aceti vini acerrimi pintas tres, i.e. libras circiter ſex, juncto inſuper copioſo potu cereviſiæ, vini, aquæ frigidæ, Thee, Coffee, &c. Per tres ſeptimanas confeſſus mihi eſt hic juvenis, ſe adſumſiſſe quotidie memoratas tres pintas aceti, quum demum incideret in dyſenteriam acutiſſimam, quæ ope Medici providi & ſeduli per potum dilutum & anodyna intra paucorum dierum ſpatium, absque ulla ſubſequuta ulteriori noxa, cohibita fuit. Quanquam autem hic caſus, memoratu omnino dignus,

dignus, ſiſtat acidum, vel acetum, tanquam veram Dyſenteriæ cauſſam, neutiquam tamen exinde concludere licebit, dyſenteriam omnem exoriri ex acido, quum hoc in ſingulari ſaltem ſubjecto evenerit, & a particulari ad univerſale haud concludendum ſit; recte tamen ab acido acri eam aliquando oriri argumentamur, quemadmodum etiam experientia confirmat, quod ab acido in primis viis infantum collecto, diarrhoeæ graves & torminoſæ excitentur; ab adſumta juſto majori ſpiritus vitrioli, nitri, aliorumque acidorum mineralium doſi, in adultis, dyſenteria; ex cremoris tartari abuſu, vel aluminis imprudentiori uſu, diarrhœæ torminoſæ, itemque ex nimia comeſtione fructuum horæorum, inprimis autem immaturiorum, graviſſimi teneſmi, cum ſimilibus cruentis dejectionibus, ſæpius inducantur & provocentur.

(*Amſtelodamo Halam miſſæ d. 21. Jan. 1746.*)

OBSERVATIO LXXXIV.

Dn. D. CHRISTIAN. GOTTLIEB FREGE.

Continuatio argumenti, Volum. VII. horum Actorum Obſ. 98. p. 252. de inflammatione faucium & uſu gargariſationis, propoſiti.

Egregia quidem ſunt, quæ & BOERHAAVIUS & HOFFMANNUS de *angina* tam *inflammatoria*, quam *catarrhali* memoriæ prodiderunt; non tamen plane ſuperfluum fore credo, ſi quasdam iis obſervationes, tam de differentia, quam curatione morbi addam, præſertim quas iterum partim in memetipſo d. 7. Aprilis anno 1745. partim in aliis circa medendi methodum & inprimis etiam circa uſum gargariſationis, experiundo conſignavi. Multæ enim

ſæpe

ſæpe tam morborum, quam remediorum circumſtantiæ negliguntur, quæ ſi recte obſervantur & conſiderantur, artem & ampliorem & clariorem facilioremqne reddere queunt. Contingit hoc itidem circa inflammationem faucium, quæ a plerisque auctoribus obiter tantum, ſi anginam excipias, deſcribitur, ita, ut non niſi methodus vel reſolutoria, vel ſuppuratoria brevibus ſaltem, ſine veris rationibus ac cauſarum differentiis, proponatur, id quod itidem de recto ac ampliori *gargariſationis* vel collutionis uſu valet.

Sub *inflammatione faucium* vero jam nihil aliud intelligo, quam tumorem, ſeu congeſtionem catarrhalem inflammatoriam pharyngis & glandularum, vel ſic dictarum tonſillarum, quæ circa fauces ſitæ ſunt, & idcirco difficilem admodumque dolorificam communiter deglutitionem efficiunt. Ad eam vero curandam primum varia reſolventia & deinde, ſi reſolutio non ſtatim ſuccedat, emollientia & ſuppurantia ordinantur, quorum ſub applicatione interdum quidem adhuc reſolutio ſequitur, plerumque tamen ſuppuratio, maximis cum ægri cruciatibus ac anguſtiis, promovetur. Neceſſario vero æger varie debet cruciari, nec recta curandi via poteſt ſeligi, niſi cauſis ac differentiis morbi, nec non pharmacorum operationibus & applicationibus rite perſpectis ac penſitatis.

Confunditur enim hic morbus a nonnullis cum angina vera & ſub nomine *anginæ catarrhalis* pertractatur, ut a BOERHAAVIO in Aphoriſmis. HOFFMANNUS vero in *Medic. ration. ſyſtemat. Tom. IV. de febribus p. 392.* inflammationem faucium, ſeu tonſillarum, die böſen Hälſe, ab angina catarrhali, quæ ſemper ſpirandi ac deglutiendi facultatem impeditam ſimul conjunctam habet, videtur ſeparare, quam tamen in methodo medendi, ſicuti etiam neceſſitas poſtulat, iterum conjungit. Taceo, quod deglutiendi moleſtia & dolor in omni faucium inflammatione ſimul con-

currat,

currat. Angina enim vera proprie nunquam catarrhalis exiſtit & ſemper in cholericis & biliofis, teſte quoque SYDENHAMIO, oritur, inſimulque veræ inflammationis genuina ſigna, ſcilicet æſtum, & pulſum fortem, conjuncta habet, ac inſuper quoque in partibus muſculoſis præcipue ſedem fixam occupat. *Catarrhalis* autem *faucium inflammatio* ordinarie pulſum tardum & debilem præ ſe fert, ſemper tempeſtate, catarrhis & febribus catarrhalibus excitandis favente, occurrit & ſubjecta cholerico-melancholica, vel ſanguineo-melancholica, brevibus, plethoricos, carnoſos & obeſos, itemque tales, in quibus tranſpiratio facilius & frequentius turbatur, pleroſque ſine, quosdam etiam cum febricula quadam catarrhali invadit a). Hinc talis inflammatio congeſtio tantum eſt catarrhalis, nec tantus ardor & tam grave periculum, dolor tamen, ob impeditam deglutitionem, æque vehemens in faucibus præſto eſt. Contingit hoc maxime in ſic dictis tonſillis & uvula. Eſt vero præterea totum fere os fauciumque regio obſita glandulis, in quibus, quia hoc tempore lympha craſſior b) ſtagnat, & dolor & tumor magis magisque augentur. Occupat hinc talis adfectus facile iterum in iisdem ſubjectis ſemel debilitatas partes poſt unum alterumve annum. Ad illum igitur tempeſtive præcavendum & ad reſolvendam ſta-

a) Sexum, ætatem, temperamentum, tempeſtatem, præcipuam morborum unius ſæpe generis *differentiam ſpecificam* efficere, partim ex Pathologia jam conſtat, partim alio loco fuſius demonſtrabitur, quia indagatio veræ morborum eſſentiæ ac differentiæ, ſæpe negligitur.

b) In muco & ſputo ſeu ſaliva fluida, nec tenaci, maxima pars ſanitatis conſiſtit. Hinc morbi multi a muco iſto & ſaliva vel condenſata, vel in glandulis ſtagnante, originem trahunt, adeoque indicatio remedii diluentis per gargariſationem, vel collutionem, per ſe patet. Conf. HALLERI Commentar. in BOERHAAVII Inſtit. Volum. I. p. 173. & 194.

ſin, requiruntur partim diluentia, partim reſolventia & roborantia, quæ, ſi debite & convenienter applicantur, vix unquam inſigne quoddam doloris incrementum, multo minus actualem quandam ſuppurationem ſucceſſiſſe obſervavi. Continet enim vera & continua, ac ne quidem per horulam fere intermiſſa gargariſationis, vel potius *collutionis* methodus, interpoſitis remediis quibusdam alexipharmacis, omnes eas indicationes, quæ cito, tuto & jucunde ſanitatem reſtituere valent. *Aqua calida* & diluit & reſolvit, immo concutiendo quaſi extrahit pituitam tenacem, in oris glandulis ſtagnantem; quia vero *adfluxus* hoc tempore & ſolius aquæ uſu quoque promovetur, ideo tam decoctum illud pro collutione deſtinatum, herbam aliquam pectoralem & roborantem in ſe debet continere, quam, intermiſſa nonnunquam gargariſatione, medicamentum aliquod roborans & anticatarrhale, v. g. eſſentia pimpinellæ, tinctura antimonii, cum ſpiritu nitri dulci juncta & ſacchari fruſto inſtillata, debet ſub lingua detineri, ut vaſa oris lymphatica eo majus robur ad reſolutionem recipiant. Maximum vero auxilium in *collutione oris* eaque inprimis *continua*, poſitum eſt, quia ſtatim, dum gargariſatio vel collutio omittitur, pituita rurſus colligitur; hinc aqua vel decoctum & nocte & interdiu ſemper in calore conſervari, eaque methodo, ſi pertinax fuerit malum, etiam per tres quatuorve dies continuari debet, donec reſolutio plenaria & doloris omnis ceſſatio ſequatur. A celeberrimo WERLHOFIO a) eum in finem *decoctum florum ſambuci* maxime laudatur; a plerisque *decoctum calidum cereviſiæ ſecundariæ* cum equiſeto, aut ſalvia, aut aniſo, vel etiam infuſum ſeminis aniſi aut fœniculi, ſumitur, quæ vim magis roborantem habent. His porro nonnulli quidquam ſalis ammoniaci adjiciunt, ad pituitam

a) vid. *Commerc. litterar. Norimb.* 1735. p. 108.

tuitam magis attenuandam; eundem quoque effectum præſtitit decoctum caricarum cum lacte calido paratum, ſed paullo tardiorem nimisque emollientem exſerit effectum. Conducit porro ſpiritus vini ſimplex, vel ex Illuſtr. HOFFMANNI ſententia a) *vinum Rhenanum* ſolum, vel cum decocto dilutum, pro tali collutione oris. Nec minus etiam *vapor* decocti calidus, ad fauces continuo admiſſus, miram reſolventem virtutem præſtat; cui ſcopo etiam inſervire poſſunt lenia *maſticatoria*, poſt collutionem interdum aſſumta. Hæc ſi adſiduo continuantur, ſucceſſive dein pituita ſeu ſaliva ſemper fluidior & tandem ſpumoſa redditur, quod optimum eſt ſignum reſolutionis.

Externa remedia fere omnia, v. g. emplaſtra & cataplaſmata, plerumque ſuppurationem accelerant, quia partim nimium emolliunt, poros nempe obſtruendo, partim fluidum ad reſolutionem neceſſarium diſſipant & pituitam magis incraſſant. Præſtat ſolummodo collum linteo calido fovere tectumque ſervare, & latus dolorificum vel jugulum ſæpius oleo bezoardico *Wedelii*, quod ex olei amygdalar. dulc. vel papaveris ℥j. olei de cedro gutt. xxx. & camphoræ in oleo ſolvendæ ʒß. componitur, inungere ac modeſte fricare b). Præterea quoque *pediluvia* calida ſimul in uſum trahi poſſunt, non omiſſo etiam laxante, mox in principio exhibendo. Et hæ ſunt formæ medicamentorum præcipuæ, quæ ſub gargariſatione in hoc malo ſuppetias ferre poſſunt.

Quam CELSUS *Lib. X. cap. 4.* commendat, gargariſationem, ex hyſſopo, vel thymo, nepeta, abſinthio paratam,

Pp 2

a) in *Medic. ration. Syſtemat. Tom. IV. de febr. p. 399.* Conf. quoque Cel. HEISTERI *Diſſertat. de mechanicæ Medicinæ præſtantia*, §. 57. & 58.

b) vid. HOFFMANNI *Medic. ration. Syſtem. Tom. IV. de febrib.* p. 399. §. 2.

tam, ego quoque potius in catarrhali, quam inflammatoria vera angina prodeſſe exiſtimo. Id vero, quod ait, ab *humidis incipiendum, fomentisque humidis magis utendum eſſe*, in utroque malo neceſſarium & idcirco probe obſervandum eſſe judico.

Injectiones vero decocti alicujus in fauces per ſiphonem parum plerumque proſunt & ſuffocationis metum haud raro inducunt, dum vix non caveri poteſt, quin aliquid interdum intra aſperam arteriam profluat tuſſimque excitet periculoſam, vel, ut HOFFMANNUS a) ait, *augeat valido attritu dolorem & inflammationem.*

Interim quoque non negandum eſt, continua ac provida injectione calidi liquoris abſterſionem & liberationem pituitæ, tonſillis & faucibus quaſi adglutinatæ, facilius promoveri. *Venæ ſectionem* autem hic ſemper nocere, & non niſi in vera ſeu inflammatoria ſanguinea angina locum invenire, quilibet expertus Medicus facile perſpiciet.

At enim vero ſi ex ignorantia veræ methodi nimio emollientium externorum uſu eo perventum ſit, ut abſceſſus ad perruptionem deduci debeat, & ſuffocationis periculum hinc immineat, tum ſcalpellum, *pharyngotomum* dictum, in auxilium vocatur, cujus loco ab empirico aliquando, quum periculum in mora nec pharyngotomum ad manus eſſet, egregium quoddam aliud extemporaneum remedium optimo cum effectu adhibitum fuiſſe vidi. Ille enim ſtatim ſpongiæ fruſtum tenui teſtui balænæ alligavit, & oleo olivarum probe tinctum intra fauces detruſit retraxitque & ſic apertionem abſceſſus procuravit.

Facile ergo nunc & gargariſationis uſus, & ipſius methodi, in inflammatione faucium & vera angina obſervandæ, diffe-

a) Vid. ejusd. *Medic. ration. ſyſtemat. Tom. IV. de febr. pag. 355. §. 5. p. 397. §. 4. p. 400. §. 6.*

differentia patet, dum nempe in hac magis temperantia & refrigerantia requiruntur, itemque gargariſatio cum acidis & pauxillo vini, cui cremor tartari, nitrum, ſyrupus acetoſitatis citri, &c. admixta ſint; externe vero *epithemata*, ex aceto & aqua calcis vivæ cum pauxillo ſpiritus vini camphorati, calida collo ſæpius adplicata, itemque venæ ſectio, optime conveniunt. Hinc BOERHAAVIUS Aphor. §. 811. *requiritur*, inquit, *continua opera* (gargariſando nitroſis, vaporibus & acidis) *ne areſcant partes.*

Sed hæc a BOERHAAVIO, HOFFMANNO, immo HIPPOCRATE (præſertim quoad prognoſin) nec forte ab alio curatius, quam ibi deſcripta atque enucleata ſunt. An vero *deglutitio* absque febre & inflammatione, v. g. a ſcirrho vel ſpaſmis, impedita, ad anginam quoque referenda ſit, dubius adhuc hæreo.

Ampliorem igitur adhuc *gargariſationis vel collutionis uſum* exiſtere in aliis oris & faucium adfectibus, nemo non facile perſpiciet, nimirum in odontalgia a), in aphthis, in ulceribus faucium, in omni *angina* ſeu inflammatione faucium *ſymptomatica*, v. gr. a variolis, &c. ubi accommodata cuilibet malo ſimplicia vel decocta, & hæc *continua* & *calida gargariſatione*, vel collutione, mirum quantum præ aliis medicamentis efficere valent. Quantum enim tam in ſelectu medicamentorum, quam recta methodo & applicandi forma poſitum ſit, verbis vix poteſt deſcribi, ideoque ab empiricis, quamvis ſine ratione, rationales tamen Medici ſæpiſſime ſuperantur. Sic nuper in *ulcere parotidis ſcirrhoſo* decoctum reſolvens, in ore lateris iſtius ſæpius per aliquod tempus calide detentum, curationem ulceris iſtius eximie adjuvaſſe, ab experto Chirurgo narratum memini.

a) In hac præſertim cereviſia ſecundaria calida, in qua rob ſambuci ſolutum fuit, ſpecifice laudatur ab HOFFMANNO, in *Medic. ration. ſyſtemat.* Tom. III. p. 581. §. 9.

Obſtat autem de reliquo unicum in infantibus vel puerulis impedimentum, in quibus nec gargariſatio, nec etiam collutio in uſum vocari poteſt. His ergo infuſa calida ſæpius exhibenda ſunt, item oleum bezoardicum Wedelii externe inprimis adplicandum, conjungendo mixturas anticatarrhales cum ſaccharo, & linctum ex Julepi roſar. ℥ij. & olei bezoard. Wedelii ʒß. ſæpius cum infuſo calido lambendum, quæ tempeſtive adhibita optimum ſimiliter præſtabunt effectum.

OBSERVATIO LXXXV.

Dn. D. CHRISTIAN GOTTLIEB FREGE.

De

Abſceſſu ani feliciter ſanato.

Abunde jam inter Chirurgos conſtat, quod periculoſi ſæpe circa anum abſceſſus generentur, fiſtulis ani tandem originem præbentes. Nec minus quoque per experientiam cognitum eſt, eos raro medicamentis & vix non, ſaltim raro ſine cultro Chirurgi artificis curari. Attamen in principio, ſi recta adhibeatur methodus, adhuc absque ſectione, quam plerumque ſumme reformidant ægri, ſolis medicamentis idoneis, tam internis, quam externis, tales ſanari poſſe, ſequenti exemplo & adhibita medendi ratione demonſtrabo. Anno 1743. circa æſtatem morbilli mali moris Lipſiæ graſſabantur, hisque inter alios puer circiter 6. annorum, conjunctis ſimul petechiis, laborabat, meæque curæ tradebatur. Quamvis ergo leniſſima methodo, mitioribus eccoproticis alvum apertam ſervando, & temperatiſſimis bezoardicis, conjunctis ſimul diluentibus, infuſo ſcilicet pectorali ex flor. ſambuci & bellidis, procederem, impedire tamen non potui, quin purpura alba adhuc ſuperveniret. Hac autem

tem feliciter tandem ſuperata, puer fere convaleſcens dolorem in ano & mox poſt alterum diem pus profluens ſentiebat indicabatque. Inflammatum circa anum tuberculum vix in conſpectum veniebat, interius vero ruptum materiam purulentam in inteſtinum effundebat, quod magnum mihi de fiſtula forſitan ſubſequente, & hinc neceſſaria ſectione, metum injiciebat. Interim ſequens ex variis obſervationibus conſilium cepi: Primum, reſtitantem forſitan adhuc materiam peccantem critico motu hic depoſitam eſſe perſuaſus, eamque hac ipſa via ulterius expelli, minime vero diaphoreticis iterum per maſſam humorum diffundi debere, perſpiciens, leniora laxantia & diuretica ſubinde exhibui, utque ſimuLad præcavendam fiſtulam, abſceſſum ſeu tuberculum ab externa parte maturatum & apertum ſervarem, omnibus viribus adlaboravi. Huic ultimo autem ſcopo nihil accommodatius deprehendi, quam emplaſtrum diachylon compoſitum, quod regione perinæi imponebatur. Hoc poſt aliquot dies ibi abſceſſum ita contrahebat & aperiebat, ut foramine interno forte ſic clauſo, pus non amplius ex ano, ſed nunc ex perinæo efflueret. Quoniam etiam in aliis antiquis ulceribus & abſceſſibus obſervaveram, quod hoc emplaſtrum (ſi interna convenientia ſimul adhibeantur,) non tantum maturationem promoveat, oras ulceris ſimul emolliendo, ſed abſtergendo etiam omnes corruptos & impuros humores, tandem conſolidationem adjuvet, ideo illius uſum per aliquod tempus continuare juſſi: Sic enim ordinarie lenis quædam inflammatio denuo quaſi orta, ſemper novam purulentæ materiæ excretionem accelerabat; ſi autem per aliquot ſaltem dies emplaſtri impoſitio omittebatur, ſtatim tuberculum rurſus exſurgebat, quod emplaſtro impoſito dein emolliendum, aperiendum & mundificandum erat. Durabat hoc per quinque circiter menſes. Interim interne quotidie aliquot uncias infuſi theeformis ex rad. polypodii & rhabarbari

barbari, pro adjuvanda ulceris repurgatione, addito manipulo oreoſelini, ſcopo diuretico & conſolidante, parati, haurire juſſi. Non minus quoque interdum tincturam tartari ſemel vel bis de die, & quandoque elixirium viſcerale HOFFMANNI, itidem ſcopo leniter abſtergendi & roborandi, exhibebam. Tandem etiam aliquando emplaſtrum ſic dictum miraculoſum, ſeu ſaponatum camphoratum, in locum diachyli ſubſtituebam, quod ſimul, præſertim in partibus cutaneis & muſculoſis, inflammationem tollit, reſolvit & conſolidat. Sic pus, ſeu abſceſſus materia ſemper imminuebatur, & hic tandem ad inſtar vulneris, poſt novem menſium decurſum, coibat. Aſt poſt aliquot ſeptimanas, vel menſes, aliquoties per annum 1744. recurrebat, iterumque, pure extracto, conſolidabatur, donec tempore verno anni 1745. tinea vel ſcabies capitis erumperet. Tunc ergo & ſequentibus menſibus, ad ſanitatem plenarie reſtituendam, laxantia, diuretica, & tandem quoque diaphoretica, præſertim rob ſambuci & juniperi, quotidie exhibebantur, unde tandem optime puer convaluit & ultra ſemeſtre jam ab omnibus morboſis inſultibus immunis degit.

OBSERVATIO LXXXVI.

Dn. D. CHRISTIAN GOTTLIEB FREGE.

De

Nervis guſtus & paralyſi muſculorum labiorum ſiniſtri lateris.

Juvat ſæpe rem ſeu veritatem aliquam plus quam uno argumento corroborare. Diſputatum inter phyſiologos eſt, quum duo nervorum paria linguam introeant, quodnam horum motui, vel quod guſtui inſerviat. Vulgo adſcribitur nono

nono pari movendi facultas. quia maxime per muſculos linguæ diſtribuitur. Aſt BOERHAAVIUS nono pari guſtum, quinto vero, contra WILLISIUM, cauſas motus tribuit. A nervorum papillis extremis ſenſationem omnem originem ducere, creditur. Hoc ſi ita ſe habet, diſtributio iſtorum nervorum inveſtiganda, & quinam ramuli, an utrique, in papillas ſentientes deſinant, inquirendum erit. An BOERHAAVIUS æque ac WILLISIUS firmas & ſolidas aſſertorum ſuorum rationes habuerint, nondum quidem mihi conſtare videtur. Id a celeberr. HALLERO in *Commentar. ad Inſtitut.* BOERHAAVII ſolidius evictum deprehendo, majori jure *quinto pari guſtum*, quam nono, poſſe tribui. Sic enim in *Vol. IV. p. 21.* argumentatur (poſtquam & ab octavo pari nervum in linguæ muſculos progredi demonſtraſſet): *Inter tres adeo truncos nerveos linguæ, quum ſolus quinti paris ramus ad apicem linguæ perveniat, ſolus autem apex guſtet, facile ſequitur, ab eo nervo ſapores percipi. Nonum autem & in lingua & alibi in cervice totum in muſculos diſtribuitur.* Itaque guſtus ab eo nervo pendet, qui in papillas ſe extendit, quod a pari quinto ſolo in apice linguæ fieri a Celeberrimo HALLERO ibidem demonſtratur. Reliquæ enim fibrillæ, cujuscunque rami ſint, tantum in muſculis deſinunt, iisque immerguntur.

Idem hoc ex caſu quodam practico, ſeu ſtatu morboſo nuperrime obſervato, pari quoque modo illuſtratum evictumque dabo. Scilicet vir juvenis quidam cholerico-ſanguineus & plethora cum ſpiſſitudine conjuncta laborans, ira graviter percitus, paralyſi ſubito corripiebatur in toto latere malæ ſiniſtræ, nempe in muſculis frontalibus, ſuperciliorum & labiorum lateris ſiniſtri, unde ob æquilibrium ſublatum os verſus dextrum latus, cynico quaſi ſpaſmo, indecore trahebatur. Ceterum in apice linguæ, præſertim ſiniſtri lateris, guſtus deficiebat, motu interim tam linguæ, quam

maxillæ inferioris omnino adhuc ſuperſtite & prorſus illæſo. In muſculis itaque illis paralyſi tactis omnes tres quinti paris rami adfecti erant. Ab iisdem vero ramis, præſertim tertio, quum ramulus quoque per apicem linguæ tranſeat a), & in lingua unice ſaltem guſtus læſus, ratione nervorum autem ſolitarie quintum par paralytica tali reſolutione ſimul tactum fuerit, prona mihi videbatur conſequentia fluere, quod a quinto pari tantum guſtus, ab alio vero motus linguæ dependeat. De reliquo curationem hujus adfectus brevibus ſic inſtituebam, ut, quoniam is a cauſſa bilioſa, conjuncta ſimul plethora & ſpiſſitudine, inductus erat, purgatio autem & venæ ſectio paucis antea ſeptimanis jam adminiſtratæ erant, nunc tantum laxans rhabarbarinum & infuſum nervinum, ex herbis betonicæ, ſalviæ, ſerpilli, roriſmarini & ſemine fœniculi paratum, exhibuerim, cum quo bis de die æger liquorem Corn. Cerv. ſuccinatum, & ſacchari fruſto nonnunquam inſtillatas aliquot guttas balſami vitæ adſumebat. Externe balſamum lavendulatum, cum ſpiritu roriſmarini, ſæpius fronti, malæ & mento inungebatur, & veſperi pediluvio adhuc æger utebatur. Sic ergo intra 14. dierum ſpatium feliciter reſtituebatur; ſed anno 1745. menſe Auguſto redibat quaſi per recidivam hic adfectus, cum ſenſu gravativo in fronte & difficili muſculi frontalis motu. Tunc vero ſcarificatio in ſcapulis & brachiis inſtituta ex tempore moleſtum illum gravativum ſenſum, ſeu molimen paralyticum, in fronte auferebat. Quum vero altero die rediret, pulveres reſolventes & tonicos, ex limatura martis, borrace, ſale ſuccini & ammoniaco, cum oleo lavendulæ & cubebarum, imbutos, poſt meridiem & veſperi,

(a Alter nimirum ramus tertii rami hic intelligitur, dum alter ab eodem ramo prodiens ramulus in maxillam & dein circa mentum egrediens, in muſculos labiorum terminatur. Vid. HALLERUS *l. c.* it. FAUCHARD Zahn-Arzt, *cap. I. p.* 43.

peri, mane autem & a meridie Mixturam ſimplicem exhibui, & ſub prandio aquæ Selteranæ poculum tepefactum adſumere juſſi, quibus per 8. dies continuatis, omnis metus ac ſenſus recidivæ prorſus evanuit. Notandum autem adhuc eſt, augmentum corporis & incrementum in latitudinem tunc ſuccedens multum forte huc contuliſſe, unde etiam unice tunc ad plethoræ imminutionem, & nervoſi generis, præterito anno in parte adfecta admodum debilitati, roborationem, reſpiciebam.

(*Lipſia Halam miſſæ d. 7. Mart. 1745.*)

OBSERVATIO LXXXVII.

Dn. D. JO. ADAMI RAYMANNI.

De

Lochiis in utero ſuppuratis & per hypogaſtrium demum expurgatis.

Vitia lochiorum quoad defectum ex triplici potiſſimum ſcaturiunt fonte, pro cujus ratione ut alios induunt mores, ita diverſas etiam ſortiuntur terminationes, quas nemo HIPPOCRATE, quantum ſcio, vel perſpexit penitius, vel expoſuit dilucidius. Obſervat enim primum, (ut doctrinam in Synopſi exhibeam) deſiderari lochia, ſi ſanguis, qui omni prægnationis tempore ſenſim a toto corpore in uterum defertur, & velut in orbem, id quod in illo eſt circumſiſtens, ipſum, ut *L. de morb. mulier. Edit. Foëſ. p. 600.* loquitur, auget, idque adeo, ut fœtus incremento in ſtupendam licet molem expanſus, eam tamen, quam olim virgineus habuit, parietum ſuorum craſſitudinem, teſtibus RUYSCHIO, DEVENTERIO, VERHEYENIO, MERIO, HEISTERO, imo & propria experientia, conſtanter retineat,

quamvis non æque compactam & ſolidam ut antea: Si inquam is excuſſo fœtu, fibroſaque ejusdem compage in priſtinum arctiusque volumen, congenito ſibi elatere, ſeſe colligente; ex pulpoſa, quam interluebat, ſubſtantia placentæ, ſoluto cum vaſorum minimis oſtiolis nexu, perenni in uteri cavitatem ſtillicidio compluens, foras per interfœmineum non prodeat, ſed coacervatus ibidem, in grumos, pro genio ſanguinis extravaſati, concreſcat omnemque cavitatem explendo, uterum utris inſtar diſtendat, quo facto vel putreſcens loca iſta incendit, vel graveolens, lividus, niger & grumoſus citra inflammationem prorumpit, mulieremque a puerperii purgamentis juxta p. 606. expurgat. Hancce lochiorum menſibus analogam occultationem (hos namque in uteri fundo collectos graviditatem mentiri non inſolens eſt,) quamvis recentiorum ſyſtemata ſilentio involvant, an per negligentiam vel inſcientiam, in ſuſpenſo relinquo, occurrere tamen eam HARVÆUS *Exercit. de Partu*, TULPIUS *Lib. IV. obſ.39.* & *Ephemerid. Nat. Curioſ. Dec. III. Ann. II. obſ.39.* fidem faciunt.

Idem porro docet, lochiorum colluviem, ſi ex poroſitatum uterinarum mæandris in hujus confluere alveum nequeat, ad mare microcoſmicum corpusque univerſum regurgitando, ſubitam inducere pleonexiam, quæ cum præter modum vaſa infarctu ſuo diſtendat, eorundemque contractilitatis reniſum, potentiam & actionem ſuperet, ſublato fluida inter & ſolida, h. e. inter impetum & reſiſtentiam, ſive movens & mobile, æquilibrio, ſanguinem in corpus æquabiliter diſpenſari & convenienter ad quasvis partes determinari præpedit, unde is erumpentibus febribus alibi ſegniter circumactus reſtagnabit, alibi, utplurimum autem in viſcera, patulorum ductuum multitudine ab aliis maxime diſtincta, ut ſunt cerebrum, pulmones & hepar, cum impetu translatus accumulabitur, quæve horum excurſu ſuo inunda-

dave-

daverit, eorum faciet morbos, uti in capite deliria, ſopores, convulſiones, apoplexias, paralyſes, &c. in pulmonibus vero pleuritides, peripneumonias, cordis oppreſſiones ſyncopticas, ſuffocationes item & tabes; in hepate demum ejusdem connexarumque partium inflammationes, vel ſtrangulatus hyſtericos, ut pluribus p. 609. explicat, niſi *abſceſſum per emiſſionem vel depoſitionem*, ut loqui conſuevit, fecerit. Natura enim his circumventa difficultatibus, ſinceras primum abundantis ſanguinis molitur excretiones, modo per os & nares, earum ſcilicet & pulmonum hæmorrhagiam, ut loco citato obſervat, modo juxta *522. Coac.* per inteſtina & hæmorrhoides, modo, idque rariſſime, per ſtomachum, ſive vomitum cruentum, hunc enim reſpexiſſe videtur, dum pag. 607. inquit, *ſi a partu ſanguinem vomitione rejiciat, hepatis fiſtula perforata eſt.* Quamvis enim ſanguinem vomere, populari more Præceptori etiam dicantur hæmoptoici, proprie tamen eundem hic revomitum indigitare ex eo concludo, quod paulo ante de hæmoptyſi jam egerit, vomitumque cruentum inter vicarias lochiorum numeret vacuationes. Qua de cauſſa neque partus violentiam, nec calcitrantis, pro opinione MARTIANI, fœtus impetum, ſed lochiorum potius defectum, ceu reliquarum etiam, ut præmiſerat, hæmorrhagiarum parentem, accuſaſſe cenſendus eſt: ut taceam, nullum ſanguini ex hepate in pulmones, prout ad ſtomachum, per fiſtulam ſcilicet, h. e. vas aliquod Portæ ex eo ad hunc excurrens, patere viam, quod etſi nihil quicquam convehat, ſed reducis venæ fungatur munere, niſi tamen ſe in truncum Portæ hepaticum, & hinc in cavam exoneret, ſanguinis redundantis impetu perforatur interdum, per cujus hiatum is motu retrogrado in ſtomachum confluit. Cum autem ſanguis per Portam ſegnius, quam alibi decurrat, cum fabrica & uſu arteriis reſpondeat, idcirco aucta ejus quantitate per lochiorum palindromen, promptius in ea re-

ſtagnat huncque peregrinum exitum tandem adfectat. Deinde ſi natura periculo hac ratione defungi nequeat, corpus per mediatas alvi, ſudoris & urinæ excretiones ſeroſas deplere ſuſcipit. Cunctis vero his prorſus irritis, portionem aliquam abundantium humorum in partem deponit, modo ad viſcera intro, modo foras ad involucra potiſſimum abdominis, quæ, utpote non ſaltem propter viciniam, ſed inſolitam quoque durante geſtatione, expanſionem, ac parturitionis labores, adeoque deperditum hinc robur & elaterem, uberiori humorum congeſtioni maxime expoſita excipiendoque abſceſſui plurimum accommoda ſunt, quapropter ejusmodi decubitus humorum, ex defectu menſtruarum vel lochialium excretionum provenientes, in lumbos, inguina & hypogaſtrium crebrius apud HIPPOCRATEM occurrunt, ibidemque ſuperari conſueverunt.

Poſtremo ſi ſanguis lochialis nec in fundum uteri confluere, hincque foras prodire, nec in corpus remeare valeat, ſubſiſtens in cavernoſis uteri meatibus fibrarumque ejusdem interſtitiis, inflammationem, eodem Auctore, juxta p. 610. generat, quæ pro indole quarumvis partium, vel præcipiti per ſphacelum, vel lenta per ſcirrhum conficit morte, aut contra reſolutione tempeſtiva, aut, ſi hæc irrita fuerit, ſuppuratione ſaneſcit. Et talis tranſitus lochiorum retentorum in ſuppurationem aliquod ſpecimen, ceu rarius mihique nunc primum in Praxi ſex luſtris antiquiori occurrens, producere jam adgredior.

Fœmina ſcilicet Nobilis, duobus ab hinc degens milliaribus, in flore ætatis conſtituta, pumilior quidem, ſed ſatis carnoſa, & puerperiis frequentioribus proſpere defuncta, dum rurſus An. 1744. 8. Julii difficiliori exſolveretur partu, reddita licet placenta, lochiorum tamen vix comparentibus rudimentis, tumorem in hypogaſtrio experitur reſidem, quem primis quidem diebus patienter, pro robore, quo pol-

lebat,

lebat, animi, tulit; ſed cum contra puerperarum morem impolluta prorſus maneret, & continuis, cum dolorifici tumoris incremento, exurebatur febribus, viribusque hinc cito fatiſceret, artis auxilium noſtramque cogebatur implorare operam. Ipſam ergo 8vo morbi die inviſens, durum & renitentem tumorem, anguſtiori a pube principio ad umbilicum usque adſurgere, ibidemque in ſphæram, magnitudinem capitis infantilis æmulantem, terminari, ſicque cucurbitam inverſam, ſive grandius pyrum referre, i. e. uteri formam genuinam exprimere, comperi. Etſi autem globoſitas tumoris minus promineret, manibus tamen palpari & diſtingui potuit, durius interim contrectari præ ardenti, ut ægra explicabat, dolore, tergiverſabatur, cutis vero eidem ſuper extenſa, nec diſcolor, nec renitens, ſed digitis obſequioſa fuit, laterumque inania, ſive Ilia mollitiem ſuam citra dolorem conſervarunt. His ita exploratis, cum uteri fundum inflammationem ſyſtrophicam concepiſſe, lochiorumque egreſſum cohibuiſſe animadverterem (defectus enim eorundem, modo cauſſa, modo inflammationis proles eſt) ut illa poſtliminio reducerem, æſtuoſamque ſimul febrim contemperarem, elota prius per clyſterem tardante alvo, pulveres ex nitro, borrace, cinnabari nativa, antimon. diaphoret. & pauxillo camphoræ compoſitos, interpoſitis pilulis Stahlianis, ejusdemque Eſſent. alexipharmacam cum Elixir. aperitivo Clauderi, & Tinct. antimon. remixtam, ut reliqua taceam, ordinavi, tumorem vero linteis, decocto herbar. reſolventium calido & ſapone Veneto acuato imbutis, foveri imperaveram. Sed cum reſtagnans lochiorum colluvies artificiis his mota tantum fuerit, paucæ namque ſubinde ejusdem comparebant ſtillæ, emoveri tamen & profluere pertinaciter detrectabat, eapropter tumor cum febri, ejusdemque infelici ſatellitio, adeo in dies proficiebat, ut jam ne ſuſpenſæ quidem manus contactum admitteret, imo tenui

etiam

etiam offenderetur lodicula, quæ proinde funiculo, ne ſupra locum adfectum decumberet, penſilis conſervabatur: Corpus præterea non aſſidendo, multo minus adſurgendo, propter doloris acerbitatem, erigere, vel in alterutrum convertere latus integrum fuit, quapropter ſupina continuo procumbere, alvique & veſicæ excrementa in ſtragula demittere dira tali neceſſitate coacta fuit. Urgebat inſuper ciborum quorumvis faſtidium, ſumma vero carnium quam maxime averſatio, ſitis clamoſa, indefinens pervigilium, ſiquidem qui per diem ſubinde obrepebant ſomni, exigui & turbulenti fuerant, mente tamen ſibi ſemper conſtabat. Alvus pigra & dura, præſertim cum propter dolorem nihil conniti poſſet, perſtitit: Urina itidem parca & rubra reddebatur. Reſpiratio erat parva & crebra, cum intercurrentibus ſyncopticis defectionibus univerſumque corpus exhauſtis marceſcebat viribus. Ubi autem, exactis cum multo & ancipiti periculo in contumaci hoc malo tribus hebdomadibus, febris pro more detepeſcendo paulatim manſueſceret, ſævique dolores per conſuetudinem mitiores fierent, nec ſaneſcendi alia, quam per empyema, obſcura quædam adfulgeret ſpes, omnes in ejusdem maturationem intendimus nervos, ac ſubſidiariam naturæ cum unguentis, emplaſtris & cataplaſmatibus convenientibus locavimus operam, cumque inprimis ſegnis alvus nocturnas exacerbaret inquietudines, ideo prædictas pilulas, mercurio dulci efficaciores redditas, quandoque interpoſuimus, quibus illa non ſolum bis vel ter cum euphoria ſolvebatur, ſed urinæ quoque purulentum quaſi ſedimentum conſtanter eliciebatur. Quamvis autem fuerint, qui repetitum hunc pilularum carperent & clam, ut fieri aſſolet, ſugillarent uſum, animam expurgaturum iri clamitantes, intempeſtivam tamen hanc officioſitatem ægra, de utilitate earundem convicta, in ſinu deridebat, nec ſe a continuatione ulteriori his minis deterreri

paſſa

paſſa eſt. Septembris equidem quinto die febris & dolores circa umbilicum, cum ſuffocationibus lipothymicis, noviter recrudeſcebant, quæ tamen non longe abhinc, tumultuariis accedentibus horroribus, quos nocturni ſudores, nunc demum comparentes, excipiebant, deferbuit, donec tandem, prævio per tres dies durante ſæviori, quam unquam hactenus, dolorum cruciatu, 27mo ejusdem pus copioſum, album, conſiſtens, inodorum adeoque laudabile, per montem Veneris, ſive pubis verticem, absque tuberculo & ulla cutis, quoad colorem vel molem, mutatione, prorumperet, poſt cujus effluxum tumor circa medium extemplo concidit, ſimulque ægra tam in latus decumbere, quam corpus aſſidendo erigere potuit, & ita ingens, febri & ſiti diſcedente, ciborum vero adpetitu & placido ſomno redeunte, ſalutis ſpes adfulſit, donec continuo, parciori licet in dies, puris profluvio per aperturam, vix piſum majuſculum æquantem, ureterum tamen inſtar dextrorſum & ſiniſtrorſum altius penetrantem, ut immiſſo ſtylo factisque exploravi injectionibus, ſuperſtes adhuc in circumferentia tumoris ſenſim evaneſceret durities, ulcusque, exhauſto puris fonte, ſub initium Novembris conſolidaretur. Trimeſtri abhinc temporis ſpatio, corpore refecto, menſes comparentes, & in ordinem redeuntes, certi reſtitantis fœcunditatis fuerant, ut paulo poſt exponemus, præcones.

Hæc eſt genuina totius morbi & rei geſtæ Hiſtoria, quæ etiam litem de ſede hujus apoſtematis dirimere & componere poteſt, In quæſtionem namque merito cadit: Utrum puris ſcaturigo interius in utero, vel potius exterius, in muſculis nempe & integumentis abdominalibus, fuerit. Poſteriori ſententiæ patrocinatur major longe abſceſſuum horum præ internis frequentia, facilior eorum proventus, concurrens in caſu præſenti ſuppurationis tarditas, & ejusdem ſalutaris, absque ſterilitate, decurſus, cui, ne quid diſſimulem,

 ego

ego etiam ipſe ſubſcriberem, niſi id locus & forma tumoris, nec non conjuncta ſymptomatum atrocitas diſſuaderent. Quamvis enim locus nihil determinet, ſiquidem etiam prominentes & elevati in regione umbilicali enaſcuntur abſceſſus, extra controverſiam tamen res venit, ſi forma tumoris, utero ſoli propria, ſimul concurrat, ſiquidem externi tumores non illius, ſed muſculorum, intra quos conſiſtunt, formam exprimunt, & juxta eorundem ductum & ſitum configurantur, cutimque ſuperpoſitam præterea ita undiquaque extendunt, ut digitis comprehenſa, a ſubjecto tumore avelli & attolli nequeat, quæ renitentia, ſi forte abſceſſus inter abdominis cutim & muſculos, in membrana ſcilicet adipoſa, hæreat, eo manifeſtior erit; quorſum etiam accedit, quod tumor hic illico a partu comparuerit, qui tam repentina metaſtaſi, in ſuperficie abdominis nequaquam produci potuiſſet. Convictus autem penitus ſum, uterum ſub hac imagine protuberaſſe, poſtquam eadem fœmina hoc ipſo anno 1746. ſexta Februarii a recenti duplicati, & cum natibus prodeuntis fœtus laborioſo partu, ſimillimum quoad omnia, ſed citra febrem & eximium dolorem, ob tempeſtive adhibitam convenientem ſtatim medelam, in hypogaſtrio iterum obortum mihi monſtravit tumorem: Cutis enim eundem ambiens contracta jam & in rugas complicata, omnem externi infarctus removebat ſuſpicionem, qui non niſi poſt triduum, reſtitutis per remedia, ex ariſtolochia parata, lochiis, ſolvi incepit, donec tandem liberali eorundem ſuccedente profluvio diſpareret prorſus. Figura interim hæc tumoris, non omnibus promiſcue inflammationibus uterinis communis eſt: Si enim ea eryſipelatodes potius, quam phlegmonodes fuerit, vel non ita fundum, quam latera potius aut cervicem ejusdem, idque longius demum a partu, occupaverit, ut loco, ita & forma diſſimilis erit, imo interdum examen tactus effugiet, ſoloque carbonis candentis,

tis, vel ut ſenex noſter exprimit, *ignis ſenſu* ſe prodet; multo minus autem, ſignum illius conſtituit pathognomonicum, quoniam lochia in uteri fundo reſtitantia parem fere protuberantiam excitant, eo tamen cum diſcrimine, quod ponderis quidem gravioris, ſed non exquiſitum adeo doloris & ardoris ſenſum, idque citra febrim, niſi putreſcens ſanguis inflammationem provocet, pariant: Hinc turpiter ſe dedit Medicorum non nemo, dum figura hac tumoris deceptus, reſtitans ſanguinis in utero cavo accuſaret coagulum, Hydropemque hinc uterinum, epilepſiam, ipſamque imminere, prædiceret mortem. Febres cæterum & dolores nunquam in abſceſſibus abdominalibus æque ac in viſceralibus ferocire, præter experientiam jam GALENUS teſtatus eſt, imo Præceptor ipſe docuit, dum dolores ad ventrem ſublimes leviores, non ſublimes vero vehementiores eſſe *Sect. VI. Aph. 7.* obſervat.

Tarditas autem ſuppurationis uterum nequaquam excuſat; quamvis enim ejusdem inflammationes, abdominalibus celerius matureſcere rationi conveniens ſit, ſiquidem in loco uberiori ſanguine irriguo, adeoque calidiori, ſedem ſuam habent, differentia tamen hæc, nec perpetua, nec tanta eſt, ut diſcernendo ſufficiat morbi foco. Accedit, quod utraque inflammatio inæqualibus temporum ſpatiis, pro morbi magnitudine, naturarum, ætatis, temporis, climatis & victus ratione, inprimis vero ſuppurationis initio, (quod febris, noviſſime cum augmento dolorum, & intercurrentibus absque cauſa manifeſta vagis & inordinatis horripilationibus, exardeſcens, denunciat,) metaptoſin in apoſtema conſequatur, quo maturius enim illud incidit, eo celerius hoc intra primos dies vicenos abſolvitur. Ita quamvis ægrota hæc, prima dierum criticorum periodo absque reſolutione tumoris transacta, opinionem ſuppurationis feciſſet, cum in hanc quasvis inflammationes, manente febre, ab hinc ceu

termino extremo vergere HIPPOCRATIS catholicum ſit theorema; pepaſmi puris tamen principium, cum non niſi circa tertiæ periodi finem, quintam nempe Septembris, ut ex præmiſſis colligo indiciis, accederet, conſummatio quoque ejusdem protelata fuit, ſiquidem febres, quo magis ſeneſcunt, eo magis etiam in motu, qui omnis mutationis criticæ parens eſt, ſegneſcunt. Proinde etiam ruptura ſuppurati tumoris a maturitate ejusdem dependet, quam partim miteſcens febris inquietudo diurna, noctu vero, cum levi circa cervicem & claviculas ſudore recrudeſcens, partim acerbo dolori, cum reſpectiva tumoris mollitie & doloris imminutione, ſuccedens demonſtrat gravitas; pus enim non niſi pepaſmo mobile redditum exitum adfectat, quem, ſi naturæ imperio res geritur, intra triduum, vel etiam quam longiſſime ſeptem dierum ſpatio nanciſcitur, idcirco ea etiam in 27mam menſis, morbi ſcilicet diem 81. dilata eſt, cujus præcurſorius index fuerant dolorum, dum pus viam ſibi per peritonæum & membranam muſculoſam faceret, renovata tormenta. Et hancce temporis menſuram Præceptor tumoribus, circa ventrem exiſtentibus, attribuiſſe videtur, dum eosdem æque ac præcordiales poſt 60. dies, perſiſtente febre, in ſuppurationem tendere, ſed minus his ſuppurari, minimum vero, qui ſub umbilico conſtituuntur, *281. Coac.* adſeveravit, quod non tam de impotentia ſuppurandi, quam potius ejusdem tarditate accipi debet. Illud enim ut experientiæ contrarium, ita a mente illius alieniſſimum eſſet, cum uteri tubercula pus concipere paſſim doceat. De abditis vero in infimo ventre viſcerum hic agi tumoribus, illud argumento eſt, quod hos cum hypochondriorum tumoribus conferat, quorum tamen nomine non ſuperficiales, ſed illis ſubſtratorum viſcerum internos per metonymiam tumores intelligit, his enim, minime vero illis ſolenne eſt, aut citam in principio, ut exponit, mortem adferre,

aut

aut hæmorrhagia exſolvi, quamvis eadem prænotio protuberantibus quoque accommodari poſſit tumoribus, ſiquidem eadem fere temporis intercapedine in pus tranſire conſueverint.

Adparens porro ſuppurationis difficultas facile ſuperabitur, ſi in animum revocemus, uteros non ſaltem prægnantes, ſed recenter etiam a puerperio vacuos, umbilico conterminos eſſe, ſi vel propter fibrarum ſuarum dyſtocia peſſumdatam contractilitatem tardius ſe colligant, vel inflammationis ſub parturiendi laboribus, ceu ex contuſione quadam interventu, (cui fundus ejusdem præ corpore reliquo, tam propter copioſum ſanguinis ibidem tranſitum, quam & ſecundinæ avulſionem, obnoxius eſt,) earum contractio impediatur: in hoc namque ſitu prout cum proxime ambiente conglutinari poteſt peritonæo, ita per aliquam hypogaſtricam vel umbilicalem regionem, in quam ſcilicet, per interſtitia muſculorum pus cuniculatim proſerpit, ad inſtar abſceſſuum externorum comode ſatis expurgari valet, quemadmodum etiam ejusmodi adunationis beneficio purulenta materia hepatis per hypochondrium dextrum vel umbilicum, renum per lumbos, inteſtinorum per inguina, meſenterii per hypogaſtrium, foras erumpere interdum obſervamus.

Nec vita denique cum fœcunditate ſuperſtes, uterum a reatu abſolvit: Quamvis enim ejusdem apoſtemata plus ſemper, quam abdominis, alant periculi, promiſcue tamen non ſunt funeſta, ſed prout hæc aliquando præter morem lethalem, ita illa ſalutarem ſortiuntur eventum, ſiquidem, ſi reſidua illius poſt putreſcentium fœtuum per alterutrum abdominis latus, vel umbilicum, excluſionem, profunda & utrinque patentia ulcera citra ſterilitatis conſequentiam interdum, ut Veterum æque ac Recentiorum exploratum eſt obſervationibus, ſaneſcunt, utique idcirco ſuperficialibus & abdomen verſus ſaltem hiantibus parem nemo, niſi impru-

dens & hinc impudens, denegabit fortunam, licet ea carior omnino ſit, quoniam mors ſæpe prævertit, ne ſuppuratum aut purulentum ejusmodi tuberculum, deficiente ejusdem cum peritonæo coalitu, in cavum abdominis lethaliter erumpat, quamquam etiam talia non deficiant exempla, ſi modo abſceſſus uteri & abdominis ſollicite a ſe invicem diſtinguantur. Ita quam SCHROECKIUS puerperam, poſt difficillimum in malo ſitu poſiti fœtus partum lochiorumque præmaturam ſuppreſſionem 31. morbi die tuberculum cum fixo dolore durum infra tumidi abdominis umbilicum concepiſſe, & octiduo poſt, facta illius ruptura, copioſum profudiſſe pus, ulcusque intra duos, & quod excedit, menſes, ſalutariter conſolidatum fuiſſe, in *Ephemerid. Nat. Curioſ. Cent. I. Obſ. 98.* ſiſtit, eam non abſceſſu, ut declarat, abdominis, ſed uterino potius laboraſſe, magna eſt præſumptio, ſiquidem inchoata ſuppuratione alvi & veſicæ acceſſit difficultas, quæ in ſuperficiali phlegmone peregrinum, in uterina vero, ſi viſceribus his conterminam regionem ejusdem occupet, familiare, docente inter alios FORESTO, *Lib. XXVIII. Obſ. 42.* in Scholio, eſt ſymptoma, quemadmodum etiam alvi excrementa puri commixta ex ulcere prodierunt, quod non niſi interventu concretionis tuberculi uterini cum peritonæo, & inteſtini portione aliqua fieri potuit, cum ex ſolo tali apoſtemate, cujus diarrhœa torminoſa, cum vomendi conatu prægreſſa, juſtam facit ſuſpicionem, tam dives & diuturna puris ſcaturigo vix derivari poſſit. Abdominale vero ejusmodi apoſtema, intra peritonæum forte & muſculos conſiſtens, coaleſcendo cum inteſtinorum aliquo, concepti puris acrimonia canalem eorundem perforaſſe nullam veri ſpeciem habet, partim quod pus tempeſtive ſatis foras eruperit, partim quod nihil illius per alvum ſeceſſerit. Juvenculam quoque in *Actis Medicor. Berolinenſ. Dec. II. Vol. VIII. Art. 3.* tribus a partu exactis menſibus uterinum apo-

ſtema

ſtema per umbilicum, citra vitæ, ſed non fœcunditatis jacturam expurgaſſe, ſatis evidens ex eo eſt, quoniam ſimul notatur violentam ſecundinæ, in duas partes dilaceratæ, avulſionem, ceu manifeſtam inflammationis uterinæ cauſam, cum credibili lochiorum defectu, (relatio enim nullam horum mentionem injicit,) præceſſiſſe. Ratio vero quæ additur, cur ulceri huic nullam cum utero interceſſiſſe communionem, ſed puris ſcatebram ſolam abdominis fuiſſe ſuperficiem adſtruatur, quoniam ſcilicet nihil quicquam illius per ipſum etiam uterum profluxerit, inſufficiens, imo nulla eſt, ſiquidem prout purulenta materia, ſi in ejusdem fundum erumpat, per ſolam expurgatur vaginam, ita quoque, facta eidem per uteri cum abdomine coalitum foras via, nulla eſt neceſſitas, ut illud ſimul per uterum prodeat.

Ne vero ratiocinatione tantum pugnare videar, ad PREUSSII provoco experientiam, qui propriæ uxoris extiſpicio reſiduum a parturitione ultra biduum laborioſiſſima lochiorumque per incautum refrigerium cohibitione, ſub umbilico & hypogaſtrii integumentis duriuſculum, pyrumque ſatis magnum referentem tumorem, ipſius uteri fuiſſe, eundemque ſub febri inflammatoria ſummitate ſua umbilico adnatum, purulentum & fœtidiſſimum per hunc eructaſſe, donec conſolidaretur, ichorem, comperit, imo concepiſſe eam ab hinc, ſiquidem cauſaria licet pluribus ſupervixerit annis, in *Ephemerid. Nat. Curioſ. Dec. III. Ann. V. obſ. 226.* refert.

Omnem ceterum Medicinæ adparatum, quem longa hæc invaletudo & officioſitas extorſerat, recenſere conſulto neglexi, quum magna illius pars defenſionis tantum, ne dicam expectationis, juxta Harvæanam elocutionem, remedia fuerint, quæ ſcire nihil intereſt. Sacramentorum equidem ordo, ſi cum *Molierio*, celebri quondam Gallorum Comico, ridendo verum dicere liceat, phlebotomiam, poſtquam

clyſter

clyſter injectus ægraque purgata fuerat, exegiſſet, quam tamen ceu intempeſtivam propter tardiorem morbi ſuſceptam curam repudiavi, præcipue cum hujates puerperæ ſanguinem mittere piaculum eſſe credant.

(*Eperieſo Halam miſſa, d. 10. Apr. 1746.*)

OBSERVATIO LXXXVIII.

Dn. D. JOANN. JACOBI RITTERI.

De

Fœtu altero exomphalodæo virili.

§. I.

Cramben bis coctam Illuſtri Societati offerre crederem, ſiquidem jam in *Volumine VI. horum Actorum pag. 43.* ſimilem obſervationem inſerui; niſi me deſiderium veritates phyſiologicas magis eruendi & ſolido ſtabiliendi pede, ſcilicet experientia & ratione, & dubia tam orbi philoſophico in genere, quam medico in ſpecie enodanda propoſita, excuſarent. Ubertas ſimilium obſervationum tandem ad certitudinem ducit, commentaque delet. Recenſentur tamen ſimiles caſus in *Transact. Philoſoph. Num. 422.* a RUYSCHIO *Obſerv. 72. & 73.* STALPARTO *van der* WIEL, *loco Vol. VI. cit.* a BLONDELLO, *Diſſertation phyſique ſur la force de l'imagination des femmes groſſes, 1739. p. 93.* In hiſce *Ephemeridibus*, niſi me tituli fallant, *Dec. I. Ann. III. Obſerv. 173. p. 166. Dec. I. Ann. VI. & VII. Obſerv. 232. p. 341. Commentar. Societat. Reg. Pariſ. 1716. p. 178. Et Batav. 8vo,* ſed non tanta copia, ac ſi agmen eorum augere nefas eſſet.

§. II. Eſt autem ſequens, quam iterum communicare placet, obſervatio: Mulier 38. circiter annorum, menſe graviditatis ſexto humi cecidit in abdomen. Paucis poſt diebus corri-

corripitur doloribus, ſubſecuto mox partu, qui ob ſitum præternaturalem, doloribus tunc etiam ceſſantibus, pedibus extrahebatur mortuus. Obſtetrix, cum abdomen ejus inſolitæ molis obſervaret, mihi fœtum perluſtrandum attulit. Exomphalon obſervabam, multum cum eo, quem ante decennium ſecueram, convenientem. Saccus aderat albidus, ex tunica externa funiculi umbilicalis formatus, hepar integrum, portionem duodeni, jejunum ileique partem continens. Apertura ſacci erat in hiatu umbilicali diametri 8. linearum, margo ejus ſenſim tenuior terminum ſiſtebat viſibilem finis incrementi cutis, ita ut apertura ſacci potius ex defectu, quam vera fiſſura ejus orta mihi videretur. Funiculus umbilicalis obſtetricis incuria prope hiatum dilaceratus abruptusque, ita ut ejus introitum num ad dextrum, num ſiniſtrum latus factus ſit? conſpicere haud licuerit.

§. III. Saccum ſolum aperui, inteſtina detexi, hiatum ad duas lineas pubem verſus incidi, ulterius progredi nolens, quia totum fœtum ſpiritu vini aſſervandum conſtitueram. Recenſebo itaque ea, quæ aſpiciendo molem hepatis, inteſtina, &c. in mentem venere cogitata. An vera, erronea, vel falſa? judicabunt Illuſtris Academiæ Collegæ æquiſſimi.

§. IV. Hepar in ſacco extra abdomen pendulum erat, aperturam hiatus plane obtegens, mediante ligamento ſuſpenſorio ſolito breviori cartilagini Xyphoideæ & diaphragmati adnexum. Figura ejus elliptica; ſuperficies major, ſeu ſuperior convexa, a dextro hypochondrio ad ſiniſtrum erat pollicum trium. Altera minor, ſeu a cartilagine Xyphoidea ad regionem pubis poll. duo cum lineis quinque (pedis Francofurt. ad Mœnum) ejusdem cum abdomine altitudinis. Nulla diſtinctio inter lobum majorem ac minorem. Ambo quaſi in unam maſſam coaliti. Par ratio lobuli Spigelii. Veſicula fellea, in medio ſita, figuræ naturalis, & pro ratione

 molis

molis hepatis, etiam major, bile turgida erat. Cui uſui bilis in tenello? an jam præparata adſervatur uſui futuro? an adeſt, ne quid perfectioni fœtus decederet?

§. V. Os vacuum. Labia ſicca, ægre divellibilia. Ventriculus ſcalpello apertus, nil præter liquoris gaſtrici viſcidi, albumini conquaſſato ovi ſimilis, guttas duas circiter continebat. Duodenum, jejunum, ileon, flatu ſolo turgebant. Colon & cœcum integrum cum recto, meconio coloris ſaturate virentis repleta erant, ex ano ſponte profluente. Opinioni quorundam Eruditorum, qui originem meconii a tranſpiratione impedita & inde facta in inteſtina reſorptione deducunt, ideo aſſenſus mihi quodammodo invitus, quia nullam video rationem, cur in modo recenſita potius, quam alia illud deferatur inteſtina? Nonne potius ex inteſtinis tenuibus ab arteriis meſaraicis ibi tranſcolatum, inde ad hæc delatum videatur? An quantitas meconii pro ratione menſium creſcat? ita ut termino novimeſtri totus inteſtinorum tractus impleatur, ſtimulo ſuo fœtum ad motum & inde ad partum urgens, juxta ſententiam BOERHAAVII *Inſtit.* §. *685*. Ut hoc enodaretur, inquirendum eſſet: I. Num meconium, pro ratione moræ fœtus in utero, in inteſtinis augeatur? II. An meconium per os (uti STALPART *van der* WIEL. *Centur. Poſth. Part. I. in notis ad Obſ. XXXII. p. m. 335. ſeqq.* cum ibi citatis auctoribus contendit,) aut a liquore gaſtrico, arteriis coronariis adlato, ſeparato, cum bile in duodeno dein remixto, in inteſtina feratur? III. An bilis hepatica ſemper fluens, in inteſtinis coacervata, fiat meconium? Color, conſiſtentia, acor & effectus bili communes id probare videntur. IV. An color ejus ex hac mixtura, aut tractu temporis ortus? V. An tenacitas ejus moræ in inteſtinis effectus?

§. VI. Peripheria abdominis, ſacco hepateque remotis, erat 6. pollic. Hepatis vero etiam 6. pollic. Comparatio

tio harum partium inſtituta ſiſtit: Volumen hepatis æquale fuiſſe volumini abdominis, inteſtina meconio repleta, lienem & ventriculum continentis. Cum in fœtu hepar, probabiliter æque ac in adulto, ſit trigeſima quinta pars totius corporis, HALLER *Comment. in* BOERHAAV. *Inſtitut. Vol. I. p. 354.* (*n. 22.*); Hepar ab initio in corpore deliteſcere nequivit, alias volumen abdominis duplo majus fuiſſet naturali.

§. VII. Diameter hiatus umbilicalis erat (uti jam §. II. dictum) octo linearum duodecimalium. Eſt itaque ad arcum ſuperficiei ſuperiorem hepatis, uti 1. ad 4½. (§. IV.) adeoque nulla vi per hunc protrudi potuit; aut ſi protruſio poſſibilis fuiſſet, hiatus aut dilatandus, aut hepar comprimendum fuiſſet. Neutrum vero cum factum ſit, mihi inde videtur verum aſſertum: Nulla vi protruſum fuiſſe Hepar.

§. VIII. Maxime veroſimile mihi videtur, fœtum hunc exomphalodem jam in primis ſtaminibus formatum extitiſſe. Si auctoritas valet huic ſententiæ addere pondus, ſtant pro me duo Viri, quorum acumen & ſcientiam totus novit litteratus orbis. Unus eſt Illuſtr. HALLER, in binis Diſſertationibus, prima *de monſtro bicipiti, Hannov. 1739.* ſecunda ejusdem argumenti, Göttingæ 1742. editis. Alter eſt WINSLOIVIUS *in Commentar. Soc. Reg. Pariſ.* Anno (ni fallor,) 1739. Ambo hi luculenter exponunt: Monſtra & fœtus præternaturales nec caſui, nec imaginationi, nec coalitui ovulorum, aut alii qualicunque cauſæ, ſed configurationi primordiali ortum debere. Fœtus noſter hanc ſententiam potius vindicare, quam deſtruere videtur. Modo adducta opinio, ut & exiſtentia fœtuum monſtris adfinium, imo monſtrorum, ſententiam quorundam celebrium Medicorum: *Animam eſſe opificem corporis ſui*, ſubvertere videtur. Cur anima corpus ædificaret difforme? ob ſtructuram ejus ſingula-

gularem interitui pronius reliquis? cum ei ſit facultas corpus juxta regulas eurythmiæ & ſymmetriæ conſtruendi.

§. IX. Hepar crevit majorem in molem extra corpus, quam intra (§. VI.). Intra cutem cum reliquis viſceribus coërcitum, rationem ejus ad reliquum corpus (§. cit.) vidimus. Crevit itaque ob reſiſtentiæ defectum, quem intra corpus, ſuperius a diaphragmate; a latere dextro a muſculis obliquis; a latere ſiniſtro, ventriculo; ab inferiore parte, inteſtinis paſſum fuiſſet.

§. X. Si veritati: Molem hepatis in fœtu noſtro voluminis abdominis æqualem fuiſſe (§. VI.), ſequentes hypotheſes ſuperſtruamus, quas citra errorem tamdiu ſtabilire poſſumus, donec obſervandi occaſio aut errorem earum detexerit, aut detectum correxerit. Scilicet I. Moles hepatis noſtri præternaturalis, eſt ad naturalem uti 6. ad 1. II. Abdomen fœtus 6. menſium eſt ad abdomen adulti, ſeu annorum 24. uti 1. ad 12.: hinc. ſequeretur, ſi fœtus noſter ad hunc terminum perveniſſet & hepar uniformiter creviſſet, molem talis hepatis ſuperaſſe naturalem hepatis molem $6\frac{1}{2}$. vicibus. En ſchema calculi: Aſſumo citra notabilem errorem, abdomen eſſe tertiam partem totius corporis. Si hepar ergo ad totum corpus uti 1. ad 35. (HALLER *l. c.*) erit hepar ad abdomen uti 1: $\frac{35}{3}$ :: I: II. circiter. Itaque hepar naturale eſt $= \frac{1}{11}$ abdominis. Hepar præternaturale vero $= 6 \times \frac{1}{11} = \frac{6}{11}$ abdominis. Abdomen fœtus ſex menſium eſt ad abdomen adulti 24. annorum (per hypotheſ. 2dam) uti 1. ad 12. Ergo abdomen hujus fœtus eſt $= \frac{1}{12}$ abdomini adulti. Subſtituendo loco abdominis hepar præternaturale, erit hepar præternaturale adulti $= \frac{6}{11} \times 12 = \frac{72}{11} = 6\frac{1}{2}$ vicibus majus naturali. Quanta moles! Quantum pondus! Quanta bilis!

§. XI. Quæritur 1. Num partibus abdominis limites molis præſcripti ſint nec ne? quos transgredi ipſis nefas? 2. Num

2. Num omnes corporis partes iisdem incrementi legibus ſint ſubjectæ, aut quædam excipiantur illis? In noſtro caſu hepar hiſce legibus exceptum videtur. 3. Num proportio & limites partium unice a preſſione cutis, aut reliquarum partium adjacentium conjuncta, dependeat? Prius mihi videtur veroſimilius. Eſt itaque cutis finis primarius, ut coerceat internas corporis partes, ne extra juſtam molem creſcant.

§. XII. Omenti nullum veſtigium. Conſentit prior obſervatio l. c.

§. XIII. Hepar extra abdomen pendebat (§. IV.) Hiatus umbilicalis nondum clauſus erat. (§. XII.) Reliqua viſcera, uti ventriculus, lien, inteſtina, jam formata aderant, antequam hiatus clauderetur. Cutis itaque ultimo perficitur. Inteſtina ab initio nuda jacent, id quod nuperrime in fœtu 6. ſeptimanarum abortivo obſervavi. Conſentientem mecum habeo HARVEUM, *Exercit. XXVI.* Ob penuriam librorum MALPIGHIUM evolvere non licuit. Hinc 1. inteſtina, lien, ante cutem muſculosque abdominales anteriores formantur. 2. Muſculorum abdominalium cutisque incrementum per circularem adpoſitionem fit. 3. Incrementum hoc ceſſat, quando corpus peregrinum, aut naturale, aut ſolito majus, ei reſiſtit. 4. Hoc corpus in fœtu exomphalo conſtanti obſervatione ſemper eſt hepar ſolito majus. 5. Ratio molis ejus non in alio, quam in defectu cutis, & propria inde orta atonia quærenda, quæ ſanguini adlato majus conceſſit ſpatium, ſicque ab eo ſolito magis extenſum fuit. 6. Incrementum hepatis eo celerius factum, quo minor reſiſtentia fuit.

§. XIV. Lien etiam ſolito major viſus, coopertus jacebat cute. Sententia Illuſtr. HALLERI denuo mihi confirmata videtur: Molem lienis ſequi utplurimum hepatis molem, ob æquilibrium conſervandum. Moles in ſtatu natu-

rali juxta naturam vectis heterodromi eo minor, quo magis ab hypomochlio diſtat. Corpus noſtrum itaque juxta leges mechanicas conſtructum eſt. Haud dubie in majorem accreviſſet molem; forte hepati proportionatam? ſi ei copia ſpatii, ut & reſiſtentiæ defectus, uti hepati, fuiſſent?

§. XV. Si fœtus vixiſſet, ex defectu muſculorum rectorum motus periſtalticus aut minimus, aut plane nullus fuiſſet. Itaque ſecunda concoctio nulla, tota nutritio imperfecta, vitaque brevis fuiſſent. Anne igitur muſculi hi adeo neceſſarii ad vitam? Cum natura hoc in caſu iis ſuperſederit. Motus periſtalticus fit depreſſione diaphragmatis, renitentia muſculorum abdominalium alterna. Si fœtus lucem attigiſſet, reſpiratione inteſtina in ſaccum reſiſtere non valentem protruſa fuiſſent. Circulus ſanguinis inde turbatus, inteſtina aëris acceſſui expoſita, multa mala, imo ipſa mors inde orta. Cur itaque fœtus exomphalos rariſſime vivus, ſæpiſſime, uti mihi hucusque conſtanter videre contigit, mortuus in lucem editur? patet. Vivit in utero: verum; ſed absque reſpiratione. Inteſtina ibi nullam mutationem patiuntur.

§. XVI. Videtur denique eſſe fœtui non nato & nato quasdam leges vivendi communes & peculiares præſcriptas. Lex communis utrique eſt circulatio ſanguinis & nutritio. Leges peculiares fœtui non nato ſunt formatio, nutritio partium; fœtui nato reſpiratio. Harum aliæ ſunt fœtui in utero viventi, aliæ in lucem edito. Prior non tantis opus habet adminiculis ac poſterior. Singulæ videntur abſolute neceſſariæ diverſo fœtus ſtatui, nec ab uno ad alterum adplicabiles; v. gr. leges vivendi fœtus in lucem editi non conveniunt fœtui utero incluſo. Illius actiones vitales dependent a reſpiratione, hujus vero minime; imo reſpiratio ei lethifera eſſet. E contrario leges peculiares fœtus non nati haud applicabiles ſunt nato.

Latiſ-

Latiſſimus hic ſe mihi aperiret, veritates phyſiologicas perluſtrandi, campus; ſed pedem in limine figo, ne limites mihi præſcriptos transgrediar, aliisque obſervationibus ponderoſioribus ſpatium præripiam. Plura cupiens circa hanc materiam evolvat Illuſtris ac Excellentiſſ. D. TREWII egregium *Tr. de differentiis quibusdam inter hominem natum & naſcendum intercedentibus. 4. Norimberg. 1736.*

(Lauterbaco Riedeſeliæ Halam miſſa, d. 20. April 1746.)

OBSERVATIO LXXXIX.

Dn. D. JO. BALTHASAR EHRHART.

Anatome iſchuria defuncti, ob molam veſicæ caudatam, cauda ſphincterem ac urethræ partem obturante.

Servus agriculturæ dicatus, cœlebs, pene ſexagenarius, temperamenti phlegmatico-ſanguinei, jam per aliquot annos rude donatus victuque Hoſpitalenſi gaudens, ſpiritus vini vel frumenti ſimul amans, ut ſæpe per ſingulas horas ejus tantillum ſorbillaret, in juventute exſectionem ſiniſtri teſticuli paſſus, ob ſarcoceles pertinacioris moleſtiorisque periculum; de reliquo interim ſat bene valens, per totum fere alterum ſemeſtre anni 1739. mictu cruento cum ſtranguria complicato duriſſime adfligitur, ut medica æque ac empirica plura ſollicitaret remedia. Nec enim ſive impatientiori, ſive jugi dolorum tortura per plures menſes vexato, ab iis, quibus poteſtas data, denegabatur, ut remedia quæreret, ubicunque vellet. Supervenit denique d. 25 Novembr. iſchuria plenaria repentina. Iterum opera doctiſſimi ordinarii Medici Xenodochii ſollicitata, in ejus, morbo tunc detenti,

tenti, vicem ego ſuccedo, exhibitaque mixtura in iſchuria ſenili, ab obſtructione per craſſiora urinæ contenta inducta, alias probatiſſima, ex oleo amygdal. dulc. vin. malvatic. aqua urtic. Syrup. de Alth. Fernelii, cum paucis guttulis ſpiritus nitri dulcis parata, nihil obtineo, præter dolorum ceſſationem; ſuccedunt pedum œdema, alvi obſtructio, oris ſiccitas, reſpiratio profundior, dormituritio, tandem ſub ſomno alti clamores ſæpe, aut lectorum vellicatio, inque fine ſexti diei ab initio iſchuriæ, mors. Veſicæ regio nunquam inſigniter tumefacta, dura tamen tenſaque apparuit. Fruſtra ergo & alia remedia adhibita, emulſiva, fomenta, clyſteres & ſemel die quarto catheteris applicatio, quocum materies ichoroſo-cruenta extrahebatur, Chirurgus vero ſe eo ad veſicæ cavum perveniſſe autumabat.

In cadavere cultro anatomico ſubjecto ſequentia notabantur: Pinguedo hinc inde ſat copioſa comparebat. Aperto abdomine veſica urinaria ad crepaturam infarcta, libram unam cum dimidia urinæ continebat, exteriori ejus membrana leviter ſauciata, vaſa ſanguifera, ſubjacentia nigra, ſpiſſiſſimo ſanguine repleta cernebantur. Omentum retractum parvum, Inteſtina tenuia ſana, quædam aliis magis rubicunda. Ventriculus vacuus, colon contractum, aut ejusdem fere diametri cum tenuibus inteſtinis. Ren ſiniſter monſtroſus erat & triplo majorem magnitudinem referebat, intus lardiceus comparebat, pelvi ſimul contracta; ureter autem ejus, verſus veſicam amplior, nil urinæ continebat. In dextro rene eadem notabantur, ſed mitiori gradu. Splen valde exiguus, ſemi-orbicularis, denſiſſima ad dimidiam gibbæ partem membrana veſtitus. Veſica demum urinaria leniter compreſſa, quo appareret, quam fortiter ureterum valvulæ reſiſterent, crepuit, violenter ejaculato hinc inde lotio, quod valde pallidum, tenue odorisque expers erat. Chirurgus, rei obſtetriciæ præfectus, Dn. HAILIUS, ex veſica

ſica dein protrahebat maſſulam corculo ſimilem, fere atram, ovalem, nucis juglandis majoris magnitudine, mollem, cuticula tenaci, ut videbatur, obductam, cauda, vel petiolo calami ſcriptorii craſſioris magnitudine donatam, quo abrupto, productior particula in urethræ oſtio, ſphincteri proximo remanſerat. Veſica hinc exſecta ſphincterem relaxatum oſtendebat, proſtatas ſatis tumidas, naturales tamen. Interna veſicæ membrana fere reticulata, columnis applanatis cruciatim creberrime diſcurrentibus obſita erat, in eaque lacunæ aut cryptæ ſemilunares ex protenſioribus hinc inde membranæ particulis formatæ apparebant. Ceterum facies veſicæ interna ſat glabra, nil ſuggillati aut ſphacelati oſtendit, nec totius ſubſtantia, vel membranæ ſimul ſumtæ, craſſitudine inſigniter auctæ erant. Maſſula illa aut mola, pellicula, ut dictum, craſſiuſcula rugoſa tecta, diſſecta, intus ex muco glabro, bruno, ſumme homogeneo, talisque conſiſtentiæ, quæ digitis minime adhærebat, adeoque fere carnoſa videbatur, niſi quod nil fibroſi oſtenderet, conflata deprehendebatur. Hepar externe ſatis ſanum, intus valde nigricans & copioſo cruore ſcatens conſpiciebatur; cyſtis quoque fellea turgida colorisque ex obſcuro citrino virideſcentis erat. In pectore omnia hydropis pectoris indicia aderant ſerumque cruentum, aut lixivioſum copioſum, ejus cavitatem plurimum replebat. Pulmonum dextra pars ſpumæ inſtar inflata gryſeo-nigra, ſiniſtra autem ſphacelata ac inflammata erat. Cordis ſiniſter ventriculus vacuus, dexter & vena cava polypo longo, non ramoſo, craſſo, atro, ex altera parte lardicea membrana tecto, farctus offendebatur. Capitis apertionem, pro luſtrandis lethargi effectibus, urgentiora negotia non permittebant.

Conſectaria medico-practica.

I) Spiritus frumenti abuſus tali ordine effectus ſuos noxios exſerere videtur: Primo concoctio depravatur cum ad-

petitu, ut quo plus bibatur, plus ſitiatur hoc potus genus. Dein ſanguinis maſſa ſpiſſior, calidior, ad particulares ſtagnationes, quæ itidem novi potus appetendi cauſſa ſunt, apta redditur *). Tertio diureſis male afficitur, renales tubuli anguſtantur, parenchyma augeri videtur non ſine peregrina ibi ſubſiſtente terreſtri ac pingui ſubſtantia. Quarto actus compreſſorius ac aſſimilatorius, qui ſanguini per pulmones trajiciendo accidit, varie alteratur; modo enim, & quidem priori ſtatus morboſi periodo, nimis arctus accidit, unde ſeri in ſanguine defectus; dein in poſteriori periodo viribus pulmonis aërisque inſpirati ſuperatis, ſeceſſus ſeri a cruore fit, usque ad extravaſationes emortuales. Quinto etiam cerebrum male plectitur, liquido nerveo modo nimis vappido ac phlegmatico, modo nimis acri ac elaſtico reddito, pro vario, ab aſſumto inebriante potu, tempore, itemque pro varia annorum ſerie, per quos aliquis Baccho ita litavit, non poſthabita, ætatis, ſubjecti, temperamenti, vitæ generis, climatis, temporumque anni, ratione.

II) Ex indicata antecedenti ventriculi a ſpiritu frumenti læſione, ortisque partialibus variis ſtagnationibus & congeſtionibus, liquidique animalis item heterogenea atque œconomiæ animali perquam adverſa craſi, concludere licet, picam illam, ſeu appetitum ſumme depravatum & inordinatum in ſpirituoſorum potuum heluonibus, præter moralia remedia, utique admittere etiam materialia, nec impoſſibilem eſſe curationem picæ vinolentæ, (ſit venia verbo) vel ebrietatis amoris; imo ad contrarium eam perduci poſſe, licet in pertinaciter aſſuetis cum periculo aliud mali. Sed

jure

*) Novi juvenculam huic vitio deditam, fere athleticam, cujus ſanguis per venæſectionem emiſſus vaſculisque exceptus ac per plures horas repoſitus, ne tantillum ſeri ſecedentis monſtrabat, ſed homogeneæ hepatici coloris gelatinæ, ubique ſimilis manſit.

jure ejusmodi ægrotis, vel fato, vel morali correctioni traditis, medicamenta denegantur, & curationes Medicorum aliis potius, ſpem quandam emendationis exhibentibus, deſtinantur.

III) Empiricis contra mictum cruentum adhibitis adſtringentibus & ſedativis, generationi ejusmodi molæ anſa datur facilis, aut jam producti talis concrementi violentæ expulſioni.

IV) Mola dicitur hocce concrementum, non ſanguinis grumus, quia ſolida membrana veſtitum & interna ejus ſubſtantia compacta erat, & aqua fere non diſſolvi poterat; petiolus autem, vel cauda, a ſucceſſiva violenta inſertione, veſicæ detruſoris ac pellentium remediorum ope, formata videbatur. Ipſum vero corpus & ante mortem, imo ante mictum cruentum formatum ſæpiusque veſicæ oſtia & ſphincterem irritaſſe videtur, quum ſtranguria intenſiſſima, nec intercurrentes ſubinde urinæ ſuppreſſiones, ſimul per integrum ſemeſtre ægrum excruciabant.

V) Forte etiam repetita ac violentiori catheteris intruſione, ſphincter veſicæ a molæ obturantis particula liberari potuiſſet. Felicior erat Epocha illa Medicorum antiqua, ubi Pharmacia æque ac chirurgia illorum famulæ erant; nunc dominæ ſunt, ſæpe ſtantes ſuo ingenio ac judicio, ac ſatis deſpoticæ, immo divites, dum Medici mendicant. Sed tranſeat cum cœteris.

VI) Sæpe pitiſſantes, ſæpe mingunt. Veſica urinaria anguſtior redditur, fibræ ſic obdureſcunt, maxime in ſenibus. In tali ergo iſchuria fruſtra inſignis circa pubis regionem tumor expectatur, licet iſchuria fere unice veſicalis fuerit, quod ad deſideratum Semiotices caput, de morborum ſignis diagnoſticis, vel ſpecialiſſime pathognomonicis, ſpectat. Alius generis ſunt illæ iſchuriæ veſicales, ubi veſica non tantum, ſed & ureteres dilatationem longe majorem

admittunt, ita, ut retentæ ac ſimul collectæ urinæ quantitas plures menſuras ſæpe æquaverit.

VII) Splenis ac partium generationi dicatarum conſenſus ſingularis, & hic, ſicut analogam illius cum corporibus cavernoſis membri virilis ſtructuram, ex Anatomia ſolidiſſime oſtendit Celeberr. *du* VERNOI in *Commentar. Acad. Scientiar. Petropolitanæ*, ſimulque ratione uſus lienis, craſi ſanguinis pro liquoris genitalis ex eo ſeparatione aptiori famulantis, ſi recte memini, pulchras deduxit concluſiones.

VIII) Siniſtri renis & hic longe major fuit labes, quam dextri, quia nimirum hic hepatis intenſiori calore fovetur, & blanda ubique arcte adjacentium viſcerum preſſione, nimiæ ejus extenſioni obviam itur; cum e contrario in ſiniſtro hypochondrio, ob ibidem occurrens longe minoris molis viſcus, ſplenem puta, vacuum detur majoris ambitus; nec plane ſpernenda etiam eſt ratio, quod emulgens ſiniſtra, ob altiorem ſitum, ſanguinis affluxui magis pateat. Idem omnino in lithiaſi obſervatur, nimirum dolorifico ſæpius hoc morbo ſiniſtrum renem præ dextro cruciari, quæ res iterum pro ſemioticis demonſtrationibus inſervit. Conf. de eadem Diſſert. egregiam Excell. b. m. SCHULZII, *de Lithiaſi ſiniſtro reni, quam dextro, magis infeſta.*

IX) Obeſitas & in hoc ſubjecto ſatis inſignis, documento eſt, nec ſpiritui vini particulas nutrientes prorſus denegari poſſe. An ergo oleoſum magis vel aptius pinguefaciendi ſubjectum erit gelatinoſo? Mihi ſane videtur, & diætetica auxilia in emaciatis ſic dirigerem, niſi in plerisque ægris ſtatus ventriculi ac inteſtinorum, vaſorum ſcilicet hic bibulorum, vel villorum abſorbentium, pinguibus aſſumtis ſumme contrarius reclamaret.

X) Polypus hic repertus utique ex genere illorum fuit, qui in agone mortis demum producuntur. Æger enim ſupinus moriebatur, & tunica albeſcens, aut fibroſa pallidior

ejus

ejus pars, in polypo conſpicua, ſternum reſpiciebat. Magnas poſt Illuſtr. STAHLIUM, grates debet medicina Italo illi celebertimo *), quod pathologicum ignorantiæ aſylum deſtruxerit, ſingulari ſcripto liquido oſtendens, polypos pro lubitu in cane enecto formari poſſe, & albam membranaceam ejus partem ſuperiora verſus ſpectare, ſi capite, inferiora vero, ſi pedibus ſuſpenderetur. Sed aliter rem ſe habere cum aneuriſmatibus æſtimarem, dum ſtructura eorum evincit, nunquam ea ut fungos unica hora vel nocte naſci poſſe.

XI) Hydrops pectoris, & renum ſtatus p. n. in magnitudine monſtroſa ac ſubſtantia ſcirrhoſa, mala ſunt ſæpius juncta, eorumque ſympathiæ frequentes. Optimo gaudet fundamento Canon Baglivianus: *In morbis pectoris ducendum ad urinam.* Frequentior ac copioſior urina ſenibus ſalutaris. Hydropem pectoris ſæpe patiuntur, ac pœnas luunt frequentiſſimas, qui copia ſpirituoſorum potuum delectantur bibuli ac ebrii.

XII) Molarum virilium per alvum ejectarum ſicque inteſtinalium, haud raro jam facta eſt mentio in hiſce *Ephemeridibus Nat. Curioſ.* Ad hæmorrhoidalia molimina recte referuntur a quibusdam ſyſtematum naturæ amatoribus & fautoribus; ab aliis ad vitia ex conformatione læſa, diſpoſitione hæreditaria, ac obſtructionibus, ut & ſanguinis ſpiſſitudine orta. Haud minor facilitas erit generandarum molarum veſicalium, quæ arefactæ baſes calculorum erunt, utraque ſatis probabili, & ratione & experientia.

*) *Lucam Antonium* PORTIUM Medicum Neapolitanum puto, in Tract. *de militis ſanitate tuenda*, Hag. Com. 1729. edito in Præfat.

OBSERVATIO XC.

Dn. D. JO. BALTHASAR EHRHART.

De

Viſci vulgo querni operandi modo in morbis convulſivis & congeneribus affectibus.

Compluribus procul dubio Medicorum cognita erunt, quæ germanico idiomate, licet Germanorum in ſolo, ſi dedicationi credendum, haud vivens, de viſci illius virtute evulgavit laude digniſſimus Chymico-Medicus, Dn. D. *Dieter.* WESSEL-LINDEN *) de præſtantiſſimis modo dicti illius ſimplicis diu jam cogniti, ſed alio, quam vulgari pharmacopœorum modo præparandi, viribus. Legimus vero ſimul in Illuſtris ac prorſus incomparabilis Botanici Opere, viſcum hunc odore nauſeoſum, narcoticum & ſapore adſtringentem, ſuſpectum reddi, ut idcirco inter remedia minus ſecura numerandus ſit potius, aut jactatis viribus contra Epilepſiam non multum tribuendum. Res quidem externa facie veri ſpeciem præ ſe ferre videtur, quia etiam opii partes conſtituentes viſcoſæ dicuntur & graveolentes; quibus fere omnis ſtupefaciens ejus vis abſolvatur. Quis autem viſcoſum in viſco negabit. Adſit! modo alterum deſit quem enim gelatina Cornu Cervi, hordei, avenæ, altheæ, malvæ, gummi Arabici, tragacanthi, ſeminis cydoniorum &c. viſcoſa omnia, ſed maximarum in morbis virium, fugiunt. De narcotico odore vero quomodo diſputabimus, ſi etiam de ſaporibus diſputare juxta proverbium difficile ſit? Ad ſummum, fruticis viſci, ceu rami aurei Virgilii ab arbore rapti, nari-

*) *In denen Chymiſchen Anmerckungen vom Urſprung der mineraliſchen Waſſer &c. und von der Krafft der Miſtel &c. Amſterd. 1746. 8vo.*

naribusque admoti odor, mihi aliisque ſambuci teneris ramulis ſimile quid ſpirare videbatur: ſed ne opii quidem ſimilitudinis cum odore vere narcoticorum, hyoſcyami, ſtrammonii, papaveris hortenſ. belladonnæ, Peti, &c. præ ſe ferre. Imo ſi vel accederet his, cum HELMONTIO, ubi virus, ibi virtus, inferrem. Sed non opus eſt paradoxorum Præceptore ad defenſionem uti. Cauſſa viſci gaudet melioribus fundamentis. Palmarium eſt, quod, terendo viſco in pulverem ſubtiliſſimum operam impendentibus, errhina ejus vis inſignis obviam fiat, ut hucusque non in gravedine catarrhali tantum, ſed & in ſymptomatica illa varioloſorum, (qua ſublata & muci fluxu promoto mala omnia oculis talium ægrotantium imminentia, heu quam triſtia ſæpe! egregie fugantur) pulvere viſci loco errhini pulveris crebro utar, & idcirco viſcum non immerito magnum DEI donum vocare ſoleo. Jam vero quomodo reſolvens aliquid & excretionem mucoſam promovens tale eſſe poterit, quod in narcoticorum claſſem relegandum ſit? Perit ſic & labes affricta facultatis in pulvere viſci adſtringentis.

Addo nunc alterum defenſionis momentum, quod inter viginti ægros, quibus pulverem ac decoctum viſci exhibueram, ſingulos accurate examinans, nullus de alvo adſtricta conqueſtus, aliqui vero, uti S. R. D. P. CARTHUSIANUS, cacochymicus, vertiginoſus, arthritide anomala Musgravii, cum catarrhoſis capitis affectibus & atonia generis nervoſi laborans, de effectu pulveris & decocti viſcini blandiſſime alvum ſubducente teſtati fuerint, quemadmodum etiam hactenus nullum facile errhinum notum eſt, quod alvum adſtringat.

Tertium argumentum ſapor foliorum viſci præbebit, qui primo pulpoſus, farinaceus, nucleis pruniferi alicujus ſtirpis ſimilis, dein ſalſus, blande acris eſt, ad inſtar Arnicæ, & pharyngem humore aliquo irrigare videtur, ex vaſcu-

cu-

culis exhalantibus prolecto, ſicut ſupra dictum, quod etiam circa nares id fiat: Baccæ recentes quidem toto cœlo differentem monſtrant ſaporem, ſuaviter dulcem, conjuncto ſimul glutine tenaciſſimo; ſed illæ vix vigeſimam pulveris antepileptici novi partem conſtituunt. A NEANDRO quondam baccæ inter venena relatæ fuerunt, ſed non niſi abuſive eodemque modo, quo panis quædam ſpecies, quæ *ſpira quadrageſimalis* audit, nimia copia comeſta, cuidam iliacam concitavit paſſionem. Removet vero & a baccis narcoſeos ſuſpicionem, odor fragrans abietinus quaſi, quem illæ, ſimul cum caule, ne ſuccus exprimatur, decerptæ, ac ſic blandiſſime exſiccatæ, ut quoad plurimam partem ſphæricam ſervent figuram, manifeſte ſpirant. Contuſis vero iisdem, mox aliud exſurgit odoris genus. Hic ergo & Phyſici diſcant, non a ſulphureis tantum particulis, ſed a textura earum ac determinata interpoſitione, imperſcrutabiles ac nullo calamo ſatis deſcribendas odorum exſurgere varietates.

Quartum argumentum pro innocentia viſci, & narcoſeos in eo abſentia præbebit, quod miſeri ægrotantes non a convulſionibus tantum, ſed a mentis ſtupiditate ac fatuitatis periculo, quæ longius durantium epilepticorum motuum comites ſunt, liberentur. Quintum denique erit, quod ſub uſu hujus decantati medicamenti in pulvere & decocto, (ſed menſe Decembri vel circa hoc tempus, ſique non a quercu, tamen e pyro amputatis) ut ſupra dictum, non alvus tantum expediatur, ſed quibusdam ſudor particularis per manus & ſub axillis, omnibus fere urina turbida & mucilaginoſa proliciatur.

Judicis æqui ergo in cauſſa Viſci ſententia erit, agere divinum hocce remedium, cui ante duo annorum millia Druidæ, primi Germaniæ Medici & ſacerdotes, aras ſtatuerunt, particulis viſcidis tenaciſſimis, bilis agiliſſimas partes, juxta Illuſtr. HAMBERGERI hypotheſin, in vincula ac retia

trahen-

trahentibus, ſcybalisque magnetice impactis foras amandantibus, dum interim ſubtiliores ſalſæ aromaticæ particulæ ſpiſſitudinem humorum corrigunt, & impuritates craſſiores per renes vel ſudorem eliminant, aliæ vero fragrantes, ſpaſmos nervoſi generis demulcent. Expertus teſtor, in pluribus effectus ab Illuſtri COLBATCHIO Anglo commendatos, voto reſpondere, ſed præmiſſis præmittendis, quæ inter optima deprehendi pulverem antiſpaſmodicum & pilulas roborantes, juxta Diſſertationem Celeberrimi Dn. D. JUNCKERI exhibita.

(*Memminga Halam miſſæ d. 17. Jun. 1746.*)

OBSERVATIO XCI.

Dn. D. GEORG. CHRISTIANI MATERNI de CILANO.

De

Tumore in regione iliaca dextra ſponte exorto, & per repetitos vomitus puris curato.

In ruſtico Holſato, duris laboribus adſueto, ætatis conſiſtentis, (veros ætatis annos ignorabat ipſe) ſine ullis cognitis cauſſis procatarcticis, oritur tumor durus in regione iliaca dextra, tres digitos altus & ſex latus. Adhibui equidem diſcutientia ſicca, ſed ſine effectu ſperato. Durante medicationis tempore, ruſticus tenetur domi, non tamen lecto affixus; gradiri autem non valebat, niſi claudicans & cum dolore: Poſt hebdomadas quinque, cum incaſſum adhibitum fuiſſet diſcuſſionis tentamen, ad emollientia tandem ventum eſt, quæ cataplaſmatum humidorum calentium forma adplicata ſunt, diebus decem. Tumorem ita ſatis emollitum, bene maturatum ac inciſioni aptum viſum, ape-

riri juſſi Chirurgum, me adſtante. Dum itaque is cultellum arripit & patellam adferri curat, ruſticus, neſcio an metu quodam perculſus, aut alia re commotus, ſubito de cardialgia conqueritur & anxietate, ad lipothymiam propius accedente, quam illico excepit vomitus, quo puris bene cocti excretæ ſunt *unciæ decem & drachmæ quinque cum ſemiſſe*; tumor vero in iliaca regione prorſus diſparuit. At poſt dies quinque tumor idem paululum ſe attollit, increſcit, ut ſedecim dierum intervallo priorem magnitudinem indeptus ſit, poſt vomitum vero ſecundum, purulentum & ſpontaneum, de novo evanuerit. Ejecit tunc puris bene cocti *uncias duodecim* & paulo plus. Æger interim laſſus & valetudinarius, tempus trivit cum tædio. Triduo poſt vomitum ſecundum dolores ſenſit in loco tumoris pulſantes & tendentes. Nono die tertius ſecutus eſt vomitus, quo *uncias minus octo* puris albicantis eructavit. Appetitus erat proſtratus una cum viribus; ſomnus interruptus, cum continente laſſitudine. Decimo tandem ac tertio die, poſt tertium vomitum, quartus ſecutus eſt parcior. Puris enim *uncias* evomuit *ſex* & *drachmam dimidiam*. Alvo obſtructa ſemper laboravit æger, quare blando laxante, poſt biduum quodvis ſuccurrendum illi fuerat. Pus per alvum nunquam excrevit. Peractis diebus ſex, de novo tumor caput extulit, qui quater jam ſe ſubduxerat; exſpectavi autem diem undecimum, quo ſine mora eundem incidi juſſi; inciſio longitudine duos æquabat digitos, & puris ichoroſi partim, partim craſſioris cocti, effluxere *unciæ ſeptem* & aliquanto plus. Vulnus autem mundificatum coaluit intra dies ſeptemdecim, & ruſticus, ſumto ſemel purgante, ſanus ad operas ſuas rediit.

Sunt nonnulla in hoc caſu obſervatu digna & explicatu difficilia:

1. Qui

1. Qui factum ſit, ut nihil puris per alvum excretum ſit, cum tamen abſceſſus inteſtini ilei tumoris cauſſa fuiſſe videatur?
2. Cur nulla incommoda obſervare licuerit, ex pure in cavum abdominls exundante?
3. Qui fieri potuerit, ut puris eductio per factam inciſionem, ægrum a recurrente alias vomitu liberare valuerit? Si enim abſceſſus intra inteſtinum latuit, cur potius per emeſin, quam per alvinas dejectiones pus excretum eſt? Si extra inteſtinum, inter peritonæum & muſculos abdominis, qua via, illæſis inteſtinis, pus penetrare potuit in ventriculum?
4. Alvi tandem pertinax obſtructio, eo fine videtur eſſe facta, ut efficacius & facilius ſuccederet ſuppurationis negotium.

OBSERVATIO XCII.

Dn. D. GEORGI CHRISTIANI MATERNI de CILANO.

De

Scirrho colli in carcinoma lethale converſo.

Juvenis viginti novem annorum, a decimo ætatis anno ad vigeſimum usque frequentibus narium hæmorrhagiis obnoxius, nulli vitæ generi addictus & vacunæ litans, inter nautas multum verſatus, ſemel Galliam petiit, & alio tempore Angliam quoque adiit. Ex his itineribus redux factus, ſtrenue helluatus eſt, atque inprimis inter pocula aliquando luſit, hilarique animo ludicra quædam corporis exercitia jactavit: cui quidam ex popinonibus reſpondit, ſe itidem corporis agilitate aliis præſtare, multosque antecellere, imo ſe

uno ſubſultu alterius humeris inſidere velle. Prehendit itaque noſtri collum ambabus manibus, ac adeo firmiter eas illi applicat, ut, dum aſſilere ad humeros illius laborat, ambo ſimul in terram procidant, noſter vero ob agreſtem nimis & violentam colli compreſſionem paſſam, lipothymia correptus, quaſi exanimis jacuit. Hoc ipſo autem, ludendi finis factus eſt opinione triſtior. Noſter interim dolorem ſenſit in dextra colli parte valde moleſtum, qui poſt aliquot dies ceſſavit & omnis periculi metum excuſſit. Agebat tunc annum ætatis vigeſimum quintum.

Tandem vero poſt quadriennium, nemine opinante, menſe Aprili tumor oblongus, duriusculus, minor, ſubnatus eſt in dextra colli parte, eo loco, ubi muſculus capitis maſtoideus levatori ſcapulæ & ſcaleno incumbit; quoad colorem a reliqua cute non differebat per dies triginta; at paulatim ovi gallinacei magnitudinem indeptus, rubeſcere cœpit tumor, ac *dolore tendente* indolem ſcirrhi dolentis & gravius malum portendentis prodidit. Nihil interea auxilii quæſitum vel applicatum fuit, ſed negligentiori tolerantia ſcirrhus ſibi ipſi relictus eſt. Die XIII. Auguſti tandem loci Chirurgus accerſitur, qui cataplaſmate emolliente diebus viginti ſcirrhum ſuppurationis beneficio auferre laboravit. His peractis emplaſtrum quoddam applicavit, eidemque emplaſtro ſpecies reſolventes, melle mixtas, ſuperinpoſuit, & poſt quodvis octiduum reiteravit. Inciſiones ſucceſſive quatuor fecit, e quibus parum ſanguinis & materiæ pultaceæ expreſſit. Verum enim vero ſub his encheireſibus in ingentem molem excrevit carcinoma, cujus ambitus ſeptemdecim æquabat digitos, altitudo vero quinque. Fœtor inſuper cadaveroſus intolerabilis adeo auctus eſt, ut ægrum & circumſtantes propemodum confecerit. A die XIII. Auguſti ergo, usque ad diem decimum Decembr. Chirurgus operam

ſuam

ſuam impendit, ſed ſponte ægrum dereliquit, qui paucis diebus poſt fatis ceſſit.

Effectus hujus funeſti cauſſam & nexum pathologicum indicare, haud erit difficile, ſi comparetur cum ſubjecto alias hæmorrhagiis narium obnoxio, & ipſa cauſſa occaſionali. Locus violenter compreſſus, erat collum. Collum vero abundat multis vaſis ſanguiferis inſignioribus, arteriis nimirum carotidibus & vertebralibus, venis autem vertebralibus & jugularibus. Hic accedunt tot machinulæ, omnis violentiæ impatientes, *glandulæ* ſcilicet *jugulares* & *cervicales*. Jam ſi locus, in quo iſthæc omnia in unum collecta & intimius inter ſe connexa ſunt, importuna violentia comprimitur, uberior ſtatim inivtatur humorum adfluxus; externe producitur ecchymoma; impreſſus vero in partes poroſas & glandulas ſanguis, ibidem partim ſtagnat, partim ſicceſcit, glandulæ ipſæ obſtruuntur & indurantur, ex quibus tandem ominoſorum ſcirrhorum exſpectanda eſt generatio.

Præ reliquis autem ad id mali diſpoſita ſunt ſubjecta hæmorrhagiis narium obnoxia, in quibus nempe humorum congeſtiones verſus caput, ex diuturna adſuetudine fieri ſolent. Hæ quando per cauſſas occaſionales potentius excitantur, tunc ſanguis impetuoſius ad locum adfectum congeſtus, fortius etiam eo reſtringitur, detinetur, & quod jam monui, ſcirrhos format, quibus exulceratis ex erronea naturæ activitate, moles tandem carnea, copioſis vaſis ſanguiferis inſtructa, ſtruitur, quæ brevi nonnumquam tempore in ſtupendam excreſcere ſolet magnitudinem. Juvat hic laudare *Fel.* PLATERUM, qui *Tom. II. Opp. cap. XVII. p. m. 670.* ex vero obſervat, quod cancer *exiguo tuberculo, vix dum conſpicuo, ab initio emergat, mox ad piſi, inde avellanæ, poſtea nucis, tandem ad pomi minoris majorisque magnitudinem excreſcat & cancri veri nomen obtineat.*

Conſtans præterea obſervatio eſt, ſcirrhorum dolores malum portendere, inprimis quando in locis glanduloſis ex ſcirrho antea indolente, jam factus eſt dolens, cum puncturis, febricula & extenſione in partes vicinas. Vid. *Paulus de* SORBAIT *Opp. Tract. V. cap. X. p. 627. Jo. Dan.* GOHL, *Introduct. in prax. chirurg. Lib. I. cap. XVII.*

Cancrum in caſu præſenti per quadriennium occultari potuiſſe, nihil prorſus inſoliti refert. Nam virginem quamdam carcinoma femoris ſeptemdecim annis circumtuliſſe ex TULPII *Obſ. Lib. III. cap. LI.* diſcimus. Idem *Lib. I. cap. XLVII.* docet, Goropii Becani filiam, annis amplius quinquaginta in temporibus ſiniſtris vexatam fuiſſe cancro, quem innoxium toleravit.

Ad curationem quod attinet, quod ea infelicius in noſtro ceſſerit, mirum non eſt. *Omnis* quippe *cancer*, teſte PARÆO Opp. chirurg. lib. VI. cap. XVII. *cenſetur ferme incurabilis, vel curatu valde contumax. Eſt enim morbus toto genere malignus.* Si operæ pretium eſſet ad meam praxin provocare, poſſem omnino adfirmare, me intra annos triginta & duos, omnium cancrorum ſuppuratorum exitum vidiſſe funeſtum. Cauſſam quæro in ulcerati ſcirrhi malignitate, & in inepta tonſorum curatione. Hæc abſolvitur vel emollientium uſu, vel reſolventium, acrium & non raro ſepticorum applicatione. Utroque modo peccatur. *G. H.* WELSCHIUS *Conſil. med. Cent. III. obſ. 95.* hanc ob cauſſam prudenter monet: *In cancro cavendum eſt ab anodynis & emollientibus, quæ periculoſa experta ſunt.* Imminentis vero periculi cauſſam plenius explicat STAHLIUS, *Diſſert. de Cancro* p. 22. *Cavendum valde ſtudioſe ab emollientibus & maturantibus, ne, ſub intentione paregorica atque anodyna, pinguibus vel acriuſculis gummoſis atque reſinoſis utentes, intempeſtiva emollitione affluxui humorum locum præbeamus: maturatione vero ſuſcepta, illud genus corruptionis,*

nis, cui talis materia propius expoſita eſt, nempe putredinem, invitemus. His addendus eſt *Jo.* MUNNICKIUS *in Chirurg. ad prax. hod. adornata Lib. I. cap. XXIII. p. 145.* Reſolventia & ſeptica quam infeliciter in carcinomatis curatione adplicentur, practicis pridem innotuit. Perplacet *Ambroſ.* PARÆI ſententia, quam tulit Lib. VI. cap. XXIX. pag. 219. *Cancer ulceris genus malignum eſt, rebelle, intractabile, quod mitia remedia adſpernatur, acribus autem & fortibus amplius efferatur. Ex quo virium contingit proſtratio, corporis marcor & conſumtio, tandemque mors.* Quantum denique noceant ſeptica, HILDANUS *Cent. VI. obſ. 81.* pluribus inculcat, & hoc remediorum genere multum in cancri curatione peccari, adfirmat. Conf. *Cel.* ALBERTI *Chirurg. Sect. V. cap. XIV.* §. 15. Fundamentum vero, cur abſtinendum ſit ab acribus fortioribus, emphatice expreſſit Celeb. PLATNERUS in *Inſtitut. chirurg.* §. 265. *quia ſcilicet in omni cancro humor ex PUTRI, qualis in ſphacelo emortuis eſſe ſolet,* & *RODENTE, qualis ex malis ulceribus exit, quaſi compoſitus eſt. Quare vitium, quod & putrefaciendo & rodendo ulterius ſerpit, inſanabile eſt.*

OBSERVATIO XCIII.

Dn. D. GEORGI CHRISTIANI MATERNI de CILANO.

De

Fœtu cum duabus cotyledonibus, vertici adnatis, excluſo.

Legiſſe me recordor in STAHLII *Diſſ. de affectibus gravidar. p. 29.* hæc quæ ſequuntur: *Eſt autem tempus inducendis nævis maternis quam maxime idoneum, illud, quod*

a medio

a medio geſtationis tempore ad ipſum partum procedit: adeo ut etiam minime ſumme rara ſint exempla, etiam non ita multis diebus ante partum ſecutum, demum coortorum hujusmodi conformationis vitiorum. In præſenti caſum adfero, qui evincit, etiam ante medium geſtationis tempus ejusmodi monſtroſæ conformationis vitia oriri poſſe. Die 9. Aprilis a.p. mulieri ruſticæ nunciatur, quod una ex gravidis ſuis vaccis dolores partus ſentiat, mox vitulum excluſura. Accerſitur ergo bubulcus, ut obſtetricante manu parturienti opem ferat. Urgentibus interim ſpaſmis protruduntur ſecundinæ, multis, ut ſolent, cotyledonibus, ſeu magnis glandulis diſtinctæ, quas graphice depingi curavit. FABRICIUS *ab* AQUAPENDENTE *de formato fœtu Tab. 19. Venetiis 1620. fol. mai.* Mulier adſtans, veluti ipſa mihi adfirmavit, quinta hebdomade gravida fuit; cumque paulo curioſius ſecundinarum cotyledones contemplaretur, quemdam fortuito in capite ſenſit pruritum, quare cutem in vertice digitis fricat, & poſt vitulum feliciter excluſum, ad hypocauſtum revertitur. Nemo quisquam aliquid periculi ex his divinare poterat, quoniam mulier tempus geſtationis abſolvit, optima ſanitate gaviſa.

Die decima quarta Decembris tandem filiam peperit, ſed duabus cotyledonibus eo occipitis loco fœdatam, quo mater gravida ſecundo graviditatis ſuæ menſe, fricatrice manu capitis pruritum lenire laboravit. Vid. *Tab. VI. Fig. 2.* Filiola autem ejulatu vocem, ut ſolent infantes recens excluſi, edidit nullam; lac maternum, ob debilitatem, numquam ſuxit, quare alio victus genere nutriri debuit. Die decima nona Decembris manifeſta ſecuta eſt tam cotyledonum, quam integumentorum capitis communium inter cotyledones, ſuppuratio. Puris valde fœtidi magna copia, per foramen inter cotyledones enatum, effluxit, infans vero die vigeſima ſecunda Decembris animam efflavit.

Ego

Ego, quia negotiorum cauſſa in pago tunc præſens fui, caſam ruſtici accedo, ut, quid rei accidiſſet, ipſe viderem. Inveni corpuſculum mortuæ emaciatum, cotyledones ex parte ſuppuratos, & foramen inter illos ſatis amplum, per quod ſtylus immiſſus ad oſſa usque palati, per cerebri ſubſtantiam in pus converſam, facile penetravit. Diſſectionem capitis quidem moliebar, ſed a parentibus prohibitus, ſolo adſpectu contentus eſſe debui.

Explicatio Figuræ 2. Tab. VI.

A. Cotyledones adnatæ.
b. Stylus immiſſus.
c. Foramen in vertice pus eructans.
d. Styli directio.
e. e. e. Loca ſuppurata & pus ſtillantia.

OBSERVATIO XCIV.

Dn. D. GEORGII CHRISTIANI MATERNI de CILANO.

De

Sopore lethargico, cum vomitu, ex capitis lotione tempore hiberno ſuſcepta.

Aurigæ ſervus, viginti octo annorum, temperamenti ſanguineo-phlegmatici, habitus obeſioris, die XXIII. Decembris, poſt adſumtam in cœna cramben, caput calida lavat, & re quaſi bene peracta, cubitum it; conclave, in quo dormiverat, foco fuit & camino inſtructum, adeoque ventorum tranſitui opportunum. Dormientis, ut apud hujus generis homines fieri ſolet, nemo amplius curam habet, totaque familia juſto tempore itidem obdormivit. Die XXIV.

mane, ſervum, quia ad conſuetas operas nondum rediit, excitatum eunt. Sed eundem oculis apertis ſtertentem, ejusque faciem, crambe, vomitu rejecta, conſpurcatam, & in dorſo jacentem inveniunt. Aſpectus erat ſumme horridus. Linteamina præterea, una cum facie, crambe nigricante inquinata erant, & quod caput rei erat, ipſe ſervus nulla arte nullaque vi expergefieri poterat; quare ad me curritur hora octava matutina. Ad lethargicum ergo acceſſi & ſine mora & medicamentum adportari, & Chirurgum vocari juſſi. Sanguinis per phlebotomiam eduxi uncias duodecim, ægro nihil ſentiente & adhuc ſtertente. Exhibitum interim medicamentum promte deglutivit, nec prius ad ſe rediit, quam poſt trihorium. Æger tamen omnium, quæ acciderunt, ignarus, miratus eſt, ſe vomuiſſe, & cauſſam adminiſtratæ venæſectionis interrogavit. Veſperi cum tertia vice ad ipſum acceſſiſſem, præter ſpem bene valentem ac eſurientem inſuper inveni.

Id, quod in hoc caſu obſervatu dignum videri poteſt, eſt reconvaleſcentia opinione citius ſecuta, quam a ſubjecto obeſo & parum agili haud ſperaſſem. Nam prægreſſa, tempore hiberno, capitis lotio, quam, in conclavi frigidiori, intempeſtiva refrigeratio exceperat, contumacius malum minabatur. Refrigerationem quippe ſecuta eſt ſtagnatio, ſeu ſegnior humorum in ſinu falcato & lateralibus circulatio. Ejusmodi vero ſtagnatio turgefaciens non poterat non cerebri ſubſtantiam premere & in vaſis minoribus per cerebrum diſperſis, humorum circuitui remoram injicere ſenſibilem, & porro ſenſus motusque turbare. Vaſis itaque cerebri turgidis, cerebellum quoque compreſſum eſſe, nemo univerſæ ſtructuræ gnarus in dubium vocabit. Quo enim impeditius ſanguis in cerebro movetur, eo magis augetur cerebri pondus, quod dum cerebellum premit, etiam medullam oblongatam moleſto ſenſu adficit, & nervorum officium

quam

quam maxime turbat, & ſoporem ſtertoroſum lethargicum producit. In tali ſtatu turbato, cum tot objecta fuerint impedimenta, & functiones vitales æque ac animales magnam partem ſufflaminatæ, natura ſui quidem officii memor fuit, ſed ſanguini in cerebro ſtagnanti nec celeriorem motum inducere, nec preſſionis ſenſum avertere valuit. Quare repletum crambe ventriculum, ob paris octavi conſenſum cum medulla ſpinali, cerebello & cerebro, adgreſſa eſt, mole ſua eundem liberavit, ut vel hac expurgatione levamen quæreret, ſed incaſſum. Accedente vero opera medica & chirurgica, ſtagnatio humorum in alacriorem motum verſa, motuum vitalium vigor reſtitutus & periculum ſublatum fuit.

OBSERVATIO XCV.

Dn. D. GEORGII CHRISTIANI MATERNI de CILANO.

De *Præmatura & ſubitanea canitie.*

Præfecti militum aliquot anno præterito, menſe Octobri, ex caſtris ſuis in proximam Brabantiæ urbem concedunt, ibique ad veſperam usque pro virili genio indulgent. Bene igitur poti ad caſtra ſua redeunt omnes, lectum petunt, ſed mediam poſt noctem tres illorum, febre correpti & nimia ſiti vexati, evigilant, ac ſemidelirantes potum & auxilium flagitant. Id vero, quod maxime fuit moleſtum, dyſenteria erat vera, cum crebris dejectionibus cruentis ac ventris torminibus iisque acutiſſimis. Advocatur Chirurgus & opem fert, ea, qua valuit, dexteritate, ſed nihil arte profecit. Dies comeſſationis erat dies Saturni; poſt octiduum dies itidem

Saturni uni horum ægrotantium dies fuit mortis, quæ horis matutinis & dyſenteriæ & vitæ finem fecit. Alter interim miſere vexatus ſine ullo levamine decubuit, & altero octiduo, poſt ſocii mortem, die Saturni pariter extinguitur. Tertius, magiſter equitum, fata duorum audiens, nihil certius fore credit, quam moriendum & ſibi eſſe tertio octiduo; valde ergo angebatur animo, cum ſentiret, ſingula medicamenta ad hunc usque diem nihil ſibi attuliſſe levaminis. Quare tota nocte inquietus metu futurorum cruciatur, & quamvis annos tantum viginti & ſex natus eſſet, ſequente tamen die Dominica perfecta canitie ornatus ſuis adparuit, qui pulverem amyli capillis, ex nimio ſudore forte madentibus, exſiccandi cauſſa adſperſum eſſe credebant. Quærunt præterea famuli, negat herus ſe pulveris quidquam adſperſiſſe. Agnoſcunt ergo ſinguli eſſe canitiem ex nimio mœrore ac metu una nocte ſubito enatam, quam convaleſcentia tandem excepit, utut tardius conſecuta. Hocce anno menſe Februario ex Brabantia is redux ad me acceſſit, & colorem tingendis capillis, præmatura canitie fœdatis, aptum, flagitat. Cui, quæ ſint incommoda ex ejusmodi adplicato artificio metuenda, expoſui, ac humaniter dimiſi.

(*Altona Halam miſſæ, d. 10. Jul. 1746.*)

OBSERVATIO XCVI.

DN. D. JO. HERMANNI FURSTENAU

De

Purpura.

A coloris ſimilitudine morbi nomen ordinarie derivatur, qui, quoniam exanthemata milii ſemen referentia in cute producit, *miliaris* quoque appellatur, quique in *rubram*

& *al-*

& *albam*, rei majore, quam nominis convenientia, porro & in *benignam* atque *malignam*, *univerſalem* & *particularem*, *acutam* & *chronicam*, diſpeſcitur. Morbi genus novum veteribusque ignotum, & circa elapſi medium ſeculi primum exortum ac in Saxonia præſertim & Lipſiæ, in puerperis ſigillatim, animadverſum communiter eſt creditum, donec Vir Clariſſ. J. C. L. SEIP, purpuram morbum eſſe antiquum, ſpecimine inaugurali, 1741. Göttingæ edito, præclare oſtendit. Hoc utut ſit, in regionibus ſaltim borealibus & frigore aſperis rariora & nunc & olim obvia, & noſtris ſigillatim in oris ante dimidium ſeculi prorſus incognita, aut alio forſan nomine inſignita fuerunt ejusdem paradigmata, donec inter initia ſeculi, bellicarum occaſione expeditionum, illiusque præſertim, qua Saxoniam divus occupavit Sueciæ Rex, CAROLUS XII. & migrationis gentis Saxonicæ in alias, ac præſertim vicinas Boruſſicas regiones, hinc vero & militis Boruſſici in omnem pene terrarum orbem facta excurſione, malum, hactenus in Saxonia aëris & victus culpa endemium, longe lateque diſſeminatum aliisque regionibus & corporibus communicatum fuit. Et purpura quidem alba & maligna hiſce in oris fere prorſus incognita, rubra quoque univerſalis & acuta rarius occurrit, & puerperis interdum victus aut regiminis minus convenientis occaſione infeſta eſt; purpura vero particularis & chronica tanto occurrit frequentius, & ægris pariter atque medentibus multum faceſſit negotii, exquiſitum requirit & temperatum regimen, a calidis & frigidis remediis ſimilique regimine ex æquo læditur, a frigore tamen magis exaſperatur, ejusque ſævitia tempore verno & æſtivo remittente, malum plerumque ſponte tollitur aut mitigatur, quod per totam retro hyemem omnem remediorum apparatum, ſollicite & conſulto impenſum, ſpreverat. Hoc mali genus ab acrimonia ſanguinis communiter derivatur & pro ſcorbutii

ſobole venditatur, antiſcorbuticis, diluentibus, ſanguinem edulcorantibus & quæ ſunt his ſimilia, oppugnandum. Sed experientia edoctus novi, infuſa & decocta herbarum varia, aquas quoque minerales varii generis, lac & ſerum lactis, & ſi quæ ſunt alia ſanguini emendando & acrimoniæ demulcendæ idonea remedia, diu ſed fruſtra eſſe uſurpata, quare quantum maturo judicio & rationali conjectura aſſequi licet, illud ceu criticam quandam excretionem, febribus interdum catarrhalibus aliisque ſalutari eventu ſupervenientem, & hæmorrhagiarum inprimis, natura aut arte concitatarum atque aliunde impeditarum, vices gerentem, conſiderandum & legibus artis tractandum exiſtimaverim.

Puerperis ſi accedit, lochiorum quoddam vitium ſimul adeſt, quo emendato purpura quoque mitius decurrere & brevi remittere conſuevit. In aliis ſi offenditur ſubjectis, magno ſymptomatum varii generis, ipſorumque ſpaſmodicorum numero ſtipatum, menſium aut hæmorrhoidum negotium certo certius ſubeſſe, & ſcenam modo clanculum, modo aperte ludere, affirmare nullus dubito, tot convictus exemplis, non niſi hæmorrhagiis iſtis in ordinem iterum redactis conſtantem mali remiſſionem exſpectandam eſſe. Medendi ergo methodus qualis purpuræ, præſertim chronicæ & particulari conveniat, quæque remediorum genera eidem rite tractandæ ſint adæquata, ex hiſce haud difficulter licet colligere. Talia nimirum, quibus ductum naturæ imitari, ſanguinis motum placide promovere, cunctasque digeſtiones, ſecretiones & excretiones aut conſervare, aut promovere, quæque ex diætetico magis, quam pharmaceutico penu promere ſolemus, hoc tamen & chirurgico, ſi res & opera expoſcit, neutiquam neglecto, id quod periti arbitrio medentis merito relinquitur.

OBSER-

OBSERVATIO XCVII.

DN. D. JO. HERMANNI FURSTENAU.

Maculæ infantum volaticæ.

Inter affectus cutaneos, in praxi clinica verſantibus obtingunt nonnulli, quorum nulla, neque apud Auctores practicos, neque apud obſervatores facta eſt mentio, multo minus appellatio, ut in *Actis Medicorum Berolinenſium Vol. IV. Dec. I. p. 72.* legere eſt. Equidem dum ſæpius alias, tum vere nuper adulto, & æſtatis initio occaſione aëris præter modum & conſuetudinem aliquot annorum fervidi, varii generis exanthemata, infantibus pariter atque adultis infeſta, nec ab omni malignitatis ſuſpicione libera fuere, ut ad febres malignas petechizantes quam proxime accedere viderentur. Communiſſimus tamen puerorum morbus, multis Medicis incognitus vel non ſatis exploratus, ſicut JUNGKENIO *Med. præſ. ſecul. accommodat. p. 791.* appellatur, fuit *eryſipelas* illud *puerile*, quod ſub purpuræ miliaris ſpecie tum ſæpe alias, tum dicto inprimis tempore plures recens natos puſillos invaſit, nec paucos e medio ſuſtulit. *Maculæ* vocantur *volaticæ*, ad naturam herpetis ἐσθιομένε quam proxime accedentes, licet inſignem utriusque mali differentiam ſe deprehendiſſe nonnulli exiſtiment, ut in *Satyris Medic. Sileſ. Spec. V. obſ. II. p. 16.* relatum extat. Hujus illuſtre pridem notavi, quod ipſis his in Actis N. C. *Vol. IV. obſ. XLV.* legitur, paradigma, in puella tunc lactente, nunc virgine adulta pancratice valente & florente, tanto majori attentione dignum, quod cuticula fere omni deſquamata, ægra puſilla ab aëre externo ſollicite defendi debuerit, & pulli inſtar vagientis trium fere menſium ſpatio difficillimo negotio in vivis ſervata ſit; lactis vero & nutricis, quæ tum

a pluribus, ut plerumque evenit, fuit accuſata, nulla deprehendi potuerint vitia. In aëre nimirum, ſi quid video, vel ultra modum frigido, vel etiam, ut hoc tempore, calido, cauſam affectus plerumque epidemici & ſæpius maligni occaſionalem, quærendam exiſtimem, perſpiratione utrobique varia occaſione impedita, ſanguinis vero majori rarefactione negotium faceſſente, quin & fatum non raro accelerante, id quod his ipſis diebus puellæ contigit, quæ, maculis a facie & pectore ad pedum extrema ſenſim ſerpentibus, ſub regimine temperato belle valens, & cum valetudine fere in gratiam redire viſa, itinere, unius diei, aëre valde æſtuante, vix exantlato, præter omnium opinionem ſubito exſpiravit. Maculas quoque convulſivas, a doctiſſ. VALENTINI *Noſoc. Academ. Cæſar. XIII. p. 647.* recenſitas & ipſas funeſtas vidi in puella lactente, quæ, aëre pariter fervido, nocturno frigori & ventis improvide expoſita, mox reſpirationis & deglutitionis non ſolum difficultate cum æſtu, ſiti, vigiliis & ſimilibus febris inflammatoriæ ſignis, ſed & convulſionum modo clarioribus, modo magis obſcuris indiciis ſimul & affectu noſtro correpta, poſt trium fere ſeptimanarum luctam, præviis rhonchis & convulſionibus, quas vocant internis, fatis ceſſit. Quo ipſo exemplo non vanum eſſe patet, quod duce SENNERTO formari ſolet morbi hujus prognoſticum, quando nimirum tum fatalis eſſe judicatur, quando cavitatem quandam corporis, os, fauces, oculos, aures, pudenda, nates occupat. Ac licet non omni deſtituantur ſpecie, quæ in contrarium afferri ſolent experimenta, a potiori tamen, & quod plerumque contingit, hinc argumentum deſumi, & ratiocinium a corruptione gangrænoſa partibus hiſce infeſta formari, patet. De ſcroto funeſto eventu affecto, paſſim obſervationes proſtant; genitalia in puellis natesque impune affectas ſubinde vidi. Singulare autem eſt, quod in puella fere annua, hoc malo ſerpiginoſo

ginoſo afflicta, notavi, abſceſſus in nate dextra l. a. tractati & magnam puris vim fundentis, beneficium, quo illa ſimul a morbo liberata ſenſim vires & valetudinem recuperavit. Quin & ne remediorum plane obliviſcamur, præter interna diapnoica & ſimile regimen, blandis, ſi opus, laxantibus interpolatis, vix dari topicum in his & ſimilibus affectibus, ſemine lycopodii & nihili albo exterius frequenter aſperſo, præſtantius iterata edoctus experientia audacter affirmo.

OBSERVATIO XCVIII.

DN. D. JO. HERMANNI FURSTENAU.

Hydrops pectoris.

Non injuſta eorum eſt querela, qui nulla dari ſigna pathognomica, quibus in vivis ſubjectis pectoris hydropem ab aliis, iisque cognatis diſcernere licet affectibus, dolent, vera demum morbi facie poſt obitum, facta cadaveris ſectione, innoteſcente. Interea vivum ejus exemplum, neque obſcuram morbi deliteſcentis imaginem notare nuper admodum licuit in viro pene ſexagenario, habitu corporis toroſo & ſpongioſo, demum & cachectico, cum facie ſimili, prædito. Is motibus quondam & conatibus, quin & excretionibus hæmorrhoidalibus, hinc & eryſipelaceis in cruribus per intervalla obnoxius, horum pertæſus, poſt varia tentamina, non neminis ſuaſu floribus Zinci exterius l. a. applicatis, ab eryſipelate deinceps immunis manſit, ſed & hæmorrhoidali aliunde impedita excretione, aſthma primum ſimplex, hinc convulſivum, pectus occupavit, ſenſim auctum, & tempore inprimis matutino, & aëre frigido & horrido, valde exacerbatum. Accedit tumor pedum œdematoſus, demum iterum ſplendens & eryſipelaceus lymphamque pellucidam fundens cum gangrænæ proxime imminentis metu, urinæ ſuppreſſione, vigiliis, æſtu, ſiti, & ſimi-

ſimilibus febris lentæ indiciis, quibus æger de imminenti corporis interitu admoneri potuiſſet, qui appetitu plerumque forti ciborum gaviſus, eidemque nimium indulgens, hinc viribus ab hauſtu vini, præſertim Gallici, belle redire viſis, & præterea equitatione quotidie fere inſtituta, interdum & vectura in aëre ſereno inſigniter recreatus, a variis quoque remediis avide aſſumtis laxantibus, diureticis, gummi ammoniaco, millepedibus, ſulphure antimonii & ſimilibus, a venæ ſectione quoque & fonticulo, quem in crure geſſit, egregie interdum refocillatus, firma valetudinis recuperandæ ſpe ſemet ipſum lactavit, tum inprimis, cum ab exhibita forſan ſquillæ radice aliquot liquoris obſcœni libras una nocte cum levamine, ut putabat, excerneret, quod tamen ipſum phænomenon ſponte alias accedens, una cum manuum tumore, ut in aliis, ita & in noſtro ægroto hydropis pectoris in vivis indicium, licet funeſtum, ſimul præbuit, ægro ad finem anni proxime elapſi peregre hinc profecto, & brevi poſt, accedente cruris ſphacelo, placide defuncto.

OBSERVATIO XCIX.

DN. D. JO. HERMANNI FURSTENAU.

Alvi pertinax obſtructio.

Alvi beneficium quotquot in morbis experiuntur, mitius plerumque degunt, illo vero qui deſtituuntur, & morbo & plurimis inde pullulantibus ſymptomatibus male plerumque mulctantur. Duplici nuper edoctus exemplo artis quid valeat efficacia, & quomodo morbi interdum gravitas omnia artis tentamina eludat, utrumque fideliter enarrare operæ pretium erit.

Virgo honeſta, cum malo iſchiadico per totam retro hyemem graviſſime conflictata, a catharticis modo lenioribus,

bus, modo fortioribus, optimum ſemper levamen, ſed & pertinacem aliquot dierum alvi adſtrictionem, non niſi laxantibus iterum obnoxiam, experta eſt. Accidit autem, ut laxantibus fruſtra per aliquot dies ex ordine oblatis, tamarindis, manna, rhabarbaro, foliis ſennæ, ſale Anglicano, cremore tartari, ad fortiora ſenſim, reſinam jalappæ, ſcammonei, diagrydium ſulphuratum & trochiſcos alhandal, adſcendendum fuerit; hisque omnibus una cum fumo tabaci avide hauſto & deglutito, & clyſteris forma, aliisque eadem via applicatis, incaſſum adhibitis, muria tandem halecum, cum lacte mixta & clyſteris forma applicata, officium faceret, alvo deinceps pertinaciter clauſa a ſale Sedlicenſi identidem aſſumto reſerata. Fœmina vero 74. annorum caſu ab alto quondam in hypochondrio dextro læſa, hinc peripneumonia correpta, ad alvi duritiem potionem catharticam ex manna, tamarindis, fol. ſennæ, rhabarbaro, paſſulis & cremore tartari paratam, cum exoptato ſumſit ſucceſſu; illa vero brevi, cum flatulentia inſigni & abdominis inflatione ructibusque perpetuis recrudeſcente, non iſta tantum potio, ſed plura alia, quibus tantillum aloës & diagrydii ſulphurati additum fuit, quin & ipſi trochiſci alhandal, ad dimidiam drachmam cum oleo lini, ebullitione prævia, permiſti & clyſteris forma, ut & muria halecis cum lacte, & nulla fere non ſelecta & uſu probata remediorum genera ἄνω καὶ κάτω, ſed fruſtra applicata fuere, ægra die morbi octavo vitam cum morte commutante.

Tertium exemplum, his ipſis diebus obvium, erat ruſticus 30. fere annorum, in aliorum famulitio laboribus duris & victu ſimili pleno diu quaſi innutritus, qui alvi & urinæ ſuppreſſione ab aliquot diebus laborans, blandis primum laxantibus, ex rhabarbaro, manna, tamarindis, hinc fortioribus, diagrydio & trochiſcis alhandal, parciori, ſed repetita aliquoties doſi exhibitis, brevi ex voto adjutus eſt,

interpoſitis quoque temperantibus, nitroſis & abſorbentibus, quibus æſtus, ſitis & inquietudo mitigata, tandemque ſublata ſunt.

OBSERVATIO C.

Dn. D. JO. FRIDERICI FURSTENAU.

De

Arthritide vaga ſingulari ratione brevi temporis intervallo ſanata.

Vir 50. annos natus, temperamenti ſanguinei prædominantis, Muſicæ arti addictus, variis hinc diætæ erroribus obnoxius, & pro more ejus farinæ hominum, hoc vitæ genus ſectantium, ſpirituoſis & vinoſis potibus interdum largiter indulgens, decoctum quoque fabarum Caffée bis, ter, imo quater quotidie avide bibens, hactenus tamen optime valuit. Ante aliquot annos hæmorrhoides expertus eſt, ſtatis temporibus largiter cum maxima euphoria fluentes, venæſectionem quoque olim in brachio circa æquinoctia celebravit, quæ utraque tamen hæmorrhagia, naturalis æque ac artificialis, jam per biennium ſiluit. Ad cauſam vero mediatam aliquo modo eruendam commemorare juvabit, parentem ejus adhuc in vivis & jam octogenarium, ante 30. circiter annos podagricum expertum eſſe inſultum, quem vero remediis ſuperſtitioſis & per tranſplantationem feliciter abegit. Præterita ergo hyeme, variis cauſis remotioribus, præter jam memoratas, præcedentibus, inter quas magna corporis refrigeratio, victus inordinatus, modo quantitate, modo qualitate peccans, & ex animi pathematibus ira inprimis frequens & fortior, præcipuas tenent, corripitur ille horripilatione totius corporis, cum rigore inprimis digitorum, accedunt dolores artuum, dorſi & lumborum vagi, ſitis,

ſitis aliaque ſymptomata, contra quæ cum a me peteret conſilium, ſuaſi, ut quantocyus venæſectionem ſat largam inſtitueret, deinde remedium purgans a me ordinatum aſſumeret, lecto ſe committeret, & a frigore probe muniret, ſubjuncto ſimul ſerio monito, ut principiis obſtaret, ne in gravem incidereret morbum. Æger vero morbum nullius momenti eſſe exiſtimans, monita neglexit ſalutaria, & proprio conſilio per ſpiritum C. C. & maximum calorem externum ſudorem ſibi expreſſit, cum vero malum inde exacerbaretur, tandem ad venæſectionem tranſiit; Chirurgus vero naſutulus, pro captu ſuo non ultra tres uncias educendas eſſe judicavit, & eduxit, cum tamen ob habitum corporis plethori cum & cauſas ſupra memoratas, longe major ſanguinis copia detrahi debuiſſet. Cum itaque malum ſingulis momentis incrementum caperet & dolores valde exacerbarentur, ego accerſor, meumque iterum imploratur auxilium: Accedens virum inveni miſerrimum in modum decumbentem, toto corpore immobilem, & de ſummis cruciatibus artuum, lumborum & dorſi conquerentem, aderat ſimul in facie, manibus pedibusque tumor & aliqualis rubor ſitisque vehemens, lingua tota erat aſpera, tumida, multa pituita ſubnigricante obſeſſa, pulſus inæqualis, fortis, durus, inflammatorius, urina vero intenſe rubra; interrogatus, num pilulas purgantes ſumſiſſet? negavit, fieri enim haud poſſe exiſtimabat, ut propter totius corporis immobilitatem, & acerbiſſimos dolores, remedio purgante uti poſſit; hoc audito, multis argumentis ipſi perſuadere conabar, ne diutius aſſumtionem differret, quoniam malo inveterato non amplius huic remedio eſſet locus. Præſcribebam interim pulveres nitroſos temperantes, cum lumbr. terreſtr. præpar. ad ℈j. quovis bihorio vel trihorio ſumendos. Cereviſiam lupulatam, omniaque ſpirituoſa removere juſſi, horumque loco cereviſiam ſecun-

dariam probe defæcatam, & potum theæ nec non fabarum Caffee, quo poſteriori maxime delectabatur, commendabam, diætam inſimul tenuiſſimam præcipiens. Altero die illum inviſens omnia adhuc in priſtino ſtatu eſſe comperi, pilulas autem purgantes ob jam dictas rationes aſſumere detrectabat; ego vero ſubiraſcens, me ipſius morbo mederi haud poſſe, ſi ex præſcripto vivere recuſaret, aperte profitebar. Sancte igitur obſequium promittebat neque aſſumtionem pharmaci amplius differebat. Verbis autem vix effari poterat incommoda, quæ ob plenariam motus abolitionem, & acerbiſſimum, ad quemvis etiam leniſſimum contactum, dolorem, ita quidem, ut pulſus quoque explorationem ægerrime ferret, ſub medicamenti operatione toleraſſet; ingens interim ſaburra vitioſorum humorum per alvum erat educta, magno inſequente levamine; quo facto pulveres jam nominatos continuare, mane vero cochlear unum & alterum Eſſ. fuliginis, vel alexipharm. Clauder. cum regimine diaphoretico ſumere juſſi. Externe lenes frictiones & inunctiones, ex ſapon. Venet. ſpiritu lumbricor. tereſtr. &c. commendabam quidem, ob nimiam autem cutis ſenſibilitatem admittere recuſabat. Aliquot diebus interjectis, iterum remedium purgans, quod mercur. dulc. trochiſc. Alhandal & diagrydium ſulphurat. recipiebat, ordinabam, & in hac methodo per duodecim circiter dies perſiſtebam. Malum quidem ſic quodammodo mitigatum, ſed non ſublatum erat, æger vero anxie citam opem dolorumque levamen petere non deſinebat, & animus jam mihi erat, corticis Peruviani virtutes in præſenti morbo explorare, inprimis cum in *Hiſtoria morborum Uratislav.* me de effectu hujus remedii in morbis articularibus aliquid legiſſe recordarer, cui accedebat, quod celebris quidam Amſtelodamenſium Practicus mihi aliquot caſus arthritidis, ſolo cortice Peruviano curatæ, narraverat; conſiderans autem, quod infelici

lici ſucceſſu facile fama junioris Practici commaculari poſſet, mox mutavi ſententiam, idque eo magis, quod parentis mei venerandi conſenſum, cui hoc meum proponebam conſilium, impetrare haud poſſem, utpote qui in ea verſabatur opinione, dolores forſan imo & arthritidem hoc medicamento tolli poſſe, ſed metuendum eſſe, ne loco arthritidis, paralyſis, contractura, aliusque gravior morbus ſuccedat. Jam igitur de aliis remediis cogitandum mihi erat; recenſentur plura in Doctiſſ. KLAUNIGII *Noſocom. charitat. pag. 91.* quorum quædam tentata, v. gr. ſuccus lumbr. terreſtr. &c. expectationi minime ſatisfaciebant, alia vero ibidem obvia in præſenti ægro locum non inveniebant. Varia quoque remediorum genera, a plebejis æque ac honoratioribus, ex intempeſtivo miſericordiæ affectu, noſtro transmittebantur & obtrudebantur, interque hæc quidam tantopere celebratam Eſſentiam dulcem Hallenſem, cum liquore minerali anod. HOFFMANNI, obtulerat; alius radicem ſarſaparill. in decocto commendabat & offerebat; rurſus alius pulverem ſuum antarthriticum, quem ex Belgio ſecum aſportaverat, transmittebat; miles quidam empiricus balſamo ſuo antarthritico, quem balſamum ſaponis fuiſſe aliunde conſtabat, ægrum priſtinæ valetudini reſtituere volebat; Chirurgus alius balneum formicarum maximo commendabat opere. Æger vero, rariſſimo exemplo, tantam in me collocaverat fiduciam, ut nullo horum remediorum, me non conſentiente, uti vellet, ſed omnia revelaret, mihique ſemper quæ ipſi clam erant oblata & transmiſſa oſtenderet. Omnem itaque movebam lapidem, ut fiduciæ in me collocatæ & exſpectationi facerem ſatis, cumque jam bis a ſumto pharmaco purgante levamen ſenſiſſet, illud denuo repetere juſſi, quod cum feciſſet, tantam corruptorum humorum, ſpermati ranarum ſimilium, copiam per alvum excrevit, ut neque æger, neque adſtantes, illud verbis ſatis exprimere potuerint. Pur-

ganti

ganti pharmaco ſatim ſubjungebam ſupra jam memoratam fuliginis tincturam, methodo a GEHEMA, in libello, cui titulus: *Der wohl-verſehene Feld-Medicus, pag. 63.* indicata, præparatam, quam quidem hic Auctor ad guttulas xxv. vel xxx. in multis affectibus valde extollit, me autem intra hos cancellos non ſubſtitiſſe ſupra jam innui, quando ægro in morbi principio, ad diaphoreſin promovendam, tempore matutino cochlear unum vel alterum præſcripſeram, non ſine magno inſequente levamine; impulit ergo me hoc, ut in maxima doſi hujus remedii virtutes experiri tentarem, memor ſermonum, quos ante ſesquiannum cum celeb. Berolinenſi Practico, Dn. D. *Theod.* SPROEGELIO, cum Berolini eſſem, miſcueram, ubi inter alia dicebat: Sæpius accidere, ut expertis alias remediis optatum finem attingere haud queamus, quoniam nimirum illa nimis avara manu porrigimus. Ægro itaque meo, cui, ne copia medicamenti terreretur, perſuadebam, me ipſi decoctum quoddam ordinaturum, tempore, matutino paucarum horarum intervallo, hujus tincturæ ultra uncias ſex porrigebam, continuando ita per triduum. Effectus erat exoptatiſſimus, ſiquidem æger in ſudorem largum, acidum olentem (qualis deſcribitur *Hiſtor. Morb. Wratislavienſ. Anno 1702. p. 133.*) ſolvebatur, & de die in diem melius habebat. (Confer. etiam de efficacia fuliginis LENTILIUS *Eteodr. Med. pract. p. 487*) Hoc loco notari velim, neminem forſan ante me auſum fuiſſe, tantam hujus tincturæ quantitatem una vice porrigere. Morbo ſic ſenſim evaneſcente, omnia ad ſtatum naturalem redibant, manus vero pedesque occupabat œdema, quod ægrum valde terrebat; juſſi vero illum bono animo eſſe, exhibendo remedia viſceralia leniter evacuantia, pilulas, v. gr. balſamicas, ad imitationem BECCHERI paratas, continuando adhuc tincturam fuliginis, minori tamen quantitate. Pro abſolvenda autem penitus curatione exhibui

bui pilulas purgantes conſuetas, ſicque æger, præter omnium expectationem, trium ſeptimanarum ſpatio priſtinæ reſtituebatur valetudini. Cum autem poſt exantlatum morbum appetitui nimis indulgeret, & novi dolores arthritici, cum ructibus nidoroſis ſonoris, exſurgerent, purgans remedium denuo repetebam & accuratiorem diætam injungebam, eo quidem effectu, ut ab illo tempore in hodiernum usque diem, (jam vero quatuor præterire menſes) optima fruatur valetudine.

OBSERVATIO CI.

Dn. D. JO. FRIDERICI FURSTENAU.

Malum iſchiadicum, ſeu rheumatismus femoris.

Ob affectus affinitatem aliam mox ſubjungam hiſtoriam morbi, quem ſive mali iſchiadici, ſive rheumatiſmi potius femoris nomine benevolus Lector inſignire velit, mihi perinde eſt. Vocor nimirum ad fœminam 40. circiter annorum, habitus corporis ſiccioris, ante aliquot menſes partu defunctam, de dolore lancinante & pungente non tam fixo, quam vago, cum ſenſu maximi refrigerii, in parte exteriori femoris pedisque ſiniſtri ad os ſacrum usque ſe ſe extendente, valde conquerentem. Cum in cauſas inquirerem, ægra multis verbis referebat, ſe in prima juventute ulcere in tarſo pedis nunc affecti laboraſſe, quod, cum induſtriam variorum illuſiſſet Chirurgorum, a caſtrenſi tandem accerſito Chirurgo, variis adhibitis medicamentis, & extracto oſſiculo nigerrimo carioſo, maxima inſimul compreſſione externa adhibita, brevi tempore ſanatum fuiſſet, nullum quoque incommodum inde ulterius eveniſſe, ſeque per plures annos optime valuiſſe; decennium eſſe, ex quo viro nupta ſit, quatuorque hoc temporis ſpatio liberos ex-

cluſiſſe; cum autem quarta vice eſſet gravida, circa octavum menſem ſtuporem doloremque acerbiſſimum ſimul & ſemel pedem femurque ſiniſtrum invaſiſſe, cum ſenſu, ac ſi omnia vaſa ſanguifera, circa os ſacrum femurque reptantia, motu quaſi tremulo afficerentur & ſubſilirent. Varia tunc temporis fuiſſe mulierculàrum conſilia, obſtetricem vero illam bono animo eſſe juſſiſſe, fore enim, ut partu exantlato affectus per ſe ceſſaret. Appropinquante partus tempore, omnia legitime ſe habuiſſe, neque illum admodum difficilem fuiſſe, ſecundinas mox ſucceſſiſſe & lochia per debitum temporis ſpatium ſat largiter fluxiſſe, ita quidem, ut dolores quoque inde levari viderentur; elapſis vero abhinc aliquot ſeptimanis illos majori vehementia recruduiſſe, ut Medici cujusdam auxilium implorare coacta fuerit, cujus autem varia per ſat longum temporis ſpatium præſcripta remedia dolores minime leniverint, ſed potius magis adhuc intenderint; varia quoque externa ſpirituoſa, unguinoſa nec non balnea vaporoſa, ex herbis nervinis incoctis parata & a Medico priori ordinata, nullum pariter levamen attuliſſe, dolores vero potius inde fuiſſe exacerbatos. Externe interim nullum ruborem atque tumorem adeſſe, ſed omnia maxime ſana apparere, ſe autem jam plures noctes, ob dolorum vehementiam, transegiſſe inſomnes, indeque valde debilem redditam doloribus ferendis non amplius parem eſſe; de venæſectione & ſcarificatione tandem interrogata, utramque unica tantum vice per totam vitam celebratam eſſe, profidebatur. Ego re omni probe penſitata, juſſi, ut ſtatim parti affectæ & propinquis, non neglectis tamen remotioribus partibus, cucurbitulas cum ſcarificatione apponi ſibi curaret; & cum ex oris amarore, guſtu & appetitu depravatis, aliisque ſignis de primarum vitio viarum mihi conſtaret, & purgantium uſus in affectibus rheumaticis mihi optime perſpectus ſit, conſuetum purgans, recuperatis paulisper viribus,

bus, ſtatim ſubjunxi, in uſum ſimul vocans pulveres ex lumbric. terreſtr. tartaro vitriolato, nitro depurato, antimonio diaphoretico, conchis præpar. & cort. Caſcarill. conſtantes, inprimis quoque fuliginis tincturam, antecedenti obſervatione laudatam; magnum inde dolorum levamen ſenſit, & poſt aliquot dies interrogavit, annon ſibi liceret ſcarificationem repetere? prima enim vice, ob ſummam debilitatem, non adeo multum ſanguinis fuiſſe detractum, unde etiam eam, cum nihil obſtaret, permiſi. Noctu inſequente in profundiſſimum incidit ſomnum, vires egregie reficientem, & de die in diem melius habere cœpit, ita quidem, ut octo dierum ſpatio omnis dolor & cum eo totus morbus evaneſceret. Juſſi itaque ut pro curationis complemento pharmacum purgans repeteret; præſervationis vero gratia venæſectionem circa æquinoctia celebrandam, & ſcarificationes quovis bimeſtri reiterandas maximopere commendabam.

OBSERVATIO CII.

Dn. D. JO. FRIEDERICI FURSTENAU.

De

Affectu ſpaſmodico & quaſi maniaco per abſceſſum criticum in dorſo manus ſublato.

Affectum hunc notatu ſane dignum, puer expertus eſt duodecim circiter annos habens: Ille enim certis ſtatisque temporibus, & noctu quidem pavoribus in ſomno motibusque ſpasmodicis vexabatur, interdiu vero clamoribus omnia replebat horrendis & ineffabili preſſus anxietate furibundus diſcurrebat, unde a parentibus primo verberibus exceptus, deinde vero variis anthelminticis tractatus fuit; his vero nihil proficientibus, mox magicam incantationem

& ſupranaturales cauſas accuſare cœperunt. Puer vero quoties paroxyſmo corripiebatur, toties parentes per æternam ſalutem & ultimum, ut ejus misererentur, rogabat judicium; interrogatus vero de quo conquereretur, nihil reſpondebat, & mox meticuloſus & triſtis mox vero furibundus apparebat, tandem vero prævia horripilatione inflāmatio eryſipelatodes, per totum excurrens brachium, oriebatur, qua iterum evaneſcente tumor in dorſo manus, cum duritie & rubedine conjunctus, ſupra tendines muſculi extenſoris communis conſpiciebatur, qui digitorum extenſionem prohibebat. Sub hoc rerum ſtatu in auxilium vocatus, poſt largam evacuationem alvinam, per mercurium dulcem aliaque appropriata purgantia provocatam, tumori emollientia & maturantia imponere juſſi, & poſt aliquot dierum intervallum lanceola eundem aperui, materiamque craſſam albam & tenaciſſimam, cum pauxillo ichoris ſanguinolenti, magno cum labore expreſſi, carneque fungoſa excreſcente per mercurium præcipitatum rubrum, digeſtivis mixtum, abſumta, balſamo de Copaiva & emplaſtro diachylo ſimplici ulcus hoc brevi temporis ſpatio ad ſanationem perduxi, ita, ut puer jam per tres & quod excurrit menſes optime valeat.

(*Rintelio Halam miſſæ d. 17. Aug. 1746.*)

OBSERVATIO CIII.

Dn. D. JO. CHRISTOPHORI RIEDEL.

Depreſſio oſſis bregmatis ſiniſtri inſignis, adnexaque ejusdem & paralyſeos ſubſequutæ cura.

Puella 6. annorum, firmæ alias corporis conſtitutionis, ſuccique plena, per aliquos ſcalæ gradus præceps labitur, bregmatisque os ſiniſtrum tanto impetu ligno duriori angu-

angulofo allidit, ut ad duorum transverſorum digitorum craſſitiem deprimeretur, ipſaque hujus cavitatis circumferentia nummum imperialem, ſive thalerum æquaret. Mortuæ ſtatim præbebat ſpeciem miſera, motibus dein convulſivis, inſigni narium hæmorrhagia, vomituque admodum vehementi adflicta; ſerva vero, nimium perterrefacta angoreque cruciata, celans atque occultans factum, ſomno ſopiebat palleſcentem puellam, quo etiam ſatis profundo per duas horas detinebatur; his vero elapſis vis morbi redibat, & notabiliter increbeſcebat, vox deficiebat, mentis non erat compos, ſed ab eadem deſerebatur, imo animo prorſus linquebatur, vomitibusque bilioſis, motibus epilepticis & graviſſimis artuum & trunci contorſionibus miſerandum in modum excruciabatur. Facies erat ſumme pallida, oculi turbidi atque obſcurati, admodum detorti & fere inverſi, dentibus frendebat, linguam mordebat, aderatque ſimul ſingultus frequens, maxillarum conſtrictio ſpaſmodica & alvi dejectio involuntaria; pulſus erat modo durus, modo undoſus, modo magnus, tum frequens, corpusque totum frigeſcebat. Nec ſilentio prætereundum eſt, miſeræ latus dextrum longe multumque violentius atque vehementius motibus convulſivis exagitatum fuiſſe ſiniſtro. Adplicabantur, ſuaſu amici, fotus ex ſpeciebus reſolventibus cum vino decoctis, nec non ad promovendam diſcuſſionem ſpasmosque moderandos ex ejusdem conſilio balſamum vitæ Hoffmanni, itemque etiam liquor ejusdem mineralis anodynus, quantum fieri poterat, interne adhibebatur, ſed fortuna plane adverſa, ſiquidem non ſolum motus epileptici graviores reddebantur, ſed & reliqua modo recenſita ſymptomata majori gradu atque vehementia urgebant.

Rebus ſic ſtantibus ego tandem in conſilium vocabar, cumque animadverterem, quod fotuum prædictorum applicatio multum temporis requireret atque tarde admodum

ſuccederet, ſuaſi potius, ut linteamina admodum calida & fere fervida circa totum non modo caput, maxime vero partem læſam, verum etiam circa manus & pedes totamque corporis peripheriam, quotiescunque fieri poterat, imponerentur & adplicarentur, ac ſedulo ſemper alia iisdem ſubſtituerentur. Hac ratione motus ſpaſtici notabiliter mitigabantur & ab impetu ſuo remittebant; oblatum itaque fuit infuſum herbæ Theæ quam calidiſſime, ſubjungendo ſimul ſequentem pulverem: Rec. tartar. vitriol. Tachenii, ita præparati, ut ad ſtatum magis alcalicum accedat, partes duas, rad. Vincetoxici pulveriſat. partem unam, M. Cum vero vomitu hic pulvis ſtatim rejiceretur, uſum ejus poſt horæ quadrantem repetere juſſi, ſubjuncto laxante, ex rad. Jalapæ Rhabarbaro & Aloe ſuccoterina ſucco citri correcta, poſteaque quolibet trihorio pulverem ex tartar. vitriol. Tachenii priori modo parati & ſalis ammoniaci depurati ana gr. vij. compoſitum exhibui, fotusque præcalidos ſimul conſtanter atque perpetuo, maxime loco depreſſo, applicando. Rarius hinc ſequenti nocte ſpaſmis adfligebatur infirma, licet ob inquietudinem frequens fuerit corporis jectigatio, alvus etiam bis tantummodo leniter ſolvebatur; horis tandem matutinis loqui volebat, lingua vero hæſitante & titubante ſolummodo balbutiebat, inſimulque ingens quandoque accedebat æſtus, modo paululum quidem remittens, brevi autem poſt ſtatim denuo recurrens. Externe itaque ſequens linimentum ſpirituoſum calide applicantum ordinabam: Rec. Aquæ Anhaltinæ, ſpiritus matricalis ana ℥ij. ſpiritus vini camphorati ℥j. Eſſent. Succini ʒj. Eſſent. Croci ʒß. interne vero pulveres ſuperius allegatos, ex tart. vitriol. magis alcalino & rad. Vincetox. paratos continuare præcipiebam. Cum vero periculum magis adhuc urgeret & excretio alvina nondum ſufficienter ſuccederet, denuo idem ſequenti mane exhibui laxans remedium, unde tandem congeſtio atque colluvies

ſtagnan-

ſtagnantium humorum efficacius a capite derivabatur, inprimis quoniam partes viſcidiores, præmiſſo uſu tartari vitriolati, magis jam reſolutæ & ad faciliorem receſſionem aptiores redditæ erant. Quamprimum ergo hoc laxans remedium vires ſuas exſerebat, ſtatim quoque loquela redibat, ab initio quidem debilis ac obſcura, mox vero clarior magisque articulata. Conquerebatur vero de vertigine tenebricoſa, caligine oculorum & obſcuratione viſus, inſigni virium proſtratione, motus impotentia, capitis gravitate ac dolore, nec non tenſione & preſſione in loci depreſſi parte interna, memoriæ læſione mentisque errore. Aderat proin ſumma proclivitas ad iracundiam, nauſea ciborum, ſitis, ſomnolentia ac paralytica totius lateris ſiniſtri reſolutio, ſuperſtite adhuc maxime pallido faciei & totius corporis colore, quemadmodum etiam motus ſpaſtici quandoque recurrebant; aſt, ſingula hæc ſymptomata ſub continuatione prædictæ methodi & inprimis pulveris ex tartaro vitriolaro & ſale ammoniaco parati, quo potiſſimum partes viſcidiores maſſæ ſanguineæ attenuantur, reſolvuntur, inciduntur & abſterguntur, poſtmodumque interpoſitis & repetitis laxantibus ſucceſſive eliminantur, optime tandem, divina adnuente gratia, profligabantur, noſtraque ægra morti jam ſatis vicina, tandem, mitigatis etiam inſultibus febrilibus, uſu pulveris ex nitro depur. lapidibus cancror. antimon. diaphoret. ſuccino præparato, Coralliis rubr. præpar. & rad. contrajervæ compoſiti & veſpertinis maxime horis exhibiti, priſtinam integram recuperabant ſanitatem. Animadvertebatur equidem poſt aliquod tempus intumeſcentia quædam fungoſa ſub cute cranii, in loco affecto, unde mixturam ſequentem ſpirituoſam externe frequentius huic regioni admovendam, præſcripſi: Rec. Aquæ Anhaltinæ, ſpiritus matricalis, ana ℥ij. Spiritus vini camphorat. ℥j. Eſſent. Succini, Myrrhæ balſamicæ, ſpiritus ſalis ammoniaci vinoſi ana ʒvj.

Inter-

Interne vero ſuperius jam recenſita remedia denuo in uſum vocabantur, hacque ratione non ſolum fungoſa illa ibidem prognata excreſcentia ſucceſſive abſumebatur, ſed & depreſſa cranii portio tandem ſponte iterum elevabatur, ipſumque ſic cranium priſtinam ſuam ordinariam recuperabat figuram.

(Erfordia Halam miſſa d. 7. Septembr. 1746.)

OBSERVATIO CIV.

Dn. D. CHRISTOPH. CONRADI SICELII.

Continuatio obſervationis LXXIX. Volum. VII. horum Actorum, de aſthmate ſicco per uteri hæmorrhagiam mitigato in fœmina octogenaria, cum eventu tandem lethali.

Vetula illa, cujus pathemata morbida fuſius deſcripta exhibui in Obſervatione allegata, per intervalla poſtmodum, non tamen adeo copioſe, hæmorrhagiam uterinam experta eſt, menſtruis quaſi periodis, diutius durantem, & interdum paucis ſaltim diebus ceſſantem, interdum longiora intervalla ſervantem, hunc tamen peculiarem effectum ſimul inferentem, ut ſub largiori ſucceſſu ſemper liberior & facilior, ſub diuturniori autem emanſione, & ceſſatione ſemper difficilior fuerit reſpiratio, licet non plane aſthmatica, uti alias ſemper duraverat. Temporis autem ſucceſſu in corpore antea obeſo maraſmus ſenilis, cum tuſſi vere phtiſica, purulenta, accedente febre lenta, ingruebat, aſthma etiam de novo tanta ſubinde ſumſit incrementa ægrotamque adeo afflixit, ut coram menſa, brachiis in eadem expanſis & iisdem ſuffulta, noctu præcipue, ſtare debuerit, ut reſpiratio hoc modo quadantenus

ſublevaretur. Hæc omnia inſigni cum patientia ſuſtinuit noſtra, ſine medicatione, donec menſe Februario ejusque die XXI. & præcedentibus anni MDCCXLIV. tuſſis plane ſubſtiterit, vel ſaltem mucoſo-purulentam materiam plane non amplius vel admodum difficulter ejicere valuerit.

Per tres integras ſeptimanas hactenus ſponte ceſſaverat uterinum illud profluvium & hoc tempore non niſi maculas quasdam exiguas in induſio aliquando obſervaverat. Quoniam vero ob ſummam reſpirandi difficultatem continuamque tuſſim nullum amplius capere potuit ſomnum, appetitus etiam ſucceſſive prorſus evanuit, ideo corpus, antea per hæmorrhagiam illam chronicam, annoſioribus fœminis minime ſolennem, ſanguine laudabili maxime exhauſtum, marcore magis conſumebatur, augeſcente inſimul febre lenta cum phthiſi, ut lenta omnino mors imminere videretur, quam idcirco patienter potius exſpectandam eſſe duximus, abſtinendo a copioſiori & ſub hoc rerum ſtatu prorſus inutili medicamentorum farragine. Commendata itaque ſunt juſcula carnium ſalubrium, quæ tamen in parciori ſaltem quantitate adſumere poterat; interponebantur etiam partim decoctum avenæ excorticatæ tenuis cum ſaccharo, aqua roſarum & butyro paratum, partim gelatina Cornu cervi, itemque julapia, ex aquis deſtillatis florum acaciæ, tiliæ, liliorum convallium, hyſſopi, meliſſæ, cum ſyrupo violarum, nec non emulſiones, ex his aquis cum ſemine cardui Mariæ & amygdalis dulcibus paratæ, quibus ſimul interponebantur elixirium pectorale WEDELII & pulvis ejus pectoralis reſolvens, pauca quantitate cum ſaccharo & ſpermate Ceti remixtus. Interim ab eo tempore, quo ſomno fere omni deſtituta fuit ægra noſtra, quod ad ſemeſtre ſpatium nunc proxime accedebat, inſimul quoque guſtus fuit depravatus, ita ut ſaporem vel nullum, vel putridum & plane adverſum conſtanter in ore habuerit, cum appetitu penitus

proſtrato. Hic ſapor a ventriculi prava concoctione & ab ulcere pulmonum procul dubio derivandus erat, ne dicam, quod in ſenibus omnes ſenſus, & ſic etiam ſapor, deficere ſoleant. Exeunte tandem Februario menſe, rediit quies cum ſomno aliquali, decumbere etiam in lecto iterum potuit ægra, reſpiratio liberior evadebat, inſimulque tuſſi de novo rejecit materiam pituitoſo-purulentam, licet non ſine multis ſcreatibus, alvus etiam reſpondebat quidem, ſed ſiccior erat, vires vero, his non obſtantibus ita imminuebantur, ut continuo decumbere vel ſedere coacta fuerit. Continuabatur in ſpecie uſus emulſionis & ad ſaporem adverſum corrigendum cortices citri, cardamoma minora & cinnamomum ſubinde maſticabat & in ore detinebat, interpoſitis etiam rotulis berberum, itemque corticibus citri & aurantiorum conditis, hocque in ſtatu, augeſcente ulterius maraſmo, vitam ſatis moleſtam adhuc protraxit usque ad diem XXI. Junii, quo placide tandem exſpiravit.

OBSERVATIO CV.

Dn. D. CHRISTOPH. CONRADI SICELII.

De

Iſchuria gravi & pertinaci per X. dies durante, in urinæ profluvium continuum & immodicum terminata cum eventu lethali.

Fœmina a juventute ſua valetudinaria, XXXIX. annorum, quatuor liberorum mater, temperamenti melancholico-ſanguineo-phlegmatici, rheumaticis defluxionibus ſemper obnoxia, in dextro latere, & quidem in regione hypogaſtrica ſuperiore hactenus jam per longum tempus tumorem ſenſit valde dolentem, qui ſub tuſſi ſemper magis adhuc protrudebatur, cujusque dolores tandem ſeſe extenderunt

verſus lumbarem dextram regionem & circa renem, cum vomitu ſubſequuto. Urina, quæ ultra IV. hebdomadum ſpatium ſub cura empirici, nigra & ſanguinea ſemperque notabili in quantitate prodierat, plane nunc erat ſuppreſſa; alvus quidem adhuc reſpondebat, ſed tamen ſegnis & ſicca magis erat. Lactat jam infantem unius anni, atque ſub hoc tempore, uti fieri ordinarie ſolet, menſes non vidit. Tumoris hujus inflammati, in abſceſſum tranſituri, nec non calculi latentis non exigua aderat ſuſpicio: Hactenus quidem præternaturalis nullus obſervabatur calor, eratque ægra potius pallida & ad contactum frigida; quemadmodum etiam abdomen nec tenſum, nec tumidum deprehendebatur. Die igitur XXVIII. Martii anni præterlapſi in conſilium vocatus, tempore æquinoctiali jam præterlapſo & venæſectione nondum celebrata, aptam occaſionem, eandem, præmiſſis pedum frictionibus & pediluvio, in pede dextro inſtituendi, ſtatim in mali principio prætermittere nolui, quoniam non ſolum imminentes optime præcavet inflammationes, ſed & calculi forſitan latitantis, faciliorem per ureteres tranſitum & demum exitum adjuvat. Statim igitur ſanguinis intenſe rubicundi unciæ ſex emittebantur, & quoniam illo die alvum non reddiderat, inſimul veſpertinis horis clyſter injiciebatur ex lacte cocto cum Veronica, floribus chamomillæ vulgaris, meliloti & papaveris rhœados, addita ſacchari modica portione; non minus quoque fotus cum lacte, in quo ſimiles ſpecies decoctæ erant, mediante veſica lateri dolenti & præcipue tumori ac pubis regioni applicabantur, præmiſſa antea inunctione harum partium cum oleo chamomillæ cocto, cui pauxillum olei deſtillati ſuccini & anethi, nec non camphoræ quicquam admixtum erat.

Dolores, qui ad manus contactum ſemper augebantur, interdum penitus ceſſabant, ut ægrota dormire valeret, interdum autem quaſi per paroxyſmos recurrebant & denuo

 inva-

invaleſcebant. Interne igitur exhibitus fuit pulvis antiſpaſmodico-diapnoicus & reſolvens, ex nitro depurato, tartaro vitriolato, antimonio diaphoretico & lapidibus cancrorum præparatis, cum pauxillo cinnabaris, compoſitus, qui cum emulſione, ex ſeminis Violarum ℥ß. & aquarum Chærefolii & Chamomillæ vulgaris ana unciis tribus parata & Syrupi papaveris albi tribus drachmis edulcorata, ſumebatur.

Mane ſequentis diei, qui erat XXIX. Martii, referebatur, quod clyſter primus, licet per tres horas intra inteſtina ſubſtiterit, ſolus tamen excretus iterum ſit, ſine excrementis. Alter itaque ſtatim hodie matutinis horis injiciebatur, qui excrementa pauca arida, globulorum ad inſtar forte ex infima inteſtini coli regione eduxit, ne guttula autem urinæ hactenus eſt excreta, licet niſus quidam lenis, ſed fruſtraneus, aliquando adſit ad eandem excernendam. Dolores leniores viſi ſunt in latere dextro & per intervalla hac nocte dormivit. Ex his ergo circumſtantiis judicavi, quod præter tumorem illum, probabiliter in meſenterio hærentem & ſine dubio in apoſtema tranſeuntem, ſeorſim etiam affectus ſit ren & ureter dexter, dum interim ſiniſter ſaltem per conſenſum ſpaſtice conſtrictus, urinam pariter debite ſecernere non valet. Pondus plane nullum ſentit ægra in regione pubis, neque in peritonæo, neque in urethra adſunt dolores. Præter allegata itaque medicamenta, uncia dimidia olei amygdalar. dulc. cum gutt. XX. ſpiritus nitri dulcis, in jure carnis bubuli calido binis vicibus adhuc porrigebatur.

Pomeridianis dein horis tertius clyſter ex iisdem ſpeciebus cum ſero lactis coctis, adjectis olei lini expreſſi quatuor unciis & drachma una nitri antimoniati, injectus fuit. Vapor etiam temperate calidus admiſſus ad abdomen a decocto quodam ex herba origani, floribus chamomillæ vulvulgaris, ſambuci, baccis juniperi & ſemine lini, parato. Circa veſperam dein ſuppoſitorium, clyſtere iterum absque

effectu

effectu rejecto, adplicatum fuit, ex melle, ſapone & pauxillo ſalis confectum, quod ſtimulando inteſtinum rectum effecit, ut flatus una cum paucis excrementis fuerint exturbati. Conceſſi etiam ægrotæ petenti adplicationem epithematis calidi, ex cepis & herbis recentibus chærefolii & petroſelini, in butyro frixis, parati, quod umbilico, pubi & perinæo impoſitum, urinam certiſſime promovere dicitur, ſed & hoc nullum præſtitit effectum.

Ut ergo magis adhuc moveretur alvus & cum ea, uti alias ſæpiſſime fieri ſolet, etiam urina ſimul provocetur, die XXX. Martii ſequentem potiunculam laxantem exhibui: Rec. Mann. Calabr. ℥ij. Cremor. tartari ʒiß. Nitr. antimon. ʒj. Solve in aquæ chærefolii ℥v. Colaturæ adde Eſſent. cort. aurant. ʒß. olei expreſſi amygdal. dulc. ʒvj. M. F. potiuncula, quæ duabus diſtinctis vicibus, intervallo duarum horarum, cum jure carnis bovinæ oblata fuit. Non minus quoque ſequens infuſum theeforme præſcribebatur: Rec. rad. pareir. brav. ʒv. liquirit. ʒiij. herb. arnicæ veræ, veron. ana manip. j. flor. ſambuc. chamomill. vulg. ana p. ij. baccar. alkekeng. ʒiß. Conciſ. & cont. groſſo modo. D. ad Chart. Catheter hodie bis fruſtra applicatus inſimulque veſica vacua deprehenſa fuit. Sequente nocte dormivit quidem per intervalla, adfuerunt etiam conatus ad deponendam alvum, ſed fruſtranei, unde ſibi ipſi applicuit ſuppoſitorium, cujus ope etiam reddita fuerunt ſcybala primo craſſa, & dein tenuiora & aquoſa. His vero non obſtantibus, quum abdomen magis, quam antea, tumidum & inflatum adpareret, dolorque ſub hypogaſtrio & in regione lumbari augeri videretur, ultimo die Martii balneo tepido ægrotam immittere juſſi, quod ex aqua dulci, cum herbis malvæ, parietariæ, flor. chamomillæ vulgaris, meliloti, ſambuci, baccis juniperi, ſemine lini & carvi, in quantitate ſatis notabili additis, parabatur. In hoc balneo per horulam commorata eſt

absque ullo incommodo: Senſit quidem eo tempore niſum aliqualem, ſeu ſtimulum quaſi ad reddendam urinam, ſed præter lenem quendam ſudorem, nihil prodiit. Datum iterato fuit oleum amygdalar. cum ſpiritu nitri dulci nuptum, ſimulque ſequens præſcriptus pulvis: Rec. Nitri depur. ℨß. ſalis geniſtæ, arcani duplic. ana ℈j. antim. diaph. ſemin. lycopod. cinnabar. præpar. ana grana xv. camphoræ grana duo. M. F. pulvis, divid. in V. partes æquales. Cum his pulveribus alternatim exhibita eſt tinctura tartari, cum ſpiritus nitri dulcis & eſſentiæ arnicæ veræ anatica portione compoſita, ad guttas XL. pro doſi, horis convenientibus. Præter fotus nominatos & continuatos oleum lini etiam veſicæ incluſum hypogaſtrio & regioni dextræ lumbari calide applicabatur, facta prius illinitione cum oleo Scorpionum. Amicus ægrotæ ſuaſit tunc decoctum bromium Loweri, potus loco bibendum, quod lubens conceſſi, atque ex avenæ puræ & lotæ ℥vj. radicis cichorei ℥ß. & nitri antimon. ℨij. cum menſur. vj. aquæ ad dimidium decoctis, parari curavi. Retulit etiam tunc ægrota, ſe jam recordari, quod ante biennium circiter de ſella paulo elatiore, quam conſcenderat, in latus illud dextrum, ubi dolor jam potiſſimum urget, delapſa fuerit, unde haud vana oritur ſuſpicio, tumorem dolorificum, procul dubio in meſenterio hærentem, tunc temporis prima ſua ibidem jam poſuiſſe fundamenta.

Interim cum omnia in eodem perſeverarent ſtatu, nihilque levaminis primo die Aprilis a prædictis medicamentis ſentiret ægrota, altero hinc die potiunculam laxantem repetere juſſi, a cujus uſu etiam ſexies alvum depoſuit, aſt ne guttula quidem urinæ ſimul prolabente. Ad avertendas igitur internas viſcerum inflammationes & ad ſpaſmos leniendos, binos exhibui illo die pulveres, ex pulveris antiſpaſmodici ℈ij. antimonii diaphoretici ℈ß. camphoræ granis duobus & olei chamomillæ vulgaris veri guttula unica compo-

ſitos,

ſitos. Omnibus vero ſub his circumſtantiis nihil boni præſagientibus, huc usque tamen nondum obſervatus fuit calor quidam præternaturalis, ſitis tamen magis nunc urget, quam diebus præcedentibus & anxietates augentur, forſitan ob abſceſſum ad maturationem magis tendentem, aut potius retentum urinoſum laticem, nunc per maſſam ſanguinis copioſius ſeſe diffundentem. Lactat interim adhuc infantem, neque etiam lactis notatur defectus, quia ſerum retentum etiam ad mammas magis defertur.

Die III. Aprilis multam materiam mucoſo-ſanioſam, etiam in fruſtulis, excrevit per alvum, inſtar albuminis ovi. Probabile omnino eſt, multum ſeroſi laticis per glandulas inteſtinales ope ſalinorum & laxantium remediorum ſimul removeri. Loco pulverum hactenus exhibitorum, tam variationis, quam efficacioris operationis gratia præſcripta fuit ſequens potiuncula: Rec. Aquæ millefol. chærefol. flor. ſambuc. ana ℥iß. nitri depur. tartari vitriolati ana ʒß. ſalis geniſtæ, magneſiæ albæ, ſem. lycopod. ana ℈j. milleped. præparat. gr. xv. Syrup. dialth. Fernel. ℥ß. M. Hactenus per tres dies multi excluſi ſunt flatus, eximio cum levamine, & ipſa ægrota putabat, ſtatum ſuum jam tolerabiliorem eſſe, ſiquidem etiam abdomen ab excluſis flatibus & fecibus alvinis valde erat molle. Aſt pomeridianis horis increbeſcebat iterum imbecillitas, pulſus deprehendebatur admodum debilis, pedes ſubinde frigidi erant, accedebant anxietates, & liquidas iterum depoſuerat feces absque ulla urinæ excretione. Jubebam, ut interponeret ordinariis medicamentis quandoque cochlear unum roob juniperi & concedebam uſum aquæ hederæ terreſtris, quam valde ipſi commendaverant amici.

Die IV. Aprilis adſumſit duos pulveres ex pulveris antiſpasmodici ℈ij. antimon. diaphor. milleped. pulveriſat. ana ℈ß. & camphor. gr. j. compoſitos, bis quoque exhibebatur oleum

oleum amygdal. dulc. cum ſpiritu nitri dulci remixtum. Præterita nocte & horis matutinis guttulæ aliquot urinæ prodierunt, ſentitque interdum adhuc ægra conatus ad mingendum. Poſt meridiem valde conquerebatur de doloribus in tumore verſus renem dextrum tendentibus. In latere ſiniſtro nullos plane ſentit dolores, & tamen idem ren vel ſimul conſtrictus eſt, vel alia ex ratione urinam neque ſecernit, neque ad veſicam dimittit. Clyſma ex herba veronicæ, flor. chamom. vulg. Sambuc. calcatrippæ, baccis juniper. & ſemine carvi cum lacte paratum, additis butyri recentis ℥iij. & mellis crudi ℥j. applicari curavi, quod poſt tres demum horas iterum prodiit, ſine peculiari levamine & ſine excrementis conjunctis aut ſubſequentibus.

Die V. Aprilis, Prægreſſa nocte multos perpeſſa eſt in latere dextro dolores, parum dormivit, nullam reddidit urinam, ter vero alvum depoſuit, & feces pituitoſo-purulentas admodum fœtidas excrevit. Jura carnium cum ulterius aſſumere detrectaret, ideo ob increbeſcentem virium imbecillitatem offerebatur ſaltim potiuncula confortans & antiſpaſmodica, ex aqua flor. lilior. convall. ſine vino, tiliæ, meliſſæ, chærefol. ana ℥ij. lilior. convall. c. vino, Syrup. crot. citr. ana ℥ß.

Præſcriptum quoque fuit decoctum emolliens, reſolvens & diureticum, ex hordei mundi manip. j. rad. altheæ, liquirit. cicer. rubr. ana ℥ß. flor. papav. rhœad. Mß. Sem. malvæ, altheæ, milii Solis ana ʒij. Semin. iv. frigid. major. recent. ana ʒj. Caricar. pingu. No. viij. Sebeſten No. vj. Coquebantur hæ ſpecies in aquæ ſimpl. & puræ menſ. iij. ad conſumtionem tertiæ partis, & colaturæ addebantur Syrup. capillor. Veneris ℥ij. De hoc decocto ſingulis tribus horis uncias ad minimum tres aſſumere debuiſſet, raro autem fecit; ejus tamen in locum amygdalinum oleum lubens adſumſit.

Die

Die VI. Aprilis nunciabatur mihi, quod nocte praecedente lipothymia quidem correpta, brevi autem poſt odoramento ex ſpir. baſiliconis minoris excitata, de reliquo tamen valde debilis & inquieta fuerit. Urina quoque, aquæ inſtar pellucida, hac nocte & verſus diluculum fluere incepit, immodico autem & continuo effluxu in lectum quaſi effundebatur, atque adhuc hora IX. antemeridiana, qua ægrotam viſitavi, profluebat, ipſaque illa putabat, quod ad dictum usque tempus ultra quatuor, ad minimum menſuræ excretæ fuerint. Pulſus interim erat inordinatus, nunc fortior, nunc debilis. Febricula autem hactenus latens jam magis in conſpectum prodibat, dum modo horripilationes, modo phlogoſes ſatis notabiles occurrebant. Nulla vero amplius adſumebat medicamenta, præter potiunculam modo adductam confortantem. Circa noctem vires quadantenus colligere & alacritatem qualemcunque recuperare videbatur ægrota; urina vero per intervalla adhuc profluebat copioſe. Sub morbi initium occurrebat quandoque tuſſis ſicca; ante aliquot autem dies pituitam, & nunc plane pus per tuſſim rejecit. Manifeſte etiam nunc increvit calor febrilis cum pulſu celeri & forti, unde hoc die binas menſuras cereviſiæ tenuioris ebibit; ſequente vero nocte, omnibus incaſſum tentatis, ſine dubio ex meſenterii apoſtemate rupto & viſcerum, præcipue vero renum & ureterum ſtatu ſumme depravato, placide obiit, ſicque lethalis hic eventus confirmavit, profluvium illud urinæ, ut ut admodum copioſum, magis tamen ſymptomaticum & paſſivum, quam criticum fuiſſe.

(Nordhuſa Halam miſſæ d. 12. Octob. 1746.)

OBSERVATIO CVI.

Dn. D. HENRICI FRIDERICI DELII.

Uvula duplex.

In tanta rerum diverſitate duo objecta quærere, perfecte ſibi invicem ſimilia, idem foret ac dealbare æthiopem. Firmo nititur principium indiſcernibilium talo. Corpus humanum ſymbolum ſuum adfert. In diverſis non dantur iidem motus, non eadem motuum inſtrumenta. Conformatio varia deprehenditur partium. Patet interdum defectus *muſculorum pyramidalium, proceſſus vermiformis, unius vel alterius renis ſuccenturiati, plantaris muſculi*, &c. Interdum in largiendis partibus natura nimis benigna fuit. Circa *uvulam* idem obſervavi:

Vir annorum aliquot ultra ſexaginta, per vitam nullo notabili morbo vel ſontico decumbens, *ileo* tandem adfligitur. Excrementa ſurſum projicit. Ex nimio vomitu fit muſculorum pharyngis reſolutio. Partes vicinæ etiam dolent. Loquela intercipitur. Antea autem jam traulus (*ſchnarrend*) fuit. Jam præter alia adhibita medicamenta etiam faucium inflammationi medendum erat. Gargariſmata & injectiones per ſyringam in uſum vocabantur. Ore hac ratione aperto uvula, alias inter tonſillas pendens, non obſervanda erat. Ab utroque potius latere proxime ad quamque tonſillam peculiaris uvula cernebatur. Interrogatus ægrotus, utrum alias anginoideis congeſtionibus obnoxius fuerit, vel ex quacunque occaſione uvulam diſruptam eſſe in memoriam revocare poſſit; prius negat, alterius non meminit. Neque jam per vomitum uvula diſrupta erat. Ambæ enim uvulæ, præter inflammationem, integræ & ſine vulnere conſpiciebantur. Ergo quod traulus fuerit duplici

uvulæ adſcribendum videtur. Inquirendum ceterum foret, utrum trauli alii uvulæ vel tonſillarum vitium habeant. Noſter antea ſe uvula duplici præditum fuiſſe neſciebat, donec occaſione inflammationis palati iſta detegeretur. Ex ileo tandem mortuum cultello anatomico ſubjicere impetrandum non erat, hinc doleo determinari non poſſe, utrum duplicis uvulæ muſculi duplices etiam inventi fuerint.

OBSERVATIO CVII.

Dn. D. HENRICI FRIDERICI DELII.

Ureter duplex.

Vulgus rhachiticos infantes, tibiis incurvatis incedentes, artubus duplicatis præditos eſſe falſiſſime autumat. Interim greſſum eorundem titubantem inde derivant, dicentes, *ſie haben doppelte Glieder*. Licet autem his næniis nil vilius ſit, duplices tamen obſervari humani corporis partes, obſervatio præcedens monſtravit. Berolini in theatro anatomico ſceleton procerum videre eſt, in quo XXV. vertebras numeramus. Lienem olim quaſi ſuccenturiatum vidi in omento hærentem, & per vaſa ſanguifera cum liene vero communicantem. Ductum thoracicum bifidum fuiſſe ex ejusdem vulnere, durante tamen nutritione, obſervatum aliquando fuit. In vaſis ſanguiferis notiſſima eſt diverſitas. Quatuor & quinque rami ex arcu aortæ aſcendentes viſi ſunt. Unus ex his recta via cum trachea aſcendebat, glandulæ thyroideæ incumbebat, tandemque per os internum, nec non per labia diſtribuebatur. Hiſce obſervationibus aliam adjungo.

Juvenis, neſcio quo morbo extinctus, diſſectioni anatomicæ tradebatur. Cum renes præpararem, dextri renis pelvis admodum arctus primo videbatur. Remota autem pau-

liſper ſubſtantia cellulosa alter adhuc ſaccus apparebat. Ex pelvi itaque duo ureteres procedebant, qui, ulterius indagati, proxime ante inſertionem in veſicam urinariam iterum coibant. Ceterum circa hanc reunionem veluti in reliquo ureteris decurſu valvulæ non erant obſervandæ.

OBSERVATIO CVIII.

Dn. D. HENRICI FRIDERICI DELII.

Sternutatio admodum frequens cum ſingultu in febre maligna feliciter tandem decurrente.

Virgo XVIII. annorum, habitus corporis floridi & ſucculenti, rite antea menſtruata, poſt vagam artuum gravitatem cordisque vehementes palpitationes lectum demum petit. Horrores adveniunt, quos æſtus febrilis ſummus excipit. Primum ſtatim paroxyſmum comitantur deliria. Tertio die vena ſecatur. Nullum inde emolumentum. Circa veſperam deliria redeunt. Præſcribo potionem ex aqu. Scord. Ceraſor. flor. ſil. Galeg. Rub. id. nitro dep. conch. citrat. antim. diaphoret. ſpec. de hyacinth. & ſyr. acetoſ. citri. Pectus dolere videtur, ſequitur exſcreatio per bronchia catarrhalis. Additur potioni extracti Bellid. ſcrup. unicus. Deliria ceſſant. Septimo morbi die prodit ſudor parcus, ſine euphoria. Offertur horis matutinis Eſſ. Pimpin. alb. Vincetoxic. Scord. Caſcarillæ, pomeridianis vero pulvis e nitro depur. matre perl. lap. cancr. citrat. antimon. diaphoret. & Cinnab. Paroxyſmus veſperam verſus redit, æſtus autem vix ſenſibilis, pedes præcipue frigent. Octavo die menſtrua fluunt, nono iterum ſubſiſtunt. Efflorescentia petechizans circa collum & pectus obſervatur. Undecimo die paroxyſmus cum rigoribus & tendinum ſubſultibus inchoatur. Potionibus diapnoi-

cis & temperantibus additur aqua flor. Pœon. & pulvis epilept. March. Duodecimo ſpaſmi colicis ſimiles abdomen occupant. Singultus viceſies ſe ſe invicem excipientes adſunt, bis vel ter per diem recurrentes. Poſt ſingultus loquela præcluſa eſt, anxietas ſumma, mens tamen conſtans. Optimum autem levamen affert cruſta panis vino imbuta & pulveribus cinnamomi & caryophyllorum conſperſa, ſcrobiculo cordis impoſita. Per duodecimum diem ad decimum tertium usque euphoria obſervatur, decimus quartus anginoideas congeſtiones ſecum fert, gargariſmatibus conſuetis autem cedentes. Decimo quinto pruritus narium vehemens, ſine hæmorrhagia narium, ſternutationes aliquot cum vehementi totius corporis concuſſione poſt ſe relinquens. Scrobiculus cordis admodum dolet. Panis vino imbutus & aromatiſatus levamen adfert. Potiones analepticæ & pulvis nitroſus, abſorbente citrato, dente apri ppt. & antimon. diaphoret. junctus, in uſum vocantur. Die decimo ſeptimo ſudore copioſo ægrota fere diffluit. Urina ſubturbida. Paroxyſmus a vigeſimo ad vigeſimum octavum diem verſus veſperam quotidie rediens, cum tremoribus incipit. Pectus oppreſſum, loquela nulla. Tum ſternutatio plus ſexaginta vicibus repetita in una horulæ minuta invadit. Totum corpus vehementiſſime concutitur. Abſoluta ſternutatione lypothymia. Tum ſingultus quaterdecies erumpens. Per ſeptem dies hæc luditur ſcena. Alvus quarto ſemper die tantum aperta. Per iſtos dies, quibus enormes ſternutationes aderant, pulveribus temperantibus lapidis bezoar orientalis grana iij. pro doſi addidi. Tum morbi & ſymptomatum remſſio. Tranſpiratio poſtea larga ſuccedit, interdum ſudor acidum olet. Noſtra per hypocauſtum obambulat. Quinta demum hebdomade aëri paulisper ſe ſe exponit. Jam faſcia frontali (*Stirn-Band*) quam per morbi decurſum geſtaverat, deſtituta, confeſtim iterum in tremores incidit, ſequuntur vehementiſſimæ ſternutationes

 & ſina-

& ſingultus, ambo plus centies intra perbreve temporis ſpatium recurrentes, & animum & corpus magnopere gravantes. Readſumta autem faſcia frontali inſultus ſternutatorii ceſſant. Jam pro febris curationis colophone laxans cum ſucceſſu exhibebatur, menſtruus autem fluxus hucusque ſuppreſſus erat. Quarta ergo poſt perpeſſam febrem hebdomade priſtinus morbus denuo appropinquare ex ægrotæ judicio videtur. Deliria enim per noctem interdum furioſa adſunt. Dolores colicis ſimiles vehementes & continui. Ego autem pro motibus hæmorrhagicis hæc reputans, menſibus deſtinatis, offero potionem, ex aqu. Meliſſ. cum vino, puleg. cinnam. ſ. v. ſyrup. cortic. aurant. cum qua ſumebatur mane elixirium e gummatibus reſolventibus & extractis balſamicis cum aqua meliſſ. c. v. paratum, cum Eſſ. adianthi albi & millefol. & a meridie pulvis temperans nitroſus. Hac ratione quarto die menſium excretio aderat, & noſtra ſumma euphoria denuo gaudebat.

EPICRISIS.

1. In ſternutatione, monente BOERHAAVIO, primo titillationem ſub oſſe cribroſo, deinde etiam circa diaphragma obſervamis, actutum ſequitur muſculorum thoracis & abdominus convulſio. In ſingultu convellitur etiam diaphragma. Habent ergo ſternutatio & ſingultus id commune, ut diaphragma fortius moveatur, & quidem modo convulſivo. Hinc non raro ſingultus & ſternutatio ſeſe invicem excipiunt. Et HIPPOCRATES *Sect. VI. Aphor. 13.* ſternutamenta ſingultum ſolvere docet.

2. Non ex ſpeciali nervorum communione, ſed magis ex communi nervorum origine adfecta ſternutationem derivat HALLERUS, veluti ex quocunque nervo puncto tetanus ſequitur, *in not. ad Prælect. Bœrh. Vol. IV. p. 65.* Ex uni-

univerſali ergo morbi noſtri apparatu etiam vehementes & frequentes ſternutationes & ſingultus derivo.

3. Scilicet ſubjectum noſtrum erat plethoricum. Sanguis ebulliens & febre adfectus per venæ ſectionem tertio die morbi inſtitutam, adhuc magis turbatus erat. Quid ergo mirum, quod molimina hæmorrhagica per nares & per uterum ſecuta ſint? A ſanguine in vaſculis reſtagnante reniſus ſpaſticus per tremores ſeſe manifeſtans, ortus eſt. Motus convulſivi adfuere, ſternutatio enim & ſingultus convulſiones ſunt. Huc etiam refero excretiones periphericas diebus criticis non manifeſtatas, hinc malignos motus producentes.

4. In malignis febribus præterea ſternutamenta graviora mali ominis fuere. Peſte, Romæ Ann. 1581. graſſante, adfecti, frequentes ſternutationes paſſi ſunt antequam mors ſcenam clauſit. Idem in Peſte Noviomagenſi obſervatum eſt. Hyſtericas autem ſternutationem plurium dierum experiri alias obſervavi. In noſtra ergo febre, ubi negotium menſium complicatum erat, ſingultus & ſternutationis poſſibilitas facilius dignoſcitur. Quo periculoſiores autem alias febriles convulſiones præſertim in morbi ſtatu ſunt, eo majori gaudio his ſuperatis & Medicus & ægrotus adficitur.

5. Corpore adhuc tranſpirante quid facilius fuit, quam motuum ſternutatoriorum recurſus? Senſibilitate individuali adveniente. In *Tentam. XXXIII. Act. phyſ. med. Wratislavienſ. p. 82.* caſum legimus viri, qui ex vaporibus fumi calcarii immodicas ſternutationes contraxit, quæ ſtato tempore poſt anni decurſum rediere, ita ut in una ſerie plus centies ſternutare coactus fuerit.

OBSERVATIO CIX.

Dn. D. HENRICI FRIDERICI DELII.

Concretio viſcerum, a ſcabie retropulſa.

Experimenta per mortes agere Medicos nugarum ſæpius auctor, PLINIUS, olim tradidit. Noſtro autem tempore hac ſuſpicione in tantum liberati, eo nitimur, ut acta per mortes experimenta in aliorum cautionem in lucem protrahantur. Infauſti autem auſus ægrotorum, vel eorum, qui ſacra medicinæ nondum deguſtarunt, ejusmodi experimenta per mortes ſæpius ſubminiſtrant. Loquatur exemplum.

Juvenis duodecim annorum ſcabie magis ſicca per aliquot hebdomades vexatur. Pruritus moleſtiſſimos per univerſum corporis ambitum ſentit. In publicum prodire nequit. Medicum conſulit reſtitutionis cupidiſſimus. Ordinantur infuſa ſanguinem depurantia, laxantia & acredinem contemperantia, ſerioque horum continuatus uſus injungitur. Nimis cito autem meliora deſiderans, unguento, neſcio quo, quod ob egregiam virtutem exſiccantem laudari audiverat, contra Medici præcepta, utitur. Voto effectus reſpondet. Puſtulæ ſcabioſæ exſiccantur. Cutis autem perpetuo corrugata & aſpera conſpicitur. Majorem vero adhuc infeliciſſimi experimenti pœnam luit. Tuſſis ſicca ferina oritur. Corpus macilentum evadit. Abdomen prædurum, appetitus nullus, alvi obſtructio pertinax. Frequentes demum horripilationes febrem hecticodeam poſt ſe relinquunt, ſub qua poſt multa deliria exanthemata, purpuræ æmula, erumpunt, nullo inſequente levamine; emaciatus contra noſter ſeptima ab infelici & copioſa inunctione hebdomade, experimenti pœnam morte luit.

Cultello anatomico ſubjiciebatur cadaver. Removentur integumenta communia, omni fere pinguedine orbata.

Inciduntur muſculi abdominales cum peritonæo, quos autem cruciatim diſciſſos, ad liberius luſtranda abdominis viſcera reclinaturus, impedimentum obſervabam. Firmiter enim omentum, & ex inteſtinis præcipue colon peritonæo adhærebat, ut non ſine dilaceratione ſeparandum eſſet. Separata tandem multis ſordibus & ſanie manus inquinabant. Omentum cum inteſtinis arctius concretum erat, ſimul ac autem, ægerrime illo remoto, tunica inteſtinorum externa in conſpectum veniret, in hac innumera corpuſcula, ſemina milii referentia & ichore repleta, obſervanda erant. Integrum inteſtinorum tractum copioſiſſime occupabat hæc materia, & illa ipſa inteſtina invicem conglutinabat. Duodenum firmiſſime cum hepate concretum erat, ita ut præparationi ductus choledochi, cyſtici & hepatici nullus omnino locus daretur. Meſenterium glandulas præbebat, piſorum, nucum, avellanarum, juglandium, nec non ovorum columbinorum magnitudinem æquantes. Pancreas plane induratum. Hepatis ſuperficiem infinitis glandulis præditam fuiſſe credidiſſes; nihil autem erant, quam minima tubercula, acrem materiam continentia. Color hepatis lividus erat. Margines cum peritonæo partim cum ventriculo concretæ erant. Pars hepatis concava præ ſanie ſtagnante turgebat, vaſaque ſanguifera etiam majora difficillime conſpiciebantur. Lien, præter vaſa brevia, quibus cum ventriculo cohæret, ſpuriſſimo illo glutine, quod reliquorum viſcerum concretionem effecerat, ventriculo arctius jungebatur. In Saniofa iſta materia, valde nauſeoſum odorem præbens, manus etiam ad rubedinem uſque vellicabat. Thorace aperto, pulmones flaccidi complures tophos monſtrabant, bronchia autem & pulmonales veſiculæ eadem materia, ac in abdomine, referta erant. Præterea pulmones cum pleura & diaphragmate fortiſſime cohærebant, & ubi ſeparabantur, copioſam ſaniem plorabant.

Negandum nullo modo videtur, viſcerum concretionem a retropulſa ſcabie ortam eſſe. Retrogreſſa enim materia viſcera & inteſtina copioſiſſime obſidebat, ex ejusdem viſcoſitate novæ fibrillæ ortæ præter naturam viſcera coadunaverant. Sed quo pacto ſcabioſa materia a corporis peripheria ad inteſtina delata eſt? Aut re vera retropulſa eſt, aut quæ excretioni proxima fuit, in partibus internis detenta eſt. Utrumque demum poſſibile fuit. Non novus in medicina terminus eſt *inſpiratio*. Clauſis nimirum vaſculis exhalantibus, a SANCTORIO, LEUWENHOEKIO, HALLERO aliisque optime demonſtratis, exhalanda materia introrſum ſtagnat & abit in corruptionem. Iſta vaſa unguentum adſtringens in peripheria obturavit omnino. Hinc materia adhuc mobilis per reſorbentia vaſa ad ſanguinem iterum rediit, ad eundem locum tandem depoſita, ubi ſerum quotidie ſecerni ſolet.

OBSERVATIO CX.

Dn. D. HENRICI FRIDERICI DELII.

Chordæ in clavichordio ſponte ſonum edentes.

Anno MDCCXXXX. regnante hyeme frigidiſſima, hora XI. veſpertina tres perſonæ in conclavi frigido erant. Spectris ſuperſtitio intra horam undecimam & duodecimam magnam vim tribuit, jamque phantasmata & nos perterrefacere velle videbantur. Clavichordium apertum ſtabat in conclavi, & præter omnem ſpem chordarum ſonum aliqualem percipiebamus. Ridebamus, aſt cum aliquoties id fieret, atque demum videretur, ac ſi quis ſtudio hanc vel illam clavem tangeret, ita ut ſonum interdum harmonicum chordæ ederent, accuratius paulo attendebamus. Quidam noſtrum pro effectu muſcarum, huc illuc & per chordas volitan-

litantium, reputabat; verum cum hyemali tempore muſcæ domicilia linquant, & præterea horis veſpertinis volitare deſinant, neque ulla in hypocauſto obſervari potuerit, motus chordarum ſpontaneus facile pro ominoſo haberi potuiſſet.

Sed ſalva res eſt. Videamus an hunc motum chordarum ſpontaneum phyſice explicare queamus, ita ut lemures & larvas inſontes declaremus.

Calore corpora expanduntur, frigore condenſantur, *per princ. phyſ.* ſed obiicis: Vas vitreum aqua repletum, hyemali tempore frigori expoſitum, rumpitur, hinc corpora a frigore magis expanduntur. Aſt circa ſuperficiem fracti vaſis glaciem multis bullulis repletam obſervabis. Hæ nihil aliud ſunt, quam aër a condenſata aqua ſurſum pulſus. Aëri ab aqua congelata propulſo, ab itidem glacie conſtricta ſuperficie liberior exitus præcluditur, hinc vi elaſticitatis reſiſtentia aufertur, hinc vas rumpitur. Ponamus ergo frigore corpora condenſari, & ad præſentem caſum applicemus.

Interdiu conclave, in quo clavi chordii locus erat, calefactum erat, inde expanſio, ut reliquorum corporum, ſic & chordarum, cum præter ea clavichordium haud procul a fornace poſitum eſſet. Hac veſpera hora undecima nocturna hypocauſtum, januis apertis, admodum frigidum erat ita, ut feneſtræ glacie nitente jam tectæ eſſent.

Per leges ignis ejusdem particulæ ſemper moventur verſus locum frigidiorem, conf. KRUGERI *Phyſ.* §. 245. Chordæ per diem calidæ reddebantur, jam aër ambiens frigidiſſimus erat, movebantur ergo ignis particulæ e chordis verſus aërem frigidiorem. Numne id fieri poterat absque chordarum ipſarum motu ſenſibili, an potius inde chordarum elaſticarum tremulus motus & ſonus oriebatur?

Ex eadem vel ſimili ratione lignea vaſa, frigore conſtricta, crepitant. Memoriæ præterea traditum eſt, quod

 anno

anno MDCCIX. frigidiſſima itidem hyeme, laminæ ferreæ, quibus valvæ munitæ erant, cum ſtrepitu diſruptæ fuerint.

Si itaque ſonus chordarum ſpontaneus ad cauſſas redactus videtur, neque quod per vires corporum poſſibile fuit, pro ſpectrorum ſagarum ſpirituumque familiarium operationibus, neque pro præſagitionibus ominoſis erit reputandum.

(*Wernigeroda Halam miſſæ, d. 4. Nov. 1746.*)

OBSERVATIO CXI.

Dn. D. JO. CHRISTOPH. POHLII.

De

Hydrope ſaccato ab Hydatidibus.

Anatome aliis ſcientiis ad Medicinam ſpectantibus palmam eo potiſſimum nomine præripit, quod, quæ tenebris interdum ſunt obvoluta, intusque in corporibus latent, morbi mortisque cauſas manifeſtet, &, quæ morbo potiſſimum adflictæ fuerunt, partes detegat; quo factum eſt, ut ſcientia medica ex viſcerum perluſtratione majus quotidie nacta ſit incrementum. Hæc diſciplina nos ex defunctis docet, quæ viventibus utilia eſſe poterunt; hac arte efficitur, ut ad demonſtrationis plenam lucem aliquando devenire Medicis certa ſit fiducia, ſi omnes, quas habent, ſingulari morbo defunctorum cadavera perluſtrandi, occaſiones haud prætermiſerint. Singulis enim, qui artem vel docent, vel faciunt, dictum eſt, quod HIPPOCRATEM inter enunciata habuiſſe legimus: Nihil in Medicina perinde, atque verum, eſſe admittendum, præterquam, quod experientia per ſenſus externos confirmaverit a). Sane uſum haud ſpernendum ſectio-

a) *Vid.* de le BOE SYLVII *Diſputat. Medic.* §. 12. *& ſeq. & ejusdem Libr. de Idea nova Praxeos medicæ cap.* 27.

ſectiones cadaverum ſingulari mortis genere extinctorum nobis afferunt. Quamvis enim quod morbos attinet, fixam in humoribus radicem habentes, parum eſt, quod diſſecto cadavere conſpicitur, vel diſcitur; attamen, ſi ad partium ſolidarum morbos animum advertas, anatome nobis ſæpe poſt fata hominis veram morbi cauſam declarat, dum nobis curioſiſſime morbo deſtructorum aliove modo immutatorum viſcerum formas offert, cauſasque manifeſtat, quas nulla ars unquam expugnare poterat. In unico, eoque certe rariſſimo caſu, qui mihi non ita pridem obtigit, pedem figo. Scilicet nupero die VIII. Martii, currentis anni, mihi ſubnata eſt occaſio, inferioris conditionis fœminam, XXVI. annum ætatis ſuæ agentem, trium liberorum matrem, quorum ultimum adhuc utero geſtabat, cultro anatomico poſt fata ſubjiciendi. Fuerat, cum viveret, fœmina ſummis anxietatibus præcordiorum oppreſſa, ſpiritum difficulter traxerat, nullis tamen doloribus vehementer divexata fuit. Sexto ante mortem menſe conceperat, fœtumque nutrivit ſufficienter, quem ſextimeſtrem in ejus utero reperi. Præcox fuit mali incrementum, & ſubito toto ventre intumuit. Abdomen defunctæ externe maxime intumeſcebat, ut ambitu ſuo tertiam ulnam noſtratem excederet, ſupra umbilicum, potiſſimum verſus thoracem, protuberare & acuminari ventrem deprehendi, ut vel cutis in ſuperficie præ nimia extenſione gliſceret. Aperto abdomine, copioſe ſerum, materia purulenta mixtum, maximo cum fœtore promanabat. Supra regionem umbilicalem verſus cartilaginem xiphoideam, incidenda fuit cavitas quædam & veluti alterum quoddam abdomen. Offendebamus enim ſaccum, qui latitudine ulnam duosque pollices, longitudine ulnæ ſemiſſem tresque pollices æquabat. Scilicet diaphragma inter lamellam a peritonœo ortam partemque muſculoſam, eam, quæ utrinque intercedit, texturam celluloſam ſenſim dilatatam habuit vali-

diſſime, ut, quo magis lamina peritonæi verſus abdomen deſcenderet, eo plus diaphragmatis muſculus major & ſuperior verſus thoracis cavitatem retrocederet; quare & thoracis & abdominis viſcera ab enormi iſthoc tumore ſaccato e ſitu naturali receſſerunt inſigniter: nam neque ventriculus, neque inteſtina in conſpectum prodire valebant, quin tam in parte ſuperiori, quam circa latera, ab hoc ſacco tegebantur. Sectione longitudinali usque ad cartilaginem xiphoideam continuata, ex cavitate hujus utriculi hydatides, ne juſto plus dicam, uti videbatur, numero fere bis centum, variæ magnitudinis, (*vid. figura lit. A. Tab. VII.*) & inter eas duæ magnitudine pugni majoris viri, hinc aliæ magnitudine ovi anſerini, gallinacei, columbini, juglandis, vel nucis avellanæ forma, piſique majoris, maximo cum impetu, ſero extravaſato & materiæ purulentæ mixtæ, cum fœtore vix tolerabili, emanabant. Majores, mediæ, minores, minimæ, figura gaudebant ea, quæ ovis familiaris eſt. Quas quidem hydatides eſſe, nullum ſuperfuit dubium; illud tamen admirabile viſum eſt, ex tot tantisque ampullis, proxima vicinia ſeſe attingentibus, ne unam quidem cum altera concreviſſe, nec a communi quodam petiolo plures pependiſſe, ſed omnes fuiſſe ſeparatas, ſingulasque fluctuaſſe liberas. Eadem fuit omnium textura, ex membranis ſphæram effingentibus, absque indicio reptantium per eas vaſculorum. Pelliculæ, ſive membranæ, liquorem ſeroſum in ſe continentes, veſiculasque aquoſas conſtituentes, dividi poterant in membranam aliquam ſuperiorem, aliamque inferiorem. Interſtitiis harum membranarum contextus celluloſus, qui mediante aëre inflato in conſpectum veniebat, intererat: membrana autem ſuperior, aliqua ex parte craſſior inferiore, in novam lamellam ſuperiorem & inferiorem dividebatur. Ab humore intus contento turgeſcentes omnes, pelluciditate gaudebant, ſimili illi, quam ova pennatorum

abor-

abortiva habere ſolent; more laciniarum, membranæ exterioris ſquamulæ (*vid. Tab. VII. fig. Lit. B.*) diſtinguebantur. Veſiculis iſtis aquoſis corpuſcula lutea (*conf. fig. Lit. C.*) quamplurima intererant, colorem vitelli ovorum referentes, quæ res aniculas, quæ ſectioni adſtabant, ut ſe ova genuina videre crederent, fabulamque urbe ſpargerent, induxit. Diſſectis tunicis, quæ bullam coercent, humor ſeroſus pellucidusque effluebat, parum glutinoſus, qui tamen, coctione cum aqua fervente inſtituta, haud concreſcebat, uti albumen, cum quo aliquam ſimilitudinem alebat, coctura inſpiſſari ſolet. Cum coquerentur veſiculæ, quædam iſtarum penitus diffluebant, pauciores, eæque tenaciores, partim natabant, partim fundum vaſis petebant, nulla tamen in coagulum indurata fuit. Pelliculæ autem ſive membranæ, veſiculas aquoſas formantes, fervente craſſiores reddebantur, elaſticitatemque majorem nanciſcebantur; liquor, intus contentus, ſyrupo violarum viridiuſculum colorem dedit, quo experimento compertum fuit, illum ad indolem alcalinam vergere. Inſtitutis porro experimentis, neque cum ſpiritibus Alcohol, neque cum aceto deſtillato, neque cum liquore alcalino per deliquium facto, ulla oriebatur efferveſcentia; cum ſpiritu autem rectificatiſſimo partes quædam de fluido, quod ampullis inerat, in coagulum converſæ, fundum vitrii petebant. Evaporatione inſtituta mox in ſubſtantiam mucilaginoſam coaleſcebat fluidum, ut particularum mucilaginoſarum plus, quam ſeri, ineſſe abinde cognoſcerem. Ut autem res clarior evaderet, ex quibusnam particulis conſtitutivis pelliculæ ſive membranulæ iſtius partes componerentur, ſequentia experimenta a me fuerunt inſtituta. Et primo quidem cum ſpiritu ſalis ammoniaci, ex calce viva parato, nihil immutatum fuiſſe percepi. Spiritus autem vitrioli, præterlapſo aliquot horarum ſpatio, & digeſtione leniori inſtituta, easdem pelliculas in liquorem mucaginoſum, qui colorem

lorem cæruleum referebat, permutavit. Cum lixivio ſalis Tartari molliores quidem reddebantur membranulæ, neque tamen in liquamen abibant. Cum ſpiritu vini rectificatiſſimo inſtituta digeſtione, primo quidem immutabiles manebant membranulæ; deinde vero, ſuperaffuſa aqua fontana, eademque evaporationi expoſita, ſubſtantia glutini ſimilis in conſpectum veniebat, tandemque de novo ſuperaddita aqua ſimplici, & guttulis olei Tartari per deliquium adſperſis, liquor ſaponaceus effectus fuit. Ex iſtis omnibus intellexiſſe me arbitror, & involucra, & humores iisdem contentos, de natura animali, licet putredini iſtorum morborum origines tribuendæ ſint, nihil receſſiſſe, & alcalinam indolem conſtanter ſervaſſe. Digna autem obſervatu res viſa eſt, ipſius utris, qui tantam hydatidum molem contineret, naturam inveſtigaſſe. Nihil ſane fuit ille aliud, quam abſceſſus omnium maximus, qui ſeſe intra celluloſam diaphragmatis ſubſtantiam effinxerat. De ulcere tamen illud habuit, quod internæ ejus oræ callo duro inducerentur; ad latitudinem atque longitudinem quatuor digitorum transverſorum partes internæ calloſæ erant, ſinubus excavatæ, quibus materia purulenta magna copia inhærebat, non ſola equidem, quin ſero hydropico mixta, quo utroque humore heterogeneo ſenſim aucto tumor verſus thoracem vehementer increvit, cavitatem thoracis preſſit, illamque naturali ſtatu multo arctiorem effecit; pulmones tamen obſervabantur integri, uti ſubſtantia hepatis lienisque adhuc ſalva erat. Omentum autem contractum valde, luridoque colore infectum fuit. In latere enim dextro circa coſtas ſpurias muſculosque abdominales illius lateris abſceſſus verſus exteriora inclinabat, & procul dubio materia purulenta ſerumque exitum hac parte quæſiverat, erant enim muſculi jam aliqua parte exeſi, ut digitis cederent. Obtinere a me non poſſum, ut reticeam, quid circa uterum evenerit, quamvis illa res cum ſtatu fœminæ

mor-

morboſo nihil commune habeat. Erat enim, uti omnes abdominis partes, ita & uterus, ab omni vitio liber, nec multum quidem ſeri hydropici mediæ huic cavitati inexiſtebat; quare viſceribus naturalibus vitalibusque, præter unum diaphragma, ſalvis, potuit in fœmina, anxiam cœteroquin vitam vivente, tamen feliciter ſuccreſcere embryo, & ad XXIV. uſque ſeptimanam enutriri. Habuimus uterum valde extenſum, & de fœtu quidpiam ſuſpicati ſumus. Nec ſpes nos fefellit: vidimus enim embryonem ſuis incluſum membranis, chorioque inciſo fœtum, amnii humoribus circumfuſum, fere ſex menſes utero innutritum, jucundo ſpectaculo intuiti ſumus. Membrana chorii, embryonem amnii liquoribus immerſum continens, ſubſtantiæ uteri inhærebat. Placenta, uti primis menſibus ſolet, firmiter circa fundum uteri adfixa videbatur. Venit mihi tunc in mentem, diſpicere, quid RUYSCHIUM b) inducere potuerit, ut muſculum orbicularem in fundo uteri quæreret, vidique fibras equidem carneas, at a ſubſtantia uteri haud diverſas.

Ex relatione mariti defunctæ percepimus, ipſam ante hos ſeptem annos infantem in lucem edidiſſe ſatis ſanum atque robuſtum; excluſo autem partu, non ex voto omnem intumeſcentiam abdominis tunc ceſſiſſe, ſed quandam ſemper circa regionem umbilicalem eminentiam ab illo tempore ſuperfuiſſe, peperiſſe tamen illam altera vice. Menſe autem Januarii ſuperioris anni abdomen ſenſim ſenſimque intumuiſſe, & ſingulis fere menſibus magis magisque extendi cœpiſſe, ſimulque doloribus imi ventris præter omnem opinionem ſæpiſſime correptam fuiſſe defunctam, ut multi ab initio menſis Jan. anni ſuperioris jamjam fœminam eſſe gravidam exiſtimaverint, quæ autem graviditas, uti ex eventu & ex deſcriptione morbi & ſectione patet, non niſi multo poſt illam in-

b) *Fredericus* RUYSCHIUS *Adv. X. Dec. II.*

intumeſcentiam conſecuta eſt. Ultimis menſibus ante obitum, defuncta, increbeſcente malo aſthmate oppreſſa, neque alterutri lateri, neque dorſo, incumbere potuit, a quo corporis ſitu ſe in præſentaneum ſuffocationis periculum induci conqueſta eſt. Sane res eo devenit, ut quatuordecim dies ante obitum ſomnum capere in lecto nequiverit; ſummis itaque anxietatibus obruta & tandem ſuffocatione fuit extincta. Patet ergo ex præſentis hydropis ſaccati, quo fœmina iſta laboravit, hiſtoria, quorundam morborum graviorum primordia non ſemper maximi eſſe momenti, nec niſi progreſſu temporis tragœdiam ſuam illos ludere. Lento certe incremento omnes tumores tunicati procedunt, in quorum claſſe hæc, quæ fœminam affecit, ægritudo etiam collocanda eſt. Tumores potiſſimum ſeroſi folliculis incluſi non præcocius increſcunt, ut ab initio omnia levioris momenti eſſe videantur, donec longe graviſſima ſymptomata ſucceſſu temporis enaſcantur.

Solent iſtos tumores, a ſero folliculis incluſo ortos, *hydropem ſaccatum* appellare Practici, nomine rem explicante. Scilicet non in cavo abdominis, uti aſcitici habent, aqua increſcit, ſed alicubi, inter peritonæum muſculosque vicinos, in illa, quæ vulgo *peritonæi duplicatura* dicitur, textura celluloſa, humor morboſus congeritur. Hujus eventus varii ſunt modi. Aut enim, qui anaſarca vel aſcite laborant, a communi quadam cauſa, & intercutem & abdominalem & cyſticum aliquem tumorem eodem tempore contrahunt, aut ſano cæteroquin corpore, alicubi cellula adipoſa una altera vel plures, in peculiarem concamerationem coaleſcentes, ab arteriis adipoſis lymphaticisque ruptis, congeſtione aquoſa facta, diſtenduntur. Valde autem vereor, ne ſaccus ille fœminæ noſtræ non tam ſerum hydropicum, quam pus, continuiſſe videatur. Quamvis enim aquæ aſciticæ poſt fata etiam fœtidiſſimos odores ſpargant, pus tamen his intereſſe

nun-

nunquam videmus, uti in præſenti caſu eſt; quare ſicuti novi ſubinde morbi, vel illi certe valde mixti, in corporibus excitantur; ita hoc quidem phænomenon morboſum de triplici morbo aliquid habere videtur. Ratione enim puris contenti haud dubitanter pro *Empyemate abdominis* haberi poteſt, ſiquidem empyema vi vocis folliculum materia purulenta farctum ſignificat, nec uni thoraci ille morbus addictus eſt; aſt ratione intermixti ſeri de hydrope aliquid tenebit, hinc *hydatidum nidus* haud incompetenter appellari poterit. Puros hydropes ſaccatos haud novos eſſe, Obſervatores loquuntur, celeberrimique Auctores medici exempla producunt, utpote cum SENNERTUS c) de hydromphalo aut de hydrope inter peritonæi duplicaturam, HORSTIUS d) de hydrope omenti inter duas illius lamellas, marſupii veluti in modum formatas, HILDANUS e) de hydrope uteri tubæque fallopianæ; HOFFMANNUS f) de pulmonum hydrope egerint. Ab iſtis omnibus haud leviter diſcrepat Hydrops noſter ſaccatus diaphragmatis, ab hydatidibus excitatus. Eo autem rariorem hunc noſtrum affectum hydropico-apoſtematoidem eſſe puto, quo ſolidiori magis corporis muſculo fuit ingenitus. Diaphragma enim eſſe partem corporis noſtri muſculoſam, robuſtam, abdomen a thorace diſtinguentem, vel tyronibus artis ſalutaris, maxime Anatomes, non poterit eſſe ignotum; cujus duo ſuperiores & majores ven-

 tres,

c) *Libr. III. Med. Pr. c. 17.* STALPART van der WIEL *Obſerv. rar. Medic. Anat. Chirurg. cap. 2. Obſerv. 28.* MANGETI *Bibl. Med. Pract. Libr. VIII. pag. 970.* Jo. van MECKREN *Obſerv. Chir. cap. 52.*

d) *in Oper. Medic. Tom. II. Lib. II Obſ. 4.*

e) *vid. Ejus Obſerv. 56. 62. Obſerv. 305. Dec. II. Ann. 5. Obſerv. 67.*

f) *Videatur Actor. Phyſico-medicor. Acad. N. C. Volum. I. Obſerv. CCXIII.*

tres, uti pauca pinguedine intertexi ſunt, ita illi juxta circulum tendineum omni celluloſo contextu prorſus carent, conſentiente celeberrimo HALLERO g). Nihilo ſecius increſcens humoris copia, tendinea ſtrata in hoc caſu ſeparavit illisque interfluxit, &, quæ a peritonæo abſcedit, laminam magno hiatu diviſit. In hac enim duplicatura, peritonæum & partem diaphragmatis muſculoſam intercedente, ſeparatio humoris ſeroſi in cadavere antea deſcripto ortum duxerat, unde poſtea ejusmodi ſacculus, qualem hiſtoria ſupra data propoſuit, ſe formavit, maximam abdominis thoracisque partem occupans. Quam ob cauſam etiam viſcera abdominis in anguſtius ſpatium compreſſa, & cutaneæ muſculorumque abdominis partes ultra modum extenſæ conſpiciebantur, itidemque thoracis contenta, cor & pulmones, in motu ſuo impediti fuerunt, quo minus munere ſuo fungi potuerint.

Aſt qualis hydatidum in hoc ſacco genitorum origo fuerit, nunc diſpiciendum erit. Quemadmodum in omnibus corporis noſtri partibus obvia ſunt vaſa lymphatica, ita illis nec diaphragma caret. Et teſtante NUCKIO h), uti maxima in quantitate vaſa lymphatica paſſim ex thorace verſus venas jugulares properant, ita, quod planum diaphragmatis abdominale concernit, analogiæ anatomicæ conſentaneum eſt, ea ſuper hepar in ciſternam lumbarem deferri. Aſt ſi de ortu hydatidum cogitare velis, aliter de iis ſentire non potes, quam, ſicuti aneuriſma arteriarum, varix venarum, ita hydatides eſſe vaſorum lymphaticorum ſobolem. Uti enim vaſa lymphatica nodulis celluloſis diſtincta ſunt, ita ex uno vaſe facile plurimi diſtincti globuli fieri poterunt. Ex horum

g) *in Tractatu de Diaphragmate; elegantes diaphragmatis figuras vid. in* COWPERI *nova Myotomia Tabul. 34. & 35.*

h) *In Adenographia pag. 142.*

horum etiam vaſorum nimia dilatatione ac ruptura in interſtitiis harum lamellarum peritonæi atque partis muſculoſæ diaphragmatis, in præſenti caſu, progreſſu temporis, ejusmodi quantitas ſeri extravaſati, & quidem ultra quatuor menſuras ſolummodo in hujus utris cavitate, excepto abdominis ſpatio, ſe accumulaverat, a quo humido ille hydatidum numerus, quantum ſupra denotavimus, augmenti ſui materiam accepit. Numerum ejusmodi hydatidum non levem ſub titulo *hydropis ovarii* deſcribit, & inſuper Virginis ex hydrope aſcitico defunctæ meminit Celeberr. RUYSCHIUS, in cujus abdomine veſiculæ innumerabiles, humore tenaci & glutinoſo repletæ, fuerint deprehenſæ, quarum nonnullæ pugni minoris, aliæ nucis juglandis, vel avellanæ, magnitudinem, uti in noſtro caſu, æquaverint. Sunt tamen etiam, qui ratione denominationis in aliam abeunt ſententiam, &, illos tumores hydropis nomine minime inſigniri poſſe i), opinantur, ſed veſiculas illas, ſero repletas, pro veris debere hydatidibus haberi, easque hydropem non poſſe conſtituere, quamvis ſerum pelliculis incluſum præ ſe ferant. In cujuscunque vero partis interſtitiis iſtiusmodi veſiculæ aquoſæ formentur, raro ſolas invenimus easdem, ſed hydropici quid ſemper concurrit, & in mediis aquis iſtæ pelliculæ fluctuant, uti de Hydrope ſaccato ex inſtituto commentatus eſt MERCKLINUS k), qui exemplis matris aliorumque ex hydrope ſaccato mortuorum ipſum morbum illuſtrat, & harum veſicularum, inſigni colluvie ſeroſa repletarum, inque abdomine inventarum, mentionem injicit, easque a vaſis lymphaticis ortum duxiſſe putat. *Hic ichor,*

 ait,

i) SCHORKOPFF *in Diſſert. de Hydrope Ovarii muliebr. Baſileæ 1685. habita.*

k) *in Diſſert. de Hydrope ſaccato, habita Altorfi, die VIII. April. Anno 1695.*

ait, *interveniente vaporatione per calorem improportionatum in veſiculam attollitur, relicta in ea aliqua illius portione, quæ hac ratione tenuiſſimo membranaceo folliculo obducitur, idque ex neceſſitate materiæ, ſimili propemodum modo, quo ex ſaponata aliqua inſufflatione, per fiſtulam ſtramineam facta, bulla exſurgit.* Nec eorum reprobanda eſt ſententia, qui putant, hydatides ab humoribus intus contentis expandi, ut ſaccum tantæ amplitudinis ſenſim implere & hydropem aſcitico-veſicularem efficere poſſint; quod largiendum omnino erit, ſiquidem hydatides ſerie quadam connexæ vaſisque adducentibus inſtructæ fuerint; aſt, niſi a reſorpto in ſe humore, cui innatabant, noſtræ ſolitariæ hydatides auctæ fuerunt, unde profecerint, haud video.

In more habent hydatides, inter cellulas pinguedinis naſci, uti grandines, quo morbo ſues, copioſum adipem gerentes, ſæpe laborant, id docent. Ejusmodi in pinguedine humana enutritas hydatides enarrat, ſimulque de Hydrope ſaccato memorabile refert exemplum Dn. D. *Alexander* CAMERARIUS l), ubi de obſtetrice aliqua in vicino pago, quadragenaria, paupercula, jamque decem liberorum matre, refert, quod illa tamdiu gravidam ſe reputaverit, donec præterlapſo pariendi tempore immota manſiſſet, quin in dies increverit abdominis moles, tabeſcente interim & in ſtatum mere ſceletiformem redacto reliquo corpore, quo poſt ejus fata cultro anatomico ſubjecto, varia atque curioſa viſu in conſpectum prodierunt. Nimirum abdomen ambitu ſuo æquaſſe duas ulnas; propendiſſe quidem & inclinaſſe magis in dextrum latus, in ſiniſtro tamen latere, infra umbilicum verſus pubem, protuberaſſe & acuminatum fuiſſe; ubi etiam mollius ad tactum extitiſſet, ut fovea digitis

l) *Confer. Actor. Phyſico-medicor. Acad. Cæſar. N. C. Volum. I. Obſerv. CLX.*

gitis potuiſſet imprimi, cum in reliquo tractu tenſum ac durum fuiſſet, digitisque ne quidquam ceſſiſſet. Cutem inciſam illico corrugari cœpiſſe & contrahi, ſub illaque perparum membranæ adipoſæ ſuperfuiſſe. Ad utrumque vero hypochondrium, inter cutem & abdominis muſculos, loco pinguedinis, veſiculas fuiſſe ſero plenas atque turgidas, unde etiam copioſe ſatis promanaverit limpidum flavum; membranam autem emphyſematis inſtar quaſi ſpumam, vel congeriem veſicularum tenuiſſimarum inflatarum retuliſſe. Inciſo in linea alba peritonæo, mucum protuberaſſe tenacem viſcidum; digitis autem atque ſpecillo deprehenſas fuiſſe varias cellulas & cavitates. In ſiniſtro latere apparuiſſe ſaccum circa umbilicum, in medio tres, in dextro autem latere quatuor pollices latum, multas ubique habentem cavernas, majores minoresque, inque his concluſum gluten illud albicans, quod ſupra dictum fuit prorupiſſe a prima ſtatim peritonæi punctura. Utris ſubſtantiam fuiſſe in locis quidem illis incraſſatis fibroſo-celluloſam, in cæteris autem membranoſam, ordinariam tamen membranarum craſſitiem ubique excedentem. Deinde vero inſignem hujus molis atque utris originem atque connexionem, ſcilicet infra, in pelvi, ad dextrum latus uteri, ubi principium ſacci adhuc membranoſum cum ligamentis uteri & ejusdem lateris ovario connexum fuerit, facili negotio potuiſſe reſecari, atque hoc modo totum ex abdomine removeri, uterumque ipſum cum altero ſuo ſiniſtri lateris ovario quidem fuiſſe in ſalvo, ſaccum vero iſtum, ſive utrem XII. & liquamen iſtud feculentum XXXV. libras civiles pondere ſuo æquaviſſe.

Similiter glanduloſis viſceribus ſuccreſcere poſſunt hydatides, ſolentque. Favet enim iſtarum ampullarum geneſi non minus glanduloſa ſeries, quam velum adipoſum, ſiquidem ſingula de multis, quæ organon glanduloſæ texturæ efficiunt, jam in ſe continet folliculum, qui, affluxu ſecer-

nendi

nendi humoris aucto, refluxu impedito, facile in ampullam elevari poterit. De hydatide quadam Ovarii referre quædam liceat. Ancillam juvenem, vix duos ultra XX. annos natam, alacrem & ſanam, nec morbi unquam ſibi conſciam, ab exploſa ſclopeto glande plumbea vulneratam, & poſt XLVI. horas mortuam fuiſſe, eaque poſtea ſectioni anatomicæ ſubjecta, ſequentia oculis ſeſe exhibuiſſe ſpectacula, Ephemerides N. C. m) teſtantur. Nimirum curioſo admodum, certe non quotidiano, exemplo ovarium uteri ſiniſtrum fuiſſe hydropicum, non hydatidem ab ovario forte pendulam, uti ſæpe reperiri ſolet, magnitudine quandoque phaſeoli, extus ad tubam lateris ſiniſtri, & ovarium alterius lateris, dextri, genitam fuiſſe, ſed ſtricto ſenſu ovarium ipſum liquore intus concluſo turgidum & plenum in hydatidem, magnitudine æquantem ovum anſerinum, extumuiſſe, unde a diſtantibus quibusdam, rerum non probe gnaris, diu pro veſica urinaria fuerit habitum. Inciſione facta, aquam limpidam profluxiſſe, colore flavam, ſapore ſubſalſam, quantitate ad uncias quatuor æſtimatam, eamque in cochleari ſuper candelæ flammula ſtatim inſtar albuminis ovorum in albeſcens coagulum abiiſſe. Porro membranoſum huncce ſacculum, liquore antea turgidum, hoc modo jam evacuatum, genuinum fuiſſe ovarium. Hæc res, quod frequenter ovarium hydatidibus repletum reperitur, ipſam de ovulis doctrinam, annon & illa pro hydatidibus agnoſci debeant, quales haud dubitanter fuerunt ovula ad cervicem uteri a NABOTHO reperta, ſuſpectam omnino reddere poſſet, niſi aliis argumentis ejus veritas ſtaret. Uti hepar glanduloſæ ad MALPIGHII mentem texturæ ex parte eſt, ita ſimiliter illud hydatidibus haud caret.

Sin-

m) *in Obſervatione CLX. pag. 346.*

Singularis talis ſacculus in hepate obſervatus in Ephemeridibus N. C. n) deſcribitur. Sic aliquando in hepate, liene, aliisque viſceribus hydatides fuiſſe repertas, præprimis monet CAMERARIUS o) de hydatidum copia in ſteatomate hepatis cujusdam viri, per quadriennium plerosque Medicos celebriores fruſtra conſulentis, cujus vero morbi tam diuturni cauſas non niſi poſt mortem illius ægri ſectio anatomica detexit, & numerum hydatidum ſatis magnum expoſuit. Hæ veſiculæ erant, uti allegatus Auctor eas deſcribit, figuræ exacte rotundæ, multitudine vel quinquaginta, magnitudine varia, a piſo majori ultra ovum columbinum, tactu molles, membrana tenui admodum concludentes aquam limpidam, fœtoris expertem. Hæc ova, (ita recenſitus Auctor pergit,) ſeu hydatides illæ exemtæ, & in frigida aſſervatæ, durarunt per ſeptimanam unam & alteram integræ; ſed ſenſim mutarunt colorem aquæ, obſcuriores & turbidiores inde factæ. Plura adhuc hydatidum exempla in *Annalibus Phyſico-Medicis Uratislavienſibus* p) recenſentur.

At vero circa cauſas ſive originem hydatidum explicandas in varias abeunt ſententias Excellentiſſimi Anatomici. Ovarii hydatides ita explicant, ut eſſent ovula in ovariis tumefacta, affirmante celeberrimo RUYSCHIO q) dicente: *Hydrops ovarii, ſi ita loqui liceat, ovorum affectus eſt, ab aliis ſatis viſus, modo ſatis conſideratus. Hydatis audit apud Auctores, in quo nomine libenter acquieſco, modo de mali*

n) *Volum. III. Obſervat. CXX. pag. 378.*

o) *in Actor. phyſico-medicor. Acad. Nat. Cur. Volum. III. Obſerv. CXX.*

p) *vid. Ann. 1720. Menſ. Febr. Claſſ. IV. Artic. XIII. pag. 212. ſeqq. & Ann. 1721. Menſ. April. Claſſ. IV. Artic. VIII. p. 411. ſeqq.*

q) *in Obſerv. Anat. Chirurg. Obſerv. 17. pag. 22.*

ſubjecto inter nos conveniat. Hoc ut plurimum, ſi non ſemper, ova eſſe animadverto, ita mutata, & in tantam aliquando molem aucta, ut infantis caput non raro ſuperaſſe viderim. Et in alio loco r) idem RUYSCHIUS vaſorum ſanguiferorum extremitates, mucoſo humore explicatas, hydatidum naturam induere affirmat. Cui etiam conſentit *B.* SCHACHERUS s) adhuc poſt cineres multis nominibus devenerandus: *Hydatides*, inquiens, *quæ ovario obſervatæ fuere, ovulis non inepte accenſentur, utpote quarum lympha non tenuis erat & fluida, ſed igne in ſubſtantiam pinguem eamque copioſam & ſolidam facile condenſabantur.*

In contrariam autem abit ſententiam Clar. BRENDELIUS, hydatidum primordia ab ovulis deducenda non eſſe, aſſerens, idque potiſſimum diſcriminis obſervans, quod ovuli lympha igne in coagulum albuminis inſtar abire ſoleat; quod tamen de hydatidum liquore minime concedere valemus. Porro Celeberrimus BOERHAAVIUS t), ubique locorum corporis noſtri glandulas defendens, hydatidum originem a glandulis deducit; quare nec ego a veritatis tramite aberrare videbor, ſi hydatidum in defunctæ meæ abdomine repertarum origines cum jamiam laudato RUYSCHIO u) ad lymphaticorum vaſorum fontes, glandulas, retulero, quarum plures etiam viſum effugientes in omni adipe, adeoque & in contextu diaphragmatis, muſculum a membranis diſſepiente, ſedent; quo fieri aliter haud potuit, quam ut ex

r) *vid. Theſaur. Anat. 6. Explic. tabula 5. f. 3. 4. 5. 6.*

s) *in Diſſertatione inaugurali de Virgine aſcitica poſt paracentheſin purpura maligna extincta, Lipſiæ 1725. die IV. Jul. habita.*

t) *in Epiſt. Anat. ad celeberr.* RUYSCHIUM *de Fabrica glandularum, pag. 40.*

u) *l. c. Obſerv. 27. pag. 33.*

ex congerie w) hydatidum multarum, uni ſacco ſimul incluſarum, hydrops empyico-hydaticus evaſerit. In cauſis autem hydatidum indagandis, cum ſæpe plus opinionis ſit, quam veritatis, lentorem humorum accuſandum eſſe exiſtimaverim. In hoc caſu meo corpus cachecticum fuiſſe, extra omne eſt dubium. Æquilibrium tamen inter partes ſolidas atque fluidas ablatum ſimul accuſandum eſt: hoc enim modo fit, ut vas ab humore ſuo ſeparari atque extendi ſe patiatur, dum minus firmiter reſiſtit; hinc in vaſis, licet minimis, progreſſu temporis excitari poſſunt ampullæ capaciſſimæ. Aſt cur diaphragmati potiſſimum ingenita fuerit tanta hydatidum copia, obſcurum omnino eſt. Faſſus eſt maritus, a puerperio laborioſo tragœdiam hanc ludi cœpiſſe. Quare ſine dubio nixus ad partum, qui diaphragmatis potiſſimum actione inſtruitur, effecit, ut fibræ quædam ſepti, ubi conatus ad partum hoc organum vehementer urgent, divulſæ, tranſitum ſanguinis per iſtam partem impediverint, unde totum malum ſuam ſine dubio traxit originem. Fieri etiam interdum ſolet, ut morboſæ ad viſcera metaſtaſes variis abſceſſibus anſam ſuppeditent. Sic fiunt pulmonum hepatisve vel meſenterii abſceſſus, ſuppreſſa morborum legitima criſi, ſuffocatis maxime febribus intermittentibus, retropulſa ſcabie. Noſtra, uti ſordide miſereque vixit, ita in morbis, qui illi evenerunt, corpus negligentius habuit, potuitque illi mala materies ad interiora converſa fuiſſe.

Verum, quid de corporibus luteis, hydatidibus admixtis, ſentiendum ſit, breviter exponendum eſt. Pinguedinem eſſe, nemo negaverit, quæ ſucceſſu temporis in ſimi-

Eee 2 les

w) Legi merentur GERARDI van SWIETEN *Commentaria in* HERMANNI BOERHAAVE *Aphoriſmos de cognoſcendis & curandis morbis Tom. I. Cap. de Obſtructione pag. 165. Edit. ſecund. Lugduni Batavorum MDCCXLV. edit.*

les ampullas convertenda erat. Aëre enim in ejusmodi portionem inflato, maſſula in tumorem ſubito efferri cœpit. Eſt autem in diaphragmatis cum transverſis abdominis muſculis confinio haud levis pinguedinis quantitas, quæ ab initio in ſteatomata elevari haud dubitanter cœpit; hinc in ſaniem diffluxit, quæ juxta leges putrefactionis expanſiva virtute ampullas producere potuit. Putredinem ſane in hoc caſu concurrere, inſignis, non qualis de cadavere, ſed qualis de turpi abſceſſu halat, fœtor docuit. Aërem tamen aliquem iſtas ampullas elevaſſe, qualis ex putredine naſci ſolet, haud putarem, cum ampullæ iſtæ omnes in aqua vel ſpiritu fundum petant, omnique proinde aëre deſtitui merito putentur. Jam quilibet ſecum reputare poterit, quantas afflictiones miſerrima, ex quo illi diaphragma in utriculum ejusmodi expandi cœpit, maxime tunc, quando ad ἀκμὴν pervenerat, ſuſtinuerit. Orthopnœam ac aſthma ab hydatidibus, inter tunicas ſepti naſcentibus, oriri debere, quilibet perſpicit, quandoquidem ad horizontem cum coſtis ſpuriis pervenire diaphragma non potuit, quapropter inſpirationis negotium fœminæ omnino fuit impeditum, pulmonibus in arcto ſemper ſpatio concluſis & aërem ſufficienter non admittentibus, quo tandem, folle aëreo haud ſufficienter expanſo, circuitus ſanguinis per pulmones vacillare, totiusque vitæ negotium, quod in circuitu ſanguinis atque humorum conſiſtit, everti cœpit. Enimvero nulla ſunt indicia, quæ, tumorem abdominis ab hydatidibus, hydrope ſaccato contentis, ortum eſſe, diſerte innuant. Neque, ſi Medicus hydatidum præſentiam etiam cognoviſſet, ulla ſolvendo morbo medicina par eſſe potuit, niſi forte, ut natura jam iſtud negotium peragendum ſuſceperat, abſceſſuum more, quorum plures muſculos abdominales ac integumenta communia perterebrant, ſpontaneus ad externa effluxus superveniſſet. Quis enim auſus fuiſſet, gravidam, uti habebatur a marito,

acu

acu triquetra pertundere, & quo ſigno conſtitiſſet de loco perfodiendo? Quamvis enim, juxta CELSUM, ſatius ſit, anceps, quam nullum, experiri remedium, tamen nec temeraria capienda ſunt conſilia, ne occidiſſe videamur, quos ſervare haud poteramus.

OBSERVATIO CXII.

Dn. D. WILHELMI BERNH. NEBELII.

Spaſmus ventriculi & inteſtinorum periodicus curatus.

Theologus quidam 34. annorum, vitæ ſedentariæ, profundis meditationibus multisque lucubrationibus deditus, nec non variis animi curis, ob officium, quo fungitur, obnoxius, jam ab aliquot annis de dolore ventriculi preſſorio, multisque flatulentiis conquerebatur; cæterum appetitus erat integer, ſomnus placidus, vires ſibi conſtabant, neque ulla alia ſymptomata moleſta obſervabantur. Adhibita quidem fuerunt, ad ventriculum roborandum & flatus diſcutiendos, varia remedia, quibus tamen dicta ſymptomata non ſolum non imminuta fuerunt, ſed potius incrementum ſumſerunt, donec tandem paroxyſmum quotidie recurrentem formaverint, quem ægri Medicus ordinarius in literis ad me datis ſequentibus verbis deſcribit: *Æger cum mane a ſomno evigilat, bellè habet, nec ullum vel in minima corporis parte dolorem perſentiſcit, poſt aliquod vero tempus, alvo commode exonerata, dolor expanſivus, crepitantibus & quaſi ceſpitantibus per univerſam abdominis regionem borboryjgmis, ſeſe inſinuat, qui aliquo tempore quaſi erraticus in ventriculi centro tandem figitur & caput moleſte afficit, tractionis ſenſum hinc inde exprimendo; ex quo R. D. Patiens mire angitur, affectu quandam lipothymiæ ſpeciem re-*

ferente. Si de nocte flatus deorſum erumpant, aut ructus maturius prorumpant, dolorem mitiorem experitur; ſi alvus non exoneretur, dolorem ſentit nullum, & pelle habet. Ad prandium, ſi prævie dolorem ſenſerit, has patitur anguſtias, ingeſto juſculo ſymptomata increſcunt omnia, impalleſcit & contremiſcit, at ingeſto cibo ſolidiori, affuſoque vini hauſtu, crepitantibus borborygmis, derepente dolor evaneſcit, & tempore pomeridiano belliſſime habens quotquot eundem inviſunt ſermonis gratia recreat. Hiſce addit ipſe Dn. ÆGER in ſuis litteris ſequentia: *Inſumtione juſculi ita angor, ut ſurgere ſæpe debeam ex menſa, ſumtis dein aliis cibis & unico vitro vini, quaſi in continenti ſiſtuntur omnia, poſt prandium, optimo vultus colore, ſanus & ad omnia agilis ſum, nec revertitur malum veſperi, ſomnus enim optimus, nec melancholica inſomnia aut turbationes interveniunt, aut ſomnum ſiſtunt; integra per totum hoc tempus fruor ſanitate, viribus nunquam debilitatis, ſine frigore aut calore.* Omnibus igitur hiſce circumſtantiis rite ponderatis judicavi, malum hoc eſſe ſpaſmum ventriculi & inteſtinorum periodicum a ſanguine, vita ſedentaria, lucubrationibus & animi curis inſpiſſato, atque ramos venæ portæ infarciente, natum, ſiquidem experientia teſtatur, quod ſpaſmi, præſertim quorum cauſa in abdomine reſidet, plerumque periodice invadere ſoleant; quare in methodo medendi ſequentes indicationes mihi propoſui, ſcilicet: I. Sanguinis & humorum viſciditatem eſſe reſolvendam. II. Tonum vaſorum roborandum. III. Spaſmos periodicos ſedandos eſſe. Hunc itaque in finem præſcripſi pilulas ſequentes: Rec. Cort. Peruvian. elect. pulveriſ. ℥iij. rad. Pareir. brav. antimon. diaphoret. martial. ana ℥iß. M.F. c. mucilag. tragacanth. pil. pond. gr. ij. ſumat. hora pomeridiana quarta & noctu ante ſomnum num. XX. cum vehiculo conveniente quocunque. Præterea olei Cajaput gutt. vij. ſaccharo inſtillatas, hora una vel altera ante paroxyſmum, cum infuſo foliorum theæ ſumere juſſi; cæterum

animi

animi tranquillitatem, corporis autem motum ſufficientem, ſed placidum, commendavi. Hiſce remediis per 3. ſolum dies aſſumtis, admirabilem eorum effectum, literis die 20. Novembr. ann. current. ad me datis, deſcripſit ipſe Dn. ÆGER, his verbis: *Incepi elapſo proximo die Veneris (quæ erat 18. Novembr. ann. curr.) mane ſumendo guttas olei in ſaccharo; bis vero hauſtis, toto mane ita erumpebant ructus, ut vix credere potuerim tot in uno corpore latere poſſe flatus; ſumpto prandio ceſſabant omnes, & quaſi reſtituta ſanitate, placidiſſime me habebam; Hora quarta pomeridiana ſumſi pilulas, his ſumtis novus exſurgebat tumultus, regurgitationes in viſceribus & ventriculo ſenſi durantes & recurrentes omni vix non momento, uſque ad cœnam, hac peracta, optima iterum erat & quieta corporis conſtitutio. Ante cubitum deinde alias XX. pilulas deglutivi, ſequebantur quidem ſtatim regurgitatio flatuum, ſed in lecto decumbens placide me habens dormivi usque ad horam 4tam mane, tunc experrectus noviter invadebant flatus, ſed præcipiti tumultu per viam ordinariam protrudebantur, ut affirmare debeam, me toto anno retro non tantam ſenſiſſe quietem, nam flatibus ita ejectis, quaſi poſt longum iter feſſa natura oculos invitabat ad ſomnum & cogebar quaſi ad quietem, quam continuavi usque ad horam 8vam heri, evigilans ſenſi virtutem medicinæ operari circa hepar & circa regionem renum, ſequebantur dein quinque ſedes, ſine omni dolore, & poſtea infra renes, quaſi aliquid ſtipite fixum eſſet vel compactum; quæ omnia tamen poſt aliquod tempus iterum ceſſabant. Interim hauſi ſecunda vice oleum cum ſaccharo, & ſpaſmi videbantur aggredi inteſtina & ventriculum, ſed non diu poſt deſinebant & ſic toto mane continuatum; poſt prandium iterum bene erat, ſumtis autem pilulis, rurſus infeſtabar ab hoc malo, poſt cœnam iterum ceſſante; ſomnus, pilulis ſecunda vice ſumtis, erat placidiſſimus, mane hodie ite-*

rum

rum 4. ſedes habui, in quibus viſcida quædam materia, coloris flavi & viridis, extruſa, cum multis flatibus, & ſumto oleo ſpaſmi iterum videbantur magis debilitati, ſuperante natura regurgitationes, dolore tantum obtuſo in infima regione inteſtinorum remanente, ut ita ſpes certa ſit, me de tanto malo triumphaturum. Pergo jam nec deſiſto a medicina præſcripta, cujus effectum noſtri admirantur Medici; dum hæc ſcribo, vix mihi a ſomno, ob quietem corporis, temperare valeo &c. Ad hæc reſpondi, remedia eſſe continuanda, atque ſimul diætam convenientem præſcripſi & ſervandam commendavi. Ab eo vero tempore ab ipſo ægro quidem literas nullas accepi, ab aliis autem, eum plenarie convaluiſſe, comperi.

OBSERVATIO CXIIII.

Dn. D. WILHELMI BERNH. NEBELII.

Dolor nuchæ, aſthma & raucedo a partu difficili, herba Arnicæ curata.

Fœmina ruſtica, partu admodum difficili, fœtum mortuum enixa, ſtatim poſt partum ſenſit dolorem in nucha paulatim ita increſcentem, ut præ dolore caput antrorſum flectere vix potuerit; acceſſit ad hoc tumor durus in ſiniſtro maxillæ inferioris latere, prope tonſillas, ſub maſticatione & loquela dolorificus, qui tamen poſt octiduum ſponte evanuit, ſuccedente vero tanta raucedine, ut non niſi ſubmiſſa & vix intelligibili voce loqui potuerit, cum doloribus in pectore ſub reſpiratione pungentibus, & aſthmate poſt paſtum ingraveſcente; ceterum vero recte valebat. Cum igitur Paſtor loci, cujus incola eſt ægra, prædicta morbi ſymptomata mihi per literas referret & conſilium peteret, præſcripſi interne herbam Arnicæ in infuſo theeformi biben-

dam

dam, externe vero eandem herbam ſacculo inditam & vino incoctam nuchæ calide imponendam, quo unico remedio, per aliquot dies adhibito, primo raucedo, dein aſthma & tandem dolores nuchæ & pectoris ceſſarunt, atque ægra convaluit.

OBSERVATIO CXIV.

Dn. D. WILHELMI BERNH. NEBELII.

Aſthma graviſſimum, inſtar quartanæ, periodice recurrens, cortice Peruviano curatum.

Vir LX. circiter annorum, temperamenti ſanguineo-phlegmatici, plethoricus & obeſus, difficilem reſpirationem ſenſit, quam quidem obeſitati adſcripſit; cum vero hæc dyſpnoea paulatim incrementum ſumeret, imo tandem, etiam ſine præcedente corporis motu, quotidie hora 3. vel 4. matutina ita affligeret, ut, poſtquam æger per totam noctem tranquille dormivit, prædicta hora evigilans ſtimulum ad alvum deponendam ſenſerit, qua depoſita, ſucceſſit aſthma cum quadam obnubilatione capitis, quod per duas circiter horas duravit, & tandem ſuperveniente ſudore ceſſavit, conſilium a me petiit æger. Præſcripſi quidem varia, ſcilicet laxantia, venæſectiones, ol. Cajaput, juſculum e radicibus aperientibus recentibus paratum, quod per plures ſeptimanas mane & veſperi bibit, tandem etiam pulverem ſcillæ compoſitum Stahlii ad gr. iv. cum rad. Pareir. brav. pulveriſ. & elæoſacch. citri ana ℈ß. pro doſi mane & veſperi ſumenda, ſed incaſſum omnia, ſiquidem aſthma tandem typum quartanæ aſſumſit, atque tertia quavis die incruduit & quidem mane circa horam 6tam, qua e ſomno evigilans æger, quandam levem horripilationem ſenſit, ſequente mox alvi depoſitione, poſtea vertigine & ſomnolentia, quam

brevi poſt excepit aſthma primo mitius, ſed paulatim increſcens, tandemque adeo vehemens, ut facie tumida & obſcure rubicunda, ſicut in ſtrangulatis, reddita, æger & adſtantes ſuffocationem imminentem metuerent, qui paroxyſmus aſthmaticus per 3. circiter horas duravit, poſtea ſequente ſudore totius corporis, reſpiratio paulatim liberior reddita fuit; finito paroxyſmo æger usque ad novum, de nullo alio ſymptomate, præter virium debilitatem, conqueſtus fuit, ceterum recte valens. Rebus ſic ſtantibus, præſcripſi Cort. Peruvian. elect. ℥j. cum Conſerv. Roſar. rubr. ℥j. Salis abſinth. tart. vitriol. Salis amar. ana ʒj. & ſyrup. papav. rhœad. q. ſ. in Electuarium redactum, cujus portionem ad magnitudinem caſtaneæ, ſingulis tribus horis, extra paroxyſmum ſumſit æger, unde ſequens paroxyſmus multo mitior factus eſt, alter vero plane emanſit, quare patiens uſum hujus electuarii adhuc per aliquot dies, ſed ſolum mane, pomeridie & veſperi, continuavit, poſtea vero, dum perfecte reſtitutus videbatur, illud ſepoſuit, ſed præmaturam hanc medicamenti omiſſionem, accedentibus etiam animi affectibus, præſertim ira & terrore, poſt aliquot ſeptimanas ſequebatur novus paroxyſmus æque vehemens ac priores, quare ad uſum prædicti electuarii rediit, atque per plures ſeptimanas hoc continuavit, ita quidem, ut primis diebus quater quotidie, ſequentibus aliquot diebus ſolum ter, & tandem reliquis diebus ſaltem mane & veſperi doſin ſupra dictam ſumſerit, quo facto plenarie convaluit & jam ab integro fere anno ab aſthmate immunis vivit.

(*Heidelberga Halam miſſæ d. 28. Nov. 1746.*)

OBSER-

OBSERVATIO CXV.

Dn. D. JO. BALTHAS. EHRHART.

Qua aſſeritur

potiora foſſilium genera, per certas majores minoresve regiones ſuis limitibus cinctas, diſpoſita jacere.

Telluris viſcera perſcrutantibus non uſque adeo confuſum mundi chaos occurrit, quin appareat, licet ubique ſuper ruinas antiqui orbis nos habitare cum SENECA adſerere opus ſit certumque omnino maneat, tamen in hac mundi ſubterranei diſcordia etiam quandam concordiam ſimul ultro ante oculos obverſari. Non difficile eſſet ex ſcriptis eorum, qui recentiori ævo de multivariis foſſilium ac lapidifactorum generibus catalogos quosdam prodiderunt uberiores, probare, tam metallorum ac mineralium venas, quam certas claſſes vel marino-terreſtrium, vel lithophytorum, i. e. petrificatorum res quasdam vegetabiles æmulantium, ſemper certis adſtipulari regionibus, modo arctioribus limitibus comprehenſis, modo latius diffuſis. Auctores vero inter illos haud poſtremum meretur locum *Catalogus muſei Woodwardiani,* licet rarius in Germania cognitus, qui prodiit hoc ſub titulo: *An attempts, teworts a natural-Hiſtory of the Foſſils ; of.* J. WOODWARD. *M. D. London. 1739. 8.* Sed, relictis aliis ſuorum conterraneorum nunc & ſubterraneorum deſcriptionibus, nos hic pauliſper de noſtratibus *Suevicis,* rarius utpote per ſcripta publica notis, quædam in lucem proferemus, ad Topographiam lithologicam ſpectantia. Dum ſcilicet *ſupra terram* reges ac principes de ſtatuendis ditionum ſuarum terminis dimicant; ecce! *infra terram* offendimus oſſa & reliquias animalium etiam-

nunc oſtendentium, quos ipſa olim, ceu leti coloni, terrarum tractus longe lateque inhabitaverint iisque etiam dominaverint.

Fingamus jam hæc legentibus ante oculos poſitam eſſe mappam Sueviæ geographicam, qualem recentius ediderunt accuratiorem *Homanniani hæredes,* ſolida inſuper mathematica eruditione clari.

Apparebit *primo* magna & quinta fere totius Sueviæ pars orientalis, inter Lycum fluvium, Danubium, Ilarimque ſita, perque ſuperiorem ejus partem verſus lacum Bodamicum, immo Hohentwielam usque extenſam. De hac ſcire licet, multis inſtitutis per itinera experimentis id teſtantibus; quod nulla contineat marina petrefacta, nullas animalium partes, ſed vel vaſtas hinc inde *tophi fodinas, vel arborum* adhuc indigenarum *folia truncosque,* vix vero ullos earum fructus incruſtatos. Ad hæc quidem *teſtacea* ſubinde exhibet, ſed, quæ lacuſtria olim, nunc quaſi calcinata videntur. Majori in profunditate circa loca deſuper paludoſa *arborum trunci* eruuntur maximaque *lignorum fruſta,* eaque vel bituminoſo-vitriolacea, vel in ferri quandam mineram commutata, uti celebratiſſimum illud *lignum Laubacenſe* a) exemplo eſſe poteſt. Jure itaque meritoque hanc Sueviæ partem, patriæ meæ urbi longe lateque circumfuſam, *Sueviam* appellaverim *ſubterraneam lithodendram.*

Succedat *altera* Sueviæ ſectio, longe anguſtior, paucas leucas quadratas continens, *Sueviæ ſubterraneæ cochliferæ*

a) *Summe reverendus & eruditiſſimus Superintendens & Conſiſtorialis Dn.* LIEBKNECHT, *S. S. Theol. Doct. & Profeſſ. Gieſſenſ. qui Neſtora adhuc vivit, & utinam bis ſuperet! lignum hoc in Specimine Haſſiæ ſubterraneæ, anno 1730. 4to edito, pluribus cum obſervationibus, antiquitates tam phyſicas, quam politicas ſpectantibus, celebravit.*

liferæ nomine inſignienda. Neque enim marinorum, neque lacuſtrium, ſed terreſtrium exhibet ſpecies, horrendæ multitudinis, in juſtorum montium moles coagmentatas. Incipit infra *Balzhemium*, Ulmenſi ditioni ſubjectum, ubi Ilaris amnis, tunc demum navigabilis, occidentali unda montem alluit arenoſum, eluitque ſimul ſpatio ſat vaſto maximam vim cochlearum majorum acuminatarum, nivearum & quaſi calcinatarum, *cochleæ maximæ cinereæ eduli* LISTERI, noſtratumque *Herren-Schnecken* ſimilium. Tranſit hinc cochlifera hæc regio ab Ilari Danubium, verſus pagos *Enslingen* & *Eckingen*, ubi legeram, viginti abhinc annis, in calcareo gryſeo duriſſimoque lapide confertiſſimas cochleas umbilicatas, hortenſium vulgatiſſimarum ſpecies exacte repræſentantes, easque tanta obvias copia, ut urbes inde extrui poſſint. Quæ in memoriam revocabant id, quod paucis ante annis ex B. ROSINI ore audiveram, illum nimirum in peregrinationibus ſuis lithologicis etiam totas non minus regiones cochleis terreſtribus olim, jamque foſſilibus iisque puris putis abundantes, quam marinis reperiiſſe.

Illis vero proxime jam, interjecto Pappenlavienſi monte, contermina *regio tertia corallifera*, circa celebre *Blavifontanum* cœnobium obvia, quam primum detexerat ejus aliquando, nunc vero Denkendorfenſis Cœnobii *Prælatus reverendiſſimus, ampliſſimus & eruditiſſimus Dn. Phil. Jac.* WEISSENSEE, *Sereniſſimo Duci Würtembergico a conſiliis eccleſiaſticis & Superintendens generalis, Vir in provehenda eccleſiæ bonarumque ſcientiarum felicitate Herculei laboris juvenilisque ardoris, licet neſtoreæ dudum frontis; pectus, quod charites, quod muſas continet omnes;* Huic enim notitiam debeo accuratam patriæ geographiæ ſubterraneæ non ſolum, ſed & exemplaria innummerorum pene foſſilium generum & locorum nativorum eorumque, quorum præ cæteris mihi cura, phænomenorum. Majorem

tribuo huic regioni extenſionem, quam antecedenti; porrigitur enim & Giengam maxime, urbem imperialem, ubi obſtetricantes manus in eruendis pulcherrimis lithophytorum olim ſubmarinorum varietatibus *Excellentiſſimus ac prænobiliſſimus Dn. D. de* MOHR, *Archimedes Academiæ noſtræ meritiſſimus, idemque chirurgo-medicus celeberrimus.* Utraque regio corallifera, (nam Ulmenſis ditionis montibus divaricatur,) rariſſimas offert ſpecies *Tabulariæ*, *Madreporarum*, *Fungitarum*, *Favaginum*, *Aſtroitarum*, *Aurantii marini*, *Marſilianæ Hiſtoriæ maris* exacte convenientium, tenero ſæpe limo, vera Adamica terra, involutorum. Qualia exemplaria partim nativo fulvoque poſt tot millenos annos colore ſtructuraque adhuc ſuperbiunt, partim vero adeo vaginulas illas hexædricas adhuc oſtendunt, quibus floſculi olim recondebantur coralloidei, divino *Comitis illius* experimento in certam veritatem vindicati; utut, quod ad interiorem ſpectat ſubſtantiam, in durum ſæpe cœruleumque Achatem verſa occurrant. Magnitudine ſunt partim minori, partim maxima &, quod fere dixerim, gigantea: qualia ſcilicet in *Illuſtr. Comitis de* MARSIGLI tabulis per microſcopium aucta ærique inciſa conſpiciuntur.

Sed tempus eſt *quartam* ſalutare Sueviæ noſtræ partem, quæ *marina* offert *oſtracodermata* & vaſtiſſimam ſecat tegitque regionem. Illa, baſin nacta ad celeberrimum *Randium* montem, Scaphuſiæ adjacentem, hinc mox ad Danubii fontem (cujus petrefacta BUCHERUS olim deſcripſerat,) aſcendit, ejusque ſeptentrionalem ripam, *Zwifaltam* usque attingit. Hinc latiſſimas *Blaubeyræ* ſupra laudatæ, inferiores *Würtembergenſes Alpes*, illinc easdem ſuperiores ſylvæque nigræ vicinas permeat, ulteriori dein latifundio ſuo complectens *Hohenzolleram*, *Bebenhuſam*, *Denlendorfium*, *fontem Bollenſem*, *Heidenhemium*, ſtupendosque ubivis offert revolutionum priſtini orbis teſtes, regiorum palatiorum haud

indignas

indignas gazas. Speciatim exhibet *ſtellas marinas arboreſcentes*, ſtupendæ expanſionis, *Zellenſes*, prope *Gœppingam*; *nautilos* pulcherrimos *Hechingenſes*; *cornua Ammonis* pergrandia *Offterdingenſia*, prope *Tubingam*; *bucardites coſtatos & granulatos Pfullingenſes*, prope *Reutlingam*; *teſtacea* plurima *perlacea* nitenti adhuc teſta veſtita, interque eas *chamas* verrucoſo-pectinatas rhomboidales *Bollenſes*; *belemnitas* teſtaceam internam ſtructuram oſtendentes *Aalenſes* b). Suevicæ tandem huic marino-terreſtri regioni, ceu caput quoddam, imponitur *comitatus Oettingenſis*, hucusque ignotus, ſed omnium copioſiſſime petrefactis ejusmodi gaudens, quæ una cum mineralibus notatu haud minus dignis in nitidiſſima manu ſcripta delineatione mecum communicare haud gravatus eſt is, qui primus ea, in pudorem Medicorum phyſicorum, quæ ſui eſſent muneris, negligentium, detexit *generoſus ac jure conſultiſſimus Dn. de* MOLL, *Celſiſſimor. Comit. Oetting. ac Wallerſt. nec non aulæ Cæſareæ Conſiliarius, jam Sereniſſimo Principi Naſſoviæ a conſiliis pro legatione ad eandem aulam.* Unde intellexi per omnem illum tractum, nominatim prope *Oettingam*, *Härburgum*, *Spielbergam*, *Allerhemium*, *Hochhauſium*, *Biſſingam*, *Ka-*

zen-

b) *Has omnes ſpecies inſigniores cum innumeris aliis olim, dum Tubingæ commorabar, tam in natalibus locis venatus ſum, quam in muſeo demonſtratas vidi a beato nunc Dn. Joh. G.* GMELINO, *qui de Hiſtoria Sueviæ ſubterraneæ inter primos meritus eſt, Pharmacop. & Chymicus Tubingenſ. præſtantiſſimus. Pater trium filiorum de phyſica ſpecialiſſima non minus optime merentium: Dn.* JO. CONRADI, *civis academici & Pharmac. ſagaciſſimi, & Dn.* PHIL. FRIDER. *M. D. & Practici celeberrimi; utriusque Tubingæ commorantis: natu vero medii, Aſiatico itinere clari, Dn. D.* JO. GEORG. *Academici Petroburg. & Profeſſ. Medic. ordin. Tubing. deſignati.*

zenſtein, Nereshemium, Wallerſtein, Kirchhemium, Balderam, Mœnchsrotham, obſita omnia eſſe conchyliis olim ſubmarinis, nunc vero petrefactis, *cornubus Ammonis, neritis, cochlitis, belemnitis cum ipſorum alveolis, terebratulis, mytulis, oſtracitis, bucarditis, echinitis, item aſteriis Alcyoniis,* interſperſis, ſed raro, *lithoxylis, lithobibliis*, rariſſime vero *oſſibus petrefactis.* Hæc omnia ſuo quodammodo jure regioni huic nomen afferent *Sueviæ ſubterraneæ conchyliferæ.*

Poſtrema vero hæc ſibi etiam ſervarunt diſtinctam regionem, *ordine quinto* nunc exponendam, *belluarum* ſcilicet *terreſtrium oſſibus* impregnatam. *Canſtadienſis ager* princeps eſt, cujus foſſilia oſſa perquam grandia & olim celebratiſſima erant. Sagacem in hunc usque diem Oedipum exſpectant; generaliora enim CARLII, & inconcinna SPLEISSII tentamina accuratiorum naturæ ſcrutatorum quis non indignatur? Hucusque quidem ea Gazophylacium Ducale Studtgardiæ exſtructum conſpicienda exhibebat omnibus naturalium rerum curioſis, utut raris; nunc vero in juſtam negligentium ejusmodi phyſicorum pœnam obſcuro ſepulta jacent angulo, usque dum, nova OPTIMO PRINCIPI ſede ducali funditus exſtructa, Gazophylacio quoque ſuus reſtitutus ſit locus. Sed vivit adhuc unicus ſuperſtes teſtis oculatus, isque PRINCIPIS tum temporis auctoritate huic deſignatus rei, quo præſente intricata hæc oſſa ante dimidium fere ſeculum in lucem protraherentur, is nimirum, quem jam ſupra laudavimus, laude licet noſtra major, *reverendiſſimus Dn.* WEISSENSEE, qui ſumma humanitate animique facilitate, quæ circa hæc cognoverat, copioſe hactenus cum multis communicavit earundem rerum ſtudioſis, ea mente, ut dignus tandem Achilli ſuo reperiretur Homerus c). Extenditur vero hæc *belluinorum oſſium ſubterraneo-*

c) Plura, quæ de his oſſibus foſſilibus in has obſervationes A. N. C.

raneorum ferax regio ſeptentrionem verſus. Nam *Manhemiana maxilla elephantina* ſuperbit *Gmelianum muſæum*; & ut *Canſtadio* propiores maneamus, in *Enza* fluvio, *Niccaro* paullo ad ſiniſtram poſito, verſus *Vaihingam*, reperta aliquando *cornua* maxima *bubulca*, Sinenſibus, ab *Illuſtr.* SLOANE in *A. R. P. 1727. pag. 153.* deſcriptis, plane æquiparanda, fida relatione comperimus. Paullo dextrorſum *Hala Suevorum cornu* oſtendit *monſtroſum* ibi effoſſum & adhuc in ſacra ſuſpenſum æde, quod inprimis *Cl. Dn. D.* BEYSCHLAG in diſſertatione de ebore circa hanc urbem copioſe foſſili, ut meruit, celebravit. Solerti vero inter alia foſſilium Halenſi-Suevicorum exemplaria attentione dignus eminet *dens molaris elephantinus*, pulcherrimum ſane ſui generis ſpecimen, etiamnunc in *prænobiliſſimi & doctiſſimi Dn.* FRIDERICI LAURENTII *de Jemgumer-Cloſter, Reipublicæ Suevo-Halenſis ejusdemque Conſiſtorii Secretarii*, ſervatus muſeo locupletiſſimo & jam typis deſcripto. Rarioris hujus cimelii eximius poſſeſſor ſolus fere, adeoque etiam hoc magis celebrandus, in *Suevia ſeptentrionali* ſubterranea perſcrutatur, atque eam ob cauſam merito illi viridem ſeramque ſenectutem felicitatemque apprecamur nullo die interituram. Præcipui vero momenti eſt, quod etiam jam ſupra innuimus, ſemper fere *ad ripas fluviorum, ſeptentrionem verſus tendentium*, *belluina* ejusmodi *oſſa*, antiquiſſimis forte temporibus profundius ſepulta, fuiſſe detecta; quod exemplo ſuo teſtantur, & *oſſa vel dentes elephantini, prope Salam in vicinia Halæ Magdeburgicæ*, me præſente, protracti; & notiſſimum illud, quod TENZELIUS deſcripſit, *foſſile Tonnenſe, elephantinum ſceleton*, ad ripam fluvioli ſimilem

* N. C. deſtinaveram, nunc vide in peculiari tractatu germanico, inſcripto: Phyſicaliſche Nachricht von dem Buche: de' Corpi marini de' monti, 4to 1745. pag. 8.

milem curſum ſervantis effoſſum, & *oſſa* denique illa *animalis Manmouth* dicti, quæ ſimiliter *dentes* ſunt *molares*, in achatinam verſi duritiem, *inque Siberia*, cujus omnes fluvii ad ſeptentrionem in mare excurrunt, haud raro effoſſi.

Priusquam vero rivos claudamus, *ſextamque* adhuc eamque nobiliſſimam regionem indagare animus eſt, metallorum ſcilicet fœcundam & hinc quoque *Sueviæ ſubterraneæ metalliferæ* titulo inſigniendam. Angulum hæc obtinet accurate primæ regioni oppoſitum, nempe auſtralem illum, qui meridiem & orientem verſus, ſtatis a *Rheno fluvio* limitibus, ad occidentem vero iisdem cum *quarta regione* partibus intermixtis, ad ſeptentrionem denique *Kinzinga* amni terminatur; in cujus vicinitate nonnulla quidem petrefactorum marinorum indicia facta ſunt, ſed, quæ exactius intra hos terminos jacet terra, iisdem plane caret, teſtante illud mihi *ſolidæ indagationis viro, clariſſimo Dn. Jo. Conrad.* GMELINO, ſuperius jam commemorato, qui hanc *ſilvæ nigræ* regionem *tractusque Fürſtenbergicos* & *Badenſes Baſileam* usque, non una vice emenſus, ad miraculum usque ne tantillum quidem rerum quarumvis petrificatarum offendiſſe ſe affirmavit. Atque hæc perpetua naturæ regula eſt & ordo, quod in locis venarum metalliferarum, excepto ferro, feracibus corporum marino-terreſtrium rariſſima offendantur veſtigia. Quod vero hic loci metallicos Sueviæ theſauros ſpectat, de iis alio tempore commoda dabitur diſſerendi occaſio, qua data, ea inprimis publico uſui non invidebo, quæ ab eximia virorum hoc in ſtudio verſatiſſimorum biga accepi. Horum alter eſt *illuſtris & excellentiſſimus Dn. D. Joann. Albert.* GESNERUS, *Archiatrorum Würtenbergicorum Primarius, Sereniſſimoque Duci a conſiliis metallicis, Metallurgiæ ſimul & Chymiæ callentiſſimus, minerarum item perſcrutator* ἀκριβέςατος, qui earum tales detexit varietates ac combinationum modos, quales in

rerum

rerum natura dari ὁ πάνυ HENCKELIUS vix, niſi ab Eo doctus, credidiſſet. Alter eſt *admodum Reverendus atque doctiſſimus Dn. Salomon Fridericus* MAIER, *Paſtor Reinerzavienſis, Eccleſiæ evangelicæ (quæ proxime Alpisbacum Ducatus Würtenberg. jacet,) vigilantiſſimus,* MATHESIUM *illum, in Joachimica Bohemiæ valle diligentiſſimum verbi divini præconem, æmulans, Theologiæ ac rerum mineralium ſcientiam & praxin combinans, Vir indefeſſus humaniſſimusque,* cui egregiam debeo Synopſin locorum ad ſilvam nigram venis metallicis celebratorum quam plurimorum, nec non diverſarum ſpecierum metallorum effoſſorum; quorum omnium b. c. D. explicandi nomina peculiari tractatu germanico proximam captabimus occaſionem, hoc loco notatu digniora per tranſennam tantum indicaturi. Prope *Reinerzaviam* itaque, ut ab hac ordiar, illam, quæ & *Reinhardſau* vulgo dicitur, fodina a ſtella, quæ tribus apparuit regibus, *drey Kœnigſtern* dicta, ut ære, ita inprimis etiam nativo argento, dives, teſtantibus id copioſis Thaleris anno 1728. cuſis; quam prope fodinam rariſſimum phœnomenon, *vena lunæ cornuæ* ditiſſima puriſſimaque ſciſſilis, quæ *derb Glaserz* vulgo audit, plane diſciformis, in medio cumuli, ex arena ruſeſcente ſpathacea conflati, offendebatur. *Wittichena* vero, quæ *Fürſtenbergici* eſt *juris,* fodinam, olim *Dei gratiam,* nunc a *Sancto Joſepho* nuncupatam, oſtendit, regii plane ac pene inexhauſti theſauri, ob *argenti* & *cobalti* abundantiam. Initio etiam hujus ſeculi, ceu Phœnix, reſuſcitabatur minerarum effoſſio, (quæ forte ante quinque ſecula jam ſatis celebrabatur,) ope civium quorundam Noribergenſium ſpectatiſſimorum, videlicet exempli loco: *Dn. Anton.* FISCHER de OERINGEN &c. Sed diſſidiis inter eos ortis parum abfuit, quin in priſtinum chaos relaberentur cuncta; quæ jam denuo ſub auſpiciis *Celſiſſ. Principis Fürſtenbergenſ.* JOSEPHI, eo usque florebant, ut ab anno 1720. ad 1746.

ultra 800000. floren. lætum in quæſtum ceſſerint. Nec minus lucroſarum illarum in vicinia jacentium fodinarum mentio facienda eſt, quæ a *Sophia* & *nova Fortuna*, nec non *a Dei bonitate* denominantur. Sed ad Würtenbergiam, cariſſimam nobis terram, regrediamur, metallis itidem non infœcundam. Teſtantur hoc prope *Alpisbacum*, cœnobium ſat illuſtre, fodinæ *Wolffgang & Eberhard, cobalti* pulcherrimi *argentique* venarum dives: in *Freudenſtadii* vero vicinitate, vel in *St. Chriſtophori valle*, *Ferdinandi* ac *Dorotheæ* fodinæ exſtant; unde majoris etiam modi monetæ argenteæ anno 1740. catervatim cuſæ prodierunt. In *valle* vero *Murgenſi*, prope cœnobium *Reichenbach*, fodina *Kœnigswart* dicta venas *cupri*, *argenti* ac etiam *biſmuthi* largitur. *Schoppagenſis* vero *vallis*, in principatu *Fürſtenbergico* ſita, prope *Rippolslaviam* ab *acidulis* olim maxime inſignem, venas continet ipſi alenti humo proxime ſubſtratas, *cupri* ſcilicet ac *plumbi*, ad argenti coctionem etiam vicinis locis exoptatiſſimi: profert ſimul ipſum *cuprum nativum* & *malachiten* gemmam & *pyritas globoſos*, maximi diametri ſemipedalis, mirabili ceparum forma, ex circularibus ſtratis copioſiſſimis conſtructos. In magis *auſtrali Sueviæ noſtræ metallicæ parte*, verſus Rheni angulum, quæ ad *Marchionatum Bado-Durlacenſem* ſpectat, non minus celebres *plumbi argentique mineræ* prope *Badenweileram*, *Sulzburgum*, *&c.* offeruntur. Quid vero de *ferri fodinis* commemorem? uti *Ober-Kirchenſibus Epiſcopatui Argentinenſi ſubjectitiis*, plurimisque *Fürſtenbergicis*, veluti prope *Hauſach ad Kinzingam, Lippdingen, Wartenberg in Baar, Stuhlingen, Blumbergam ad Randen, Ippingam*, *Thiergarten juxta Mœskirchen*; quibus locis omnibus *ferri venæ* tam *ſaxeæ*, *Stufferz*, *quam globoſæ, Bohnerz*, hinc inde ſeparatim effoſſæ, ſuis dein locis mixtim Vulcano traduntur. Immo auri (ferrique) ſacra fames quid non mortalia cogis pectora? fando, ſed

ſed fido ex ore accepimus, alibi accuratius dicenda, prope *Scaphuſiam* metallifoſſores medias terebraſſe profundasque rapidiſſimi ibi Rheni aquas, & e ſicco ac firmiter per undas exſtructo puteo longe optimas inde eruiſſe *ferri mineras*. Denique ipſi noſtris manibus tractavimus *Achatæ puniceo-violacei* pulcherrima ſpecimina, ex integro, qui inde conflatus dicitur, monte, in ſilva nigra, prope *Tribergam*, Auſtriaco dominio ſubjectam. Et cui non celebratæ *gemmeæ officinæ Friburgenſium*, Gallos heu! nimis duros expertorum: qui inter alia admiranda, artificio ſtupendo, vix bis in Europa obvio, ope ſcilicet terebrarum adamantinarum longe ſubtilium, granatorum, qui quidem ex Bohemia advehuntur, ſphærulas conficiunt numero vix uſpiam copioſiores.

Tantum in gratiam problematis ab *illuſtri* LEIBNITIO propoſiti ſit tentatum, qui plus uno loco optaverat, ut, quo modo tam peregrinorum ſubmarinorum genera eaque adeo innumera foſſilia, quam mineralia, certas per regiones catervatim aut una ſerie diſpoſita jaceant, a viris naturæ curioſis indicetur: quo appareat, quæ loca, foſſilibus ſcilicet marinis olim plane orbata, tum forte terras fuiſſe habitabiles prioresque illis locis, quæ ſubmarinis petrefactis nunc copioſe repleta animadvertuntur.

Apparet ergo ex his, medium mare olim ſecuiſſe *Sueviam*, teſtibus regionibus a nobis indicatis, *tertia* & *quarta*. Atque hujus quidem marini tractus quantitatem dimidiam fere obtegiſſe Sueviæ partem; directionem vero ſuam profundioris pelagi ſervaſſe a regione *Africi*, *Südweſt*, ad oppoſitum *Caurum*, *Nordoſt*; illinc vero verſus *Boream Zephyrumque*, terram habitabilem juxta, fuiſſe *regionem ſextam metallicam* nunc, *& quintam belluarum olim ſedem*: hinc porro, verſus *Euro-notum*, *primam & alteram*, *lithobotanam & cochliferam*. Cohæſionem vero illius pelagici, nunc ſubterranei, tractus a parte *Helvetiæ* SCHEUCHZERUS,

 BOUR-

BOURGUETUS &, magna nomina, GESNERUS, GARCIN & GAGNEBIN: a parte vero *Franconiæ* BAIERUS & *Celeberr.* WAGNERUS, *Baruthinus Archiater*, edocebunt. Majora vero in lucem proferent futuri dies, opinionum commenta delebunt, & curtarum obſervationum noſtrarum loco auctiores dabunt ſuisque numeris abſolutiores.

(*Memminga Halam miſſa, d. 26. Novembr. 1746.*)

SCHOLION.

Commentationi huic geographicæ, *de ſubterraneis foſſilium Suevicorum limitibus*, ſpicilegium quaſi quoddam adnexurus, id hoc majori meo me jure facere arbitror, quo juſtiori deſiderio ea, quam hic ſtatim definiam, *Sueviæ* portio locum ſibi atque nomen aliquod inter reliquas ſuas ſorores expoſcit, licet a *Clariſſ. Auctore* noſtro ex feſtinatione dicam, an conſilio? plane ſit prætermiſſa. Utcunque enim illa ſpatio tractuque præ cæteris minima ſit regio, nihilo tamen ſecius, ob inſignes & ſingulariter exactas *fluviatilium animalium petrificatorum* ſpecies, ſingularem quoque meretur attentionem. Neque eſt, quod hanc *Sueviæ* particulam regionis cujusdam ſuperius deſcriptæ terminis ſubjicias: & age! ſi etiam velis, cui demum ſupponeres? *Lithodendris* nemo ſane adjudicaverit: nec cum *terreſtribus cochleis* repent piſces; nec cum *coralliis* nova methodo efflorеſcere incipient; nec *beſtiarum* denique *quadrupedum* cœtibus ſe unquam adſociabunt. Tandem quoque nec *conchylifera regio* aliquid in noſtram juris habet, uti quidem ob communia piſcium cum oſtracodermatis domicilia videri poſſet: partim enim hæc plane alius & ſeparatæ ab illis ſtructuræ atque generis ſunt animalia inſuperque teſtis undique circumſepta, præcipuis nimirum petrificationis ſuæ adminiculis: partim vero ipſi piſces noſtri foſſiles, per figuram ſuam in

in flumina ſe potius vindicant, quam oceanum, ordinariam conchylium ſedem. *Metalliferæ* denique *partis* mentio ſine injuria abeſſe poteſt, utpote & longiſſimo a noſtra diſſitæ intervallo & nunquam etiam in *Sueviam noſtram Ichthyolithæam* jus quoddam poſtulaturæ. Extremo atque eo ſane perexiguo *Sueviæ* angulo circumſcribitur *piſcium* hic *tractus*, illinc, ubi ad ſeptentrionem vergit oriens, ſolumque in ſe complectitur *Comitatum Pappenheimenſem*. Abundat hæc terra inſigni lapidis cujusdam ſciſſilis, ſubrufo-albicantis paulloque conſiſtentioris compaginis, copia, quem *Schiſtum* vulgo vocant. Hi lapides, ſi ſub felici diffracti fuerint ſidere, jucundo admodum oculis ſpectaculo, exhibent piſcium, quin etiam interdum cancrorum, non figuras aut expreſſas imagines, ſed accuratiſſima ſceleta & quæ ipſi quoque dexterrimo anatomico, ſi in vivo piſce hæc æmulari velit, crucem figere poſſent. Nimirum hoc illud ipſum eſt, quod petrefactas has piſcium reliquias eo nobiliores memorabilioresque reddit præ plurimis, immo, quid dicere vetat? omnibus cæteris *ichthyolithis*, in quibus ſquamæ tantum, aut, ſi propius a veritate aberrare mavis, muſculorum carnisque ſectiones expreſſæ apparent: quale exemplum petenti cui non noti ſunt *lapides fiſſiles Mansfeldici*, cupro ſimul & piſcibus petrefactis maxime abundantes? *Ichthyolithorum* horum *Pappenheimenſium*, præter alia plura, duo inprimis elegantiſſima exemplaria, (alterum quidem piſcis ad omnes usque vertebras & ſpinas perquam ordinate exoſſati, alterum vero capitis ejusmodi ſolum, naturalem partium ſitum exquiſite ſervantis,) ornant muſeum naturæ magis, quam ſplendori accomodatum *Celeb. Viri, Joann. Joach.* LANGII, *Philoſ. & Matheſeos Profeſſ. Halenſis & Academiæ noſtræ Collegæ digniſſimi*, quorum icones libro ſuo germanico, ſub titulo: **Geſchichte der Erden in den alleraͤlteſten Zeiten**, edito, adjecit *Vir itidem clarus*, *Dn. J. G.* KRUGER, *Medic. & Phi-*

& Philoſ. ibidem Profeſſor. Admirandæ vero huic piſcium petrificationi hanc equidem ſtatuerim cauſſam: Ad *calcaream* propius accedit *indolem ichthyolithus hic fiſſilis*, præ aliis hujus generis ſchiſtis, quod experimento conſtat, hinc etiam ſub ipſa piſcium immerſione in primam horum lapidum maſſam, mollem adhuc & limoſam, teneriores eorundem partes, ut caro, viſcera, &c. a calcareo principio, propter conjunctam aquam, tum potentius agente celeriter, priusquam induratio abſolvi potuit, conſumtæ ſunt, relictis ſolis & quaſi ſemicalcinatis (ſi ita loqui licet,) durioribus partibus, nempe oſſeis; quæ dein, intervenientibus innumeris particulis lapideis, perfectam lapidum naturam induerunt. Atque hæc eſſent, quæ *ſeptimæ* huic *Sueviæ ſubterraneæ regioni*, mea quidem ſententia, deſtinaſſem, inque eo nunc omnino adquieſcerem, niſi circa unicum adhuc *antecedentis obſervationis* locum aliqua retinerer dubitatione. Regiones nimirum metalliferas, ſi ferri excipias mineram, omnibus omnino petrefactis marino-terreſtribus deſtitutas affirmat *Celeberrimus Auctor.* Verum enim vero, præter plures alias regiones, ſententiæ huic ſuæ inprimis adverſariam habere videtur *Mansfeldiam ſubterraneam*, læta minerarum cupri & diverſiſſimarum conchylium petrefactarum vicinia ſuperbam; ut jam ipſos taceam Ichthyolithos mineris his venereis fiſſilibus, proprie quidem in hanc claſſem non pertinentibus ingenitos. Nec conſentit cum *Eo ſilva Hercynia*, continuis metallorum tractibus fundata ſimulque *echinitis*, *nautilitis*, *Ammonis cornubus*, *encrinis*, *turbinitis* & id genus aliis imprægnata. Qua de cauſſa mihi quidem paullo anguſtiores limites huic ſententiæ ſtatuendi videntur.

(*A. E. Büchner.*)

OBSER-

OBSERVATIO CXVI.

Dn. Lic. JO. CHRISTOPH. SCHILLINGII.

De

Sudore ſanguineo poſt graves convulſivos & ſpasmodicos affectus erumpente, feliciter tandem ſublato.

Puer, duodecimum adhuc agens annum, tempe ramenti phlegmatico-ſanguinei, habitus corporis laxi & ſpongioſi, ſanus antea, præter quam quod anno ætatis tertio, ſub exſiccatione variolarum malignarum & confluentium, motibus convulſivis, quumque hi ceſſarent, per decem dierum ſpatium aphonia afflictus fuerit, abhinc ſesquiannum ſuffocationibus præcordialibus, motibusque has comitantibus convulſivis, laborare cœpit. Ex his autem brevi reſtitutus, initio menſis Julii anni current, de capitis dolore tenſivo, odontalgia, & oppreſſione pectoris conqueſtus eſt, quos dolores circa medium ejusdem menſis ſanguinis ex angulo oculi ſiniſtri domeſtico effluxus excepit. Quum autem epithema (malo quidem conſilio) ex alumine, cum albumine ovi conquaſſato, paratum, oculo ſuperimpoſitum eſſet, tertio die poſtea motibus convulſivis miſerrime excruciatus fuit, opiſthotonos, emproſthotonos, riſus Sardonius, ſpaſmus cynicus, aliæque ſpaſmorum ſpecies, triſti adſtantibus ſpectaculo in illo obſervatæ, ſenſibus tamen externis, durante paroxyſmo, æque ac extra illum, officio ſuo fungentibus. Tempore autem intercalari varias mentitus eſt viſiones, præſertim viri cujusdam denigrati, qui varia illi objecta modo afferret, modo ſubmoveret, cui etiam illuſit, ac ſi præſens adſtiterit. Horis ejusdem diei veſpertinis affectus hi convulſivi & ſpasmodici paulatim remiſerunt; ſequutus

autem eſt vomitus, cum quo materiam viſcidam, lentam, notabili ſanguinis fluidi portione mixtam, ejecit. Die ſequenti cephalalgia, præſertim dolor circa arteriam frontalem, & radicem naſi calor p. n. & tumor harum partium, orti, quos affectus ſudor ſanguineus, ex limbo anguli ſiniſtri circa glandulam lacrymalem, minus tamen ex illa, itemque ſub palpebris, glandulis ſebaceis & poris inter cilia conſpicuis, unciarum circiter duarum pondere æſtimatus, excepit, qui partim linteaminibus abſterſus, partim in terram prolapſus, in coagulum abiit, exſiccatus vero fibroſus apparuit. Cumque nares internæ herba millefolii fricarentur, ſanguis exſtillavit, cum levamine dolorum capitis, & diſparentia tumoris, quod ſanguinis ſtillicidium per nares aliquot etiam diebus recurrit. Die ſecundo menſis Auguſti prævio ſtupore, ſopore p. n. anxietate & motibus ſpasmodicis, levibus tamen, aliqualis tumor mammillæ ſiniſtræ, magnitudinem imperialis æquans, conſpiciebatur, ex qua deinde per unius horæ ſpatium multus ſanguis exſudavit; quod etiam illo & ſequentibus diebus ſparſim in frontis ſiniſtra æque ac dextra parte, calvaria, nucha, humeris, utroque brachio, manibus, pectore, circa umbilicum, femoribus, genibus, ſuris, pedibusque accidit, quum ante eruptionem ſanguinis in parte affecta aliqualis elevatio cutis, pulſus durus, plerumque etiam ſopor p. n. quiritatio, jectigatio, pectoris oppreſſio & ſtupor, nec minus ſpasmodica artuum convulſio obſervata eſſent, qui affectus poſt ſanguinis eruptionem remiſerunt. Manſit interim æger ut plurimum orthoſtadios, valde ciborum appetens; ſudorem large emiſit ſeroſum, & in ſe- & excretionibus aliis ſano ſimilem ſe geſſit. Quum deinde menſis hujus die decimo ſeptimo ſudor hic ceſſaſſet, acerbiſſimi recurrerunt capitis dolores, pectoris oppreſſiones & anxietates, immo aliquot motuum convulſivorum paroxyſmi, quos ſanguinis exſcreatio & ejectio cum

tuſſi

tuſſi ſequuta, itemque ſanguinis per alvum ſeceſſio, quales excretiones ſanguinis modo per os, modo per alvum, modo per poros cutis hinc inde, ad æquinoctium hujus anni vernale usque & ultra, alternatim ſæpius recurrerunt, &, licet puer per aliquot interdum hebdomadas liber fuerit, non prius tamen, quam poſt illud tempus, prorſus convaluit: jam vero, quæ ſingularis Dei gratia eſt, optime valet. Adhibita autem ſunt in hoc morbo, pro ratione indicantium, medicamenta temperantia, travmatica, tonica & antiſpaſmodica, quot quidem eorum ob ægroti impatientiam adhiberi licuit, e quorum cenſu ſpecificum alicujus effectum laudare vix valeo, eventum autem ſalutarem, a Deo largitum, ſubmiſſa mente veneror.

EPICRISIS.

Quum ſudor hic non ſecundum, ſed præter naturam ſanguineus in hoc puero excretus ſit, ad ejus cauſſam eo penitius indagandam, tria potiſſimum momenta in cenſum veniunt, nimirum.

I. Conditio liquoris exſudati,
II. Vaſa, quæ penetravit, &
III. Cauſſa efficiens.

I. Quod ad liquorem attinet exſudatum, ſanguis ille eſt, ex parte nempe rubicunda & ſeroſa conſtans. Obſervatum enim ſecundum allegatam hiſtoria morbi, talem non ſolum ex oculo ſiniſtro & poris cutis diverſarum corporis partium proveniſſe, verum etiam poſt excretionem in linteaminibus abſterſoriis æque, ac in terra, in quam procidit, coagulum ſubiiſſe rubicundum, quod, exſpirata parte fluida, filamentoſum ſe præbuit. Partem ſanguinis ſeroſam per poros cutis in ſanis & ægrotis, quacunque ex cauſſa ex glandulis miliaribus guttatim prodire, quotidiana conſtat experientia; aſt partes rubicundæ, ſive purpurei ſanguinis globuli, quia

craſſiores ſunt ſeroſis, non tam facili negotio tranſire valent, niſi p. n. modo reſoluti & aperturis pororum minores redditi ſint. Concludendum igitur eſt, majorem ſanguinis rarefactionem & attenuationem in hoc ægroto noſtro ſudorem ejus ſanguineum foviſſe, quæ imminutam ſulphurearum, aquearum & ſalinarum partium, fluidum hoc vitale conſtituentium, cohæſionem ſupponit. Ad hanc autem ſanguinis conditionem partim temperamentum ægroti phlegmatico-ſanguineum multum addidit momenti, quatenus ex naturali ejus craſi partes ſeroſæ in illo nimis abundant, & hinc promtius reſolvi & diffluere poſſunt; partim citatior ſanguinis tum inteſtinus, tum progreſſivus per vaſa ſanguifera motus, qui ex motibus convulſivis & ſpaſmodicis, morbum prægreſſis & concomitantibus, ortum duxit. Quoniam enim exinde vaſa nervea æque ac ſanguifera magis, quam par eſt, contrahuntur, ideo eo major quoque ſanguinis conquaſſatio, & actio & reactio partium ejus conſtituentium, ſicuti & celerior ejus motus per vaſa progreſſivus evenit: quo intimior enim & celerior ille exiſtit, eo magis quoque contiguitas ſanguinis turbari, cohæſio partium naturalis interrumpi, calor & reſolutio oriri, hinc fluxilior evadere, vaſa cutis minora penetrare, & diapedeſin ſubire poteſt. Id tamen neutiquam fieri poſſet, niſi vaſa ſimul excretoria conniverent. Hæc vero in ægroto noſtro patula ſatis, ad hunc ſanguinem emittendum, fuiſſe neceſſe omnino eſt.

II. Vaſa autem, per quæ ſanguis reſolutus promanavit, pori cutis ſunt, ſive oſcula ductuum breviſſima, ex glandulis ſubcutaneis exeuntia, cuticulamque perforantia, de quibus conſtat, quod valvulis ſive ſphincterulis, nudis quidem oculis minus, armatis tamen ſe manifeſtantibus, munita ſint, & eodem modo ſe habeant, uti valvulæ in arteria meningea, temporali, ſubclavia, vertebrali, &c. præſentes, quæ pororum valvulæ partim ad modificandam & coërcendam

ſenſi-

ſenſibilem & inſenſibilem transſpirationem, partim ad avertendum materiæ craſſæ introitum ab extra, conducunt. Per hos poros quamdiu in ſtatu naturali permanent, partes ſanguinis aqueæ quidem cum aliis reſolutis, præſertim peregrinis, mixtæ, modo ſub ſpecie vaporis, modo guttatim, ex maſſa ſanguinea ſecerni conſueverunt, groſſiores autem, inprimis globuli rubicundi, non ita facile permeant, niſi pori ipſi p. n. modo relaxati ſint. Id quum in hoc ægroto noſtro factum ſit, non ſolum ab habitu ejus laxiori & ſpongioſo ortum eſſe putamus, in quo pori ſecundum naturam magis patent, quam in ſtrictiori, verum etiam a ſpaſmis perpeſſis, iisque acerbiſſimis, ſiquidem ſpaſmi atoniam, hinc quoque majorem ſphincterum relaxationem poſt ſe relinquere ſolent, ut liquor aliaque contenta, hinc ſanguis ipſe, nullo reſiſtente obſtaculo, tranſire poſſit. Idem quoque in iis, qui prægreſſis motibus convulſivis paralyſi laborant, nec minus in moribundis, in aliis corporis partibus contingere videmus, ubi ob relaxationem & atoniam ſphincterum veſicæ & inteſtini recti urina & fæces alvinæ, alias occluſæ, involuntarie emittuntur.

III. Cauſſa hujus affectus efficiens explicanda reſtat, quam motus convulſivi & ſpaſmus (quos terminos pro ſynonymis agnoſcimus) conſtituunt. Ut autem ratio ſpaſmi eo liquidius pateat, notamus, quoscunque corporis muſculos in perpetua actione & reactione deprehendi, unde motus tonicus fit, qui tamdiu in naturali conſervatur ſtatu, quamdiu debita fibrarum nervearum aliarumque ſtructura & tenſio æqualis permanet, id quod ex BLANCARDI aliorumque Auctorum claſſicorum mente a fluido nerveo ſubtiliſſimo oritur, quod in cerebro a ſanguine ſecretum per nervos ad quasvis corporis partes, præſertim ad muſculorum tendines, qui largioribus nervis in faſciam complicatis gaudent, fluit, & ob illorum irritationem motum excitat,

ſub quo motu ad ventrem muſculi refluunt, illum denuo proritant, & ad inſtar veſicularum inflatarum abbreviant, tendinemque verſus mediam muſculi partem contrahunt, quorſum partes illi annexæ ſimul rapiuntur, hac autem actione abſoluta, verſus tendinem recedunt, unde muſculi venter rurſus fatiſcit. Quod ſi autem ad hanc vel illam corporis partem, ob irregularem motum partium, impulſum hunc facientium, major eorum quantitas ad muſculos affluit, tunc in altera parte antagoniſta affluxus, hinc & æquilibrium motus debitum, imminuitur; illa autem, in quam major affluxus factus eſt, potentius contrahitur, & ſpaſmus, ſive motus convulſivus in ea partibusque annexis excitatur; ſicuti in alia, ubi affluxus ſufficiens deficit aut plane ceſſat, relaxatio & ineptitudo movendi, ſive paralyſeos ſpecies, evenit. Idem quoque de pororum ſphincteribus ſentiendum eſt, qui nihil aliud ſunt, quam muſculi contractores, licet minimi, in quibus itidem major fluidi nervei affluxus ſpaſmum, minor vero & deficiens atoniam gignere poteſt. Quum autem ex anatomicis conſtet, muſculos, eorumque partes conſtituentes in univerſa noſtri corporis machina vaſa ſanguifera undique cingere, & rurſus ab iis cingi, facile exinde colligitur, quod pro ratione ſtricturæ muſculorum, vel majoris vel minoris, vaſa ſanguifera magis vel minus quoque conſtringantur, & ſanguis in illis contentus celeriorem vel tardiorem patiatur protruſionem; ſpaſmis autem præſentibus, ſanguis ultra modum naturalem preſſus in vaſa adjacentia, & de hinc, ipſo nimirum reſoluto exiſtente, in minima quoque cutis organa, & glandulas ejus minimas, cedere, & relaxatis eorum oſculis ſeu poris, illos quoque permeare poſſit. Conſiderantibus igitur, morbum ægroti noſtri ſpaſmos non ſolum prægreſſos, verum etiam illum concomitatos eſſe, facile concludere licet, ſpaſmum cauſſam ſudoris ſanguinei efficientem conſtituiſſe.

Nomi-

Nominatim autem in oculorum angulis, ciliis & ſub eorum palpebris id accidit, quoniam ſanguis nimis reſolutus a ſpaſmis præſentibus ad ſubtiliſſima cerebri vaſa, magis, quam par eſt, protruſus ibidemque, præſertim in dura matre & ſinibus longitudinalibus congeſtus, ſtaſes, dolorem & tumorem circa arteriam frontalem & naſi radicem excitavit, & ad vaſa adjacentia progreſſus eſt, donec eorum capacitatem ſuperavit, & per pororum clauſtra, nimis hiantia, ſudoris inſtar penetravit, ex quo dolores, antea præſentes, ceſſarunt, & partes, antea inflatæ, detumuerunt. Idem ſentiendum de partibus corporis internis, inprimis pulmonibus, unde exſcreatio & ejectio ſanguinis cum tuſſi, itemque de hepate, ventriculo, ſingulisque reliquis partibus internis, unde ſeceſſus ſanguinis per canalem inteſtinorum evenit. Nec minus id valet de ſudore in capite, cervice, ſcapulis, brachiis, femoribus, genibus pedibusque obſervato, in quibus itidem ſanguis rarefactus, velificante ſpaſmo, per poros eorumque valvulas conniventes emiſſus eſt. Correcta autem ſanguinis conſiſtentia, fibrarum tono roborato, & ſpaſmo depulſo, medicamentis ſcilicet temperantibus, travmaticis, tonicis & antiſpasmodicis, æger per Dei gratiam convaluit.

Coronidis loco addere liceat, Rectorem Scholæ cujusdam vicinæ trivialis, ætatis annorum triginta, temperamenti phlegmatico-melancholici, habitus corporis laxioris, qui haud ita pridem febre continua cum purpura alba, & ante ejus eruptionem & ſub illa, variis ſpaſmorum generibus affligebatur, ſub declinatione morbi itidem ſanguinem exſudaviſſe, præſertim in pedibus, quia nempe durante morbo maſſa ejus ſanguinea nimis reſoluta erat, & pars ejus a ſpaſmis ad vaſa cutis minima, magis quoque, quam par eſt, relaxata, præternaturali modo protrudebatur, qui, juvante Deo, ſanitati reſtitutus, adhuc bene valet.

(*Schleiza Variſcorum Halam miſſa, d. 30. Nov. 1746.*)

OBSER-

OBSERVATIO CXVII.

Dn. D. CHRISTIANI GOTTLIEB FREGE.

Annotationes quædam ad Obſervation. IV. Volum. VII. horum Actorum, & ſpeciatim ad dubia ſ. XVI. p. 28. propoſita.

Singulares obſervationes de *Specificis*, præſertim antifebrilibus, & meditationes ſuper iſta adhuc collegi, quas vero ob argumenti partim gravitatem, partim ob varios laborum ſtudiorumque nexus, nondum in ordinem redigere licuit. Hinc omnino gratiſſima mihi erat Obſervatio citata doctiſſimi Domini Collegæ, quam ſtatim, utpote egregie elaboratam, in uſus meos convertere ſtudebam. Spero igitur, quum Vir experientiſſimus citata pagina Collegis ſuis quæſtiones quasdam propoſuerit enucleandas; fore ipſi non plane adverſum, nec mihi indignum, ſi meas qualescunque cogitationes, pace Ejus ac Illuſtris Domini Præſidis, breviter tamen, pro temporis ac Voluminis hujus ratione, communicarem, ita, ut eas melioribus forte hac de materia adlatis omnino libenterque poſtponendas velim.

Ad quæſtionem Imam igitur: An diarrhœa critica a ſymptomatica funeſta inter alia ſigna etiam ex hoc diſtinguatur, quod *illa* remediis facile obediat, ſymptomatibus inde malis prodeuntibus; hæc vero remediis ægre mitigetur? reſpondeo: Tales febres epidemicas (& forte omnes epidemicas,) ex aëre provenire & hinc in primis ſic dictis viis originem ſuam figere, egregie & inter alios optime, ut mihi videtur, demonſtrarunt Illuſtr. b. m. HOFFMANNUS *in Med. Syſtem. rational. Tom. II. Part. II. Cap. IV. & Part. III. Cap. VII.* & Excellentiſſ. HEISTERUS *in Compendio Medicinæ practicæ, Cap. V.* ubi itidem quoque ad quæſtionem hanc

Dn.

Dn. Collegæ *l. c. p. 19.* §. *XII.* reſpondetur. Hinc criſes & methodum medendi optimam quoque per primas vias fieri, ibidem demonſtratum legitur, id quod pauci Practici & nulli fere theoretici, hypotheſibus vel nimium metaphyſicis, vel nimium mechanicis adſtricti, cognoſcere potuerunt; obſervationes vero nolentium volentium cunctorum teſtantur, & SYDENHAMIUS diligentiſſimus eam ob cauſſam, quum in his tenebris anxie hæſitaverit, ipſam exſpectandi viam, quamvis ſæpe dubiam, eſt ingreſſus. Conf. *de vomitu critico* BOERHAAVII *Prælect. Tom. VI. pag. 105. van* SWIETEN *Commentar. in* BOERHAAVII *Aphor. Tom. II. p. 225. 229. 327. 331. 408. 564. & de diarrhœis p. 486. 264. 265. 387.* Hic enim, ut opinor, HELMONTII dictum de anticipandis, ut ait, criſibus valet, quia, ut loca citata teſtantur, plurimum miaſmatis febrilis per viam breviſſimam ſic ejicitur ac ſuperatur; methodo vero licet blande diaphoretica, præſertim ab initio, ſine evacuatione primarum viarum, omne quicquid eſt impurum, per innumera ac infinita fere vaſa totius machinæ capillaria diffunditur, ac per omnium longiſſimam viam & per mediam vitam, i. e. per lympham nutritiam ſeu vitalem, tandem cogitur & eliminatur, quod licet ſæpe non infeliciter, quæritur tamen, an æque facile ac ſecurius fiat? Conf. BOERHAAVE *Prælect. Tom. VI. p 306. ad* §. *956. Vol. III. p. 573. 590. van* SWIETEN *loc. cit. Tom. II. p. 59. 530. 478.* HOFFMANNUS *l. c. Tom. II. p. 117.* Temperamentorum vero rationem eſſe habendam, non adverſatur. Abſceſſus criticos fieri plerumque ex turbatione febris, i. e. ex errore artis, vel ægri & adſtantium, docetur in *Memoires Chirurgicales Tom. I. pag. 117.*

Ex his igitur facile apparet, *diarrhœam criticam* ſemper ab initio & cum euphoria, *ſymptomaticam* vero tantum in fine morbi accedere, aſt gravitatem ex materiæ malignitate, i. e. ex virium proſtratione, recte quidem judicari, (vid.

van SWIETEN *aliique l. citatis*) tandemque diluentia diuretica a), cum oppoſitis acri ſpecifico acidis, optima quoque in his febribus purificantia eſſe, melioraque diaphoreticis, uti BOERHAAVIUS *in Tract. de viribus medicamentorum* optime demonſtraſſe, in praxi vero, ut fit more humano, ſæpe neglexiſſe videtur.

Habeo quidem adhuc nonnulla tum de eſſentiali febrium differentia, intermittentium nempe, remittentium & continentium ſeu inflammatoriarum, quarum ultimæ rurſus ratione maſſæ ſanguineæ vel univerſales, vel particulares, ſingulæ vero vel idiopathicæ, vel ſymptomaticæ, tum de differentia ratione ætatis, temperamenti, ſexus & vitæ generis, utpote ad methodum medendi maxime neceſſaria; nec non de invertendis præveniendisque criſibus, in quibus ſingulis momentis & parentes noſtri, quamvis reverendi nominis, hypotheſibus nonnullis tamen hinc inde decepti eſſe videntur. Sed hæc aliaque ad aliud tempus reſervare lubet b).

Ad quæſtionem II. de ſenſu imaginario tumoris artuum, unde proveniat, HOFFMANNUS quidem *in Med. ſyſtem. rat. Tom. III. p. 108. §. XXX.* exiſtimat, fallaciam imaginationis eſſe; ſed quidni etiam motum ſanguinis, ſeu fluidi nervei, ad peripheriam indicare poſſet, quum in eo omnis ſenſus quaſi reſideat, & amputati v. g. ſæpe talem ſenſum habeant, ac ſi in truncato loco totum adhuc adſit membrum, & ipſum extremum, quamvis ablatum, adhuc ſentirent articu-

a) Vid. τȣ͂ πρακτικωτάτȣ WAGNERI Lubecenſis methodus, in Illuſtris HEISTERI *Compend. practic. Cap. V. §. 32. p. 104. poſtea mixtura quadam temperante diapnoico-diuretica continuat.*

b) Quando de Babylone, ſeu confuſione linguarum medicarum (quidni & theologicarum & philoſophicarum?) eum in finem, ut Deus O. M. myſteria medicinæ & ſapientiæ ſuæ pro arbitrio ſuo ſibi ſolus ſervet, ſchediaſma tradam.

ticulum, id quod BOERHAAVIUS ſæpe in exemplum de miris ſenſationum nervoſarum effectibus adducit.

Ad quæſtionem III. ſtrias mucoſas in ſero, non corrupti, ſed potius inflammati indicia eſſe, exinde concludo, quia ſerum albumini ſimile, præſertim ab igne febrili facile cogitur & verſa vice omne, quod coit, præſertim in febribus, pro ſigno inflammationis habetur, ut in pleuriticis; e contrario autem omne, quod corrumpitur, diſſolutionem principiorum potius efficit atque deſignat.

Ad quæſtionem IV. de debilitate febrili, neſcio an quis elegantius nervoſiusque egerit BOERHAAVIO *in Aphoriſmis & van* SWIETEN *in Commentariis ſuper eos*, §. *660. ſq. de debilitate febrili.*

Hinc quoque quoad quæſtionem V. judico, debilitatem iſtam non quidem ſemper miaſma malignum indicare, attamen gradus iſtius debilitatis, i. e. majorem debilitatem & magnam virium proſtrationem, uno omnium Practicorum ore ſemper pro ſigno malignitatis haberi, inprimis pulſum debilem & ſummam præcordiorum anguſtiam, quippe quæ, ut HOFFMANNUS ingenioſe hariolatur, miaſma inprimis adhuc circa centra ſeu plexus nervorum hærere, ſignaret. Conf. *van* SWIETEN *l. c. Tom. II. p. 202. 442. & Actor. Nat. Carioſ. Vol. VII. Append. p. 200.* §. *9.* Sed nonne hæc, niſi omnia me fallunt, vel magnam obſtructionem, vel ſummum vitæ, i. e. virium ex nervis fluentium impedimentum periculumque portendunt?

Quæſtio VI. & VII. agit de ſignis venæſectionem indicantibus in his febribus, præſertim qualis pulſus eam indicet & in quanam debilitatis ſpecie conducat? Nimis diffuſus hic quoque fierem, ſi omnia, quæ jam in SWIETENIO aliisque hac de re præclare ſcripta exſtant, repetere vellem, quare paucis modo reſponſum meum cum decidendi ratione expediam, quamvis multis adhuc diſputationibus hæc ve-

næſectionis ſpecies in hiſce febribus, immo & in aliis morbis ſit ſubjecta. Ego quidem venæſectionem non niſi in plethora admitto; at enim vero hæc diæta, temperamento & pulſu pleno judicatur: ſi igitur debilitas in plethora eſt, ſeu vires tantum ex plenitudine ſupprimuntur, nihiloſecius ſigna plethoræ adſunt, hæc vero ſi adſunt, qualis pulſus & qualis debilitas venæſectionem requirat exinde certo, quaſi ex tripode, judicavi, feliciterque eam vel inſtituendam, vel omittendam curavi. Ceterum conf. b. SCHULZII, Halenſis, diſſert. de *erroribus haud vulgaribus in Medicina & Chirurgia, p. 64. §. XXXVII.*

OBSERVATIO CXVIII.

Dn. D. CHRISTIAN GOTTLIEB FREGE.

De

Styptico novo ac facili in hæmorrhagia dentium evulſorum ſæpe lethali.

Vocat celeberrimus DETHARDINGIUS, in Diſſertat. peculiari hiſtorias morborum a Medicis in ſe ipſis expertorum & fide ſumma conſcriptorum, propterea *arcanas*, quod ſingula in iis phænomena momentaque optime ab ipſis Medicis, ceu ſagacioribus naturæ venatoribus, attendi, rimari, perpendi atque conſignari poſſint. Ergo quid in hæmorrhagia dentis molaris evulſi in me ipſo expertus ſim, id quod ipſis Calendis Novembris anni nuperrime elapſi accidit, fideliter narrabo. Ab evulſione dentium præſertim ultimorum molarium, lethales non raro hæmorrhagias ortas eſſe, nullo vulgari ſtyptico coercendas, bene multa jam celeberrimorum Obſervatorum exempla teſtantur. Sic in Celeberrimi HALLERI elegantiſſimis Commentariis ad divi BOERHAAVII

HAAVII *Inſtitutiones, Vol. II. pag. 34. not. b.* exempla citantur. Et exercitatiſſimus ille in medendis dentium morbis Medicus, FAUCHARDUS (in edit. germanica Opuſculi ſui, *Part. II. p. 187.*) fatetur, hæmorrhagias ab evulſis dentibus ſibi obtigiſſe, quas nullo plane ſtyptico potuerit refrænare, ita ut morti miſeros illos relinquere fuerit coactus; id quod BOHNIO & DRECHSLERO, Lipſienſium olim celeberrimis Medicis, quoque accidiſſe, relatum & legi & audivi. Solam aliquando, ut Chirurgi dicunt, compreſſionem per ſingularem & laborioſum apparatum, in deſperatiſſimo malo, vix tamen ſemper præſidio eſſe, FAUCHARDUS quoque *l. c. Part. I. p. 279. & 290.* auctor eſt. Hunc clariſſimus *van* SWIETEN ſequutus in egregiis ad Aphoriſmos BOERHAAVII *Commentariis, Tom. I. p. 347.*, *ubi ab evulſo*, inquit, *dente molari non alcohole poterat ſiſti hæmorrhagia, nec vitriolo, cet. tandem repleto ſiccis plumaceolis alveolo & valida aſſidua compreſſione digito adſtantis famuli.* Addit quoque p. 224. rationem, dicens: *Dum parva arteriola dentis evulſi in alveolo latens læſa ſanguinem fundit, ſæpe ad mortem usque, hoc non fit ideo, quia tam parvus arteriæ ramus læſus eſt, ſed quia oſſeæ alveoli ſuperficiei adfixus non poteſt ſe contrahere & ſic claudi.*

Erat mihi ultimus dens molaris in latere ſiniſtro maxillæ ſuperioris carioſus, isque decimus ſextus: Nam ut aliquoties numeravi, in ſuperiori maxilla ſedecim, in inferiori vero 14. tantum dentes reperi, id quod ideo curatius deſcribo, quia nondum ſatis mihi conſtat, num ramulus iſte arterioſus inſignior mox ultimum, an penultimum vel plures dentes ingrediatur. Vexarat me iſta caries ſæpius, quam anti carioſis ſubinde placare ſtudueram; tandem cunctis nequidquam proficientibus, dolorum impatiens, a Chirurgo bene gnaro dentem curabam evellendum. Primum ſanguis illo die mox ſiſti videbatur, procidebat tamen poſt ali-

quot horas polypoſa ſanguinis concretio ex alveolo, a nimium irruente ſanguine forte protruſa, id quod aliquoties fiebat, ita ut tandem inſequenti nocte ob nimium ſanguinis profluvium & ſuffocationis metum, dormire vix potuerim, immo nec altero die cibum capere, quoniam nullo ſtyptico, v.g. lana aceto fortiſſimo vel alcohole ſuccida, nec alio hæmorrhagiam ſiſtere poteram. Ultimo denique in mentem veniebat ſimile exemplum, quod veteranus quidam urbis hujus Chirurgus, nomine *Matheſius*, (cui inventionis gloria debetur,) mihi narraverat & ſingulare ſimul remedium, in pari caſu b. D. DRECHSLERO, in extrema ut ajunt deſperatione, auxilium præſtiterat. Nimirum nec forte ſine divino quodam auſpicio (quod ſæpe intelligere nolentes, in ſummo periculo ſentire cogimur) tunc is de auxilio meditabundus *emplaſtrum* dictum *Pamphilii* mente arripit, ut optimum infarciens ac ſimul ſtypticum, adſtringens & comprimens. Id, quod cogitaverat, extemplo etiam juvat & in momento ut ajunt temporis. Idem pariter mihi de vita interdum jam ſollicito, accidebat. Omnes enim emplaſtrum illud indicationes ſimul adimplebat, quas quisque poterat deſiderare, dum non modo obſtruit & adſtringit, ſed refrigeratum etiam ſtatim & optimi apparatus inſtar comprimit, ita ut poſt horæ dimidium ſine periculo illud eximire potuerim & ſine ullo hæmorrhagiæ ulterioris metu perfecte fuerim ſanatus. Forte & in aliis caſibus idem emplaſtrum ceu accommodatius ſtypticum poterit uſurpari, ſiquidem inter varii generis ſtyptica, quæ novimus, nec omnia tuta, nec ſingula omnibus locis accommodata eſſe cuilibet experto Chirurgo per ſe innoteſcit. Unicum hoc adhuc ſubjungam obſervationi, nimirum altero anno, quod & laudatus FAUCHARDUS ſæpius animadvertit, ultimum quoque *dentem alterius lateris & in eodem loco ſeu dimenſionis puncto*, mihi factum fuiſſe carioſum, quem adhuc mixtura quadam

dam ex balſami de Copaiba, vel melius Peruviani nigri & ſpiritus vini camphorati crocati partibus æqualibus, goſſypio alternis diebus exceptis & denti per leve artificium inditis, ita conſervavi, ut aliqua fere ratione curatus videatur, ſaltim & aërem & potum frigidum absque incommodo rurſus fert, quamvis etiam per aliquot hebdomades ſæpe nihil de mixtura illa vel Goſſypio adplicatum fuerit.

OBSERVATIO CXIX.

Dn. D. CHRISTIANI GOTTLIEB FREGE.

De

Eriophoro & ſcirpo maximo, ceu euporiſtis contra ambuſta.

Equidem credo, quod etiam in peculiari ſchediaſmate, volente Deo, demonſtraturus ſum, ſpecificum medicamentum iſtud optimum eſſe & vocari, quod requiſitas a Medico indicationes cunctas, & quidem in juſta poſſidet menſura. Talia empiricis ſæpe nota ſunt, eo tamen diſcrimine, ut ſine ratione eadem adhibeant, cum e contrario periti Medici cum ratione & ſecundum differentem circumſtantiarum variantium ſtatum, talia in uſum vocare ſoleant. Sic nullum fere ſimplex, v. gr. rhabarbarum, plane ſimplices vires habet, quaſi omnes alias excluderet, ſiquidem, rhabarbarum ex variis partibus diſtinctæ efficaciæ compoſitum eſſe, cuilibet innoteſcit. Si vero tales indicationes occurrunt, quas in optima jam & naturali ſua mixtione rhabarbarum ad ſcopum quendam medicum habet conjunctas, tunc tale ſimplex, in morbo quoque ſimplici, vocamus *ſpecificum*, hocque ſi facile parabile, vel cuivis quotidie obvium fuerit, vulgo *domeſticum* audit, ſive euporiſtum. Talia ex quotidiano uſu ſemper plura innoteſcunt & experientiæ magis, quam

quam arti debentur, utiliſſima & ſane pretioſa, utut vulgariſſima, ita ut notanda potius, quam oblivioni tradenda ſint. Inter hæc duo jam contra ambuſta referam, & quatenus indicationibus faciant ſatis, ſi non penitius, tamen aliqua ratione inquiram.

Alterum a Dom. *Hoppio*, mercatore Geræ Variſcorum incluto, & naturalium rerum diligentiſſimo ſectatore, mihi manifeſtatum eſt, tanquam familiæ arcanum, eſtque *Eriophorum*, ſeu gramen lanatum, vel lana potius iſta vegetabilis, florum loco gramini illi inſidens circa autumni initia. Involvitur vel tegitur modo ambuſta pars lana iſta, quæ ab initio pruritum auget, poſt horæ quadrantem vero dolorem omnem & inflammationem aufert. An in magnis combuſtionibus eundem promtum effectum edat, Dom. HOPPIUS quidem adſeverat, ego vero nondum expertus dicere poſſum, utpote qui in lenibus ſaltem id tentavi & certum deprehendi. Creſcit illa herba in locis paludoſis, lana vero illa albo ſerico fere ſimilis, paulo tamen rigidior eſt, & fere adſtringentes, lenes tamen vires præ ſe ferre videtur (*) Alterum remedium (prius ſimul illuſtrans) conſtituit pulpa illa, vel etiam ita forte vocanda lana ſericea, in capitulis *ſcirpi paluſtris* ſeu *junci maximi* reperiunda. Hac ipſa, prout mulier quædam mihi retulit, quæ ideo multum ejus quotannis colligit, ut pauperibus tempore neceſſitatis opem ferat, graviter ambuſta loca plane denſeque obvelantur & involvuntur, unde omnis mox dolor ac inflammatio plane remittit.

Scio equidem, medicamenta ad graves inflammationes ſiſtendas requiri fere ex emollientibus, temperantibus ſeu anti-

(*) Sed goſſypium verum utraque altera lana paullo mollius videtur, hæc quoque per microſcopium & compactior & nitidior adparet, quaſi ex ſale quodam compoſita eſſet. Per artem chemicam vix quidquam inde educi poſſe credo.

antipyreticis & reſolventibus compoſita, ſiquidem reſolvi nihil poteſt, niſi obſtructum & emolliatur, & æſtus nimium infarciens temperetur, & robur tandem laxatis partibus addatur. Num igitur dicta euporiſta partim æſtum auferant, partim molli & ſimul terreo principio leniant ac leviter ſimul adſtringant, eoque ipſo reſolvant, id quidem nondum ſatis perſpicue & pro certo tradere auſim. Videtur tamen is mihi agendi modus eſſe & ex aliis, in tali læſione pariter proficuis remediis confirmari.

Quæri adhuc poſſet, num etiam in alio inflammationum genere hoc remedium prodeſſe quidquam poſſit, v. gr. in phlegmone, vel in inflammatione mammarum, id quod nondum aſſerere mihi licet, tentabo tamen prima, quæ dabitur, occaſione. Neque enim plane eſt improbabile, fore, quum ſimplex illud ſpecificum indicationes reſolventis pharmaci eatenus in ſe contineat, ut quidquam ſaltim ab initio inflammationis ejus ope efficiatur.

(*Lipſia Halam miſſæ d. 6. Decembr. 1746.*)

OBSERVATIO CXX.

Dn. D. J. G. BLOCK.

Calculus ultra 28. annos in urethra hærens, feliciter tandem ablatus.

Vir clarus & doctus, quadraginta quatuor annorum, ſexto & decimo ætatis ſuæ anno non dolores ſolum nephriticos, ſed etiam promotionem ac progreſſum calculi usque ad glandem penis perſenſit. Hic calculus, non quidem moleſtus laboranti, octo & viginti annos in eo loco ſubſtitit, majoraque cepit incrementa. Anno MDCCXLV. menſe Auguſto aquam mineralem Pyrmontanam potans, die decimo ſexto multis doloribus, cum aliqua retentione urinæ,

fuit adflictus, hocque facto potui finem fecit & alia medicamenta antinephritica in uſum vocavit. Quum autem hæc exoptatum non præſtarent effectum, anſa dabatur in circumſtantias ſupra dictas, nunquam Medico antea ſatis detectas, accuratius inquirendi. Æger itaque præterita iterum in animum revocans, fragmentum calculi attulit, quod anno MDCCXL. digitis extraxit. *Vid. Tab. VIII. Fig. 1. lit. a.* Facta ulteriori indagatione & inſtrumento chirurgico, cathetere nempe, adhibito, deprehendebatur, veram hujus mali cauſſam eſſe lapidem in glande ſitum, qui, cum ſecundum ſanæ rationis leges nullis medicamentis e medio tolli poſſet, die XX. Auguſti manu habili chirurgica, mediantibus ſimplicioribus inſtrumentis & levi inciſione in inferiori parte glandis facta, fruſtulatim intra breve temporis ſpatium fuit extractus. *Vid. Fig. 1. bb.* Pondus omnium fruſtulorum æquabat integram drachmam. Ipſe autem æger intra paucos dies feliciter ſanatus, firma nunc fruitur valetudine. Levi incommodo in emiſſione urinæ Vir hic clariſſimus laboravit antea, ut coactus fuerit ſub hoc actu lapidem digito quadantenus in latus propellere, quod tamen nunc deſiit. Contraxerat interim matrimonium, ſub eoque minime impeditus fuit a propagatione ſobolis, teſte filio, ſex annos jam nato, adhuc vegeto & vivo. Nondum huic ſimilis caſus mihi in obſervationibus medicis & chirurgicis præſtantiſſimorum Virorum occurrit, quamvis dentur plura exempla calculorum ex urethra exſectorum & extractorum. In SCHURIGII *Lithologia* autem exempla quædam huic quadantenus analoga exſtant; differunt tamen non ſolum ratione loci & temporis, ſed etiam intuitu aliarum notabilium circumſtantiarum.

OBSER-

OBSERVATIO CXXI.

Dn. D. J. G. BLOCK.

Calculus per alvum excretus, variaque cum eo inſtituta experimenta.

Vir plurimum reverendus LXIII. annos natus, temperamento ſanguineo-cholerico, ingenio hilari, corpore gracili, valetudine ſatis conſtante gaudens, niſi quod interdum doloribus arthriticis vexatus fuerit, ob varia impedimenta & paſſiones colicas primum menſe Septembre anni elapſi aqua minerali Pyrmontana, cum lacte bubulo mixta, uti cœpit, elapſis autem vix tribus diebus in febrem catarrhalem incidit & tuſſi vehemente ſimul adflictus fuit, eamque ob cauſſam uſum harum acidularum ſtatim omiſit; poſt aliquot dies rurſus incipiens, denuo finem potandi facere coactus fuit, partim ob magis exaſperatam tuſſim, partim ob febrem lentam & continuam ſuccedentem, partim denique ob languidam & vagam arthritidem. Hoc morbo & his ſymptomatibus Vir hic venerandus laboravit per XIV. dies, non neglectis interim medicamentis congruis. Die XIV. Octobr. durante adhuc morbo, magnis doloribus colicis, vomitibus ſingultibusque excruciatus, intra biduum quidem remediis convenientibus levatus fuit; die autem XVI. hujus menſis, tempore veſpertino, tam vehementes atque horrendos dolores, ac preſſionem cujusdam materiæ vel ſubſtantiæ durioris & inſolitæ in inteſtino dextro iterum ſuſtinuit, quales in parturiente vix notantur fœmina. Uxor ejusdem & aliæ mulieres adſtantes, clyſteribus adhibitis, digito vel etiam alio inſtrumento obſtaculum hoc, ſed fruſtra, removere tentabant. Tandem æger ipſe, adjuvante natura,

maximis conatibus effecit, ut calculus *Tab. VIII. Fig. 2.* delineatus per alvum, cum ſonitu bombardæ ſimili, expelleretur. Hoc calculo liberatus, ad priſtinam rediit euphoriam, totusque morbus una cum ſymptomatibus antea dictis funditus quaſi ſublatus eſt. Conſanuit intra paucos dies ita, ut officiis eccleſiaſticis iterum more ſolito fungi potuerit, valetque adhuc quam optime.

Forma & figura hujus calculi ſimilis eſt ovo columbino, pondus ad unciam dimidiam accedit, color autem flavus eſt, ad inſtar radicis Rhabarbari, tam quoad externam, quam internam ſubſtantiam.

Quæritur nunc, ubinam proprie latitaverit, atque incrementum ſuum ſumſerit hic calculus? Negandum equidem non eſt, admodum difficulter indicari poſſe iſtum locum, non procul tamen ab organo bilis ſecretorio, in inteſtino nempe duodeno vel jejuno, procul dubio conſtituendus ille videtur. Subſtantia enim totius maſſæ ex meris lamellis compoſita, uti ex diſſecto calculo *Fig. 3. & 4.* adparet, color externus & internus æqualis, preſſiones antehac circa præcordia notatæ, adpetitus quodammodo depravatus, vomitus frequentes atque ſingultus, promotio hujus calculi ſub doloribus ultimis colicis e ſuperiore regione abdominis, vel potius inteſtinorum, verſus inferiorem, uſque ad expulſionem obſervata, dictis omnino fidem faciunt. Inſtituta dein ſequentia experimenta chemica clarius adhuc indicant, bilem præcipuam tam originis, quam incrementi hujus calculi conſtituiſſe materiam, quoniam nimirum is

a) in aqua natat tingitque chartam colore flavo;

b) in ſpiritu vini ſubſidet, eundemque in charta relinquit colorem;

c) Frag-

c) Fragmenta ejus carbonibus vivis impoſita liqueſcunt, olent urinam vaporantem, odor tamen ultimo evadit empyreumaticus, remanentibus dein nigris particulis.

d) Spiritus ſalis acidus calculo ſuperfuſus non effervescit, ſed evadit ſubflavus ipſe calculus, illiusque fragmenta ima petunt. Sequente die color ſubflavus calculi deprehendebatur mutatus in viridem flavo miſtum. Liquore autem iſto ſuper carbonibus bulliente, ſtatim color ſumme viridis emergebat, ac ſi viride aeris in aceto eſſet ſolutum. Poſt refrigerationem recepit colorem flavum, ſolutioni ſolis cum aqua regia factæ ſimilem. Calculus, nondum perfecte ſolutus, partim ſupernatabat, partim ſubſidebat, ejusque particulæ nigræ locum occupabant in fundo, ſubflavæ autem in ſuperficie aquæ hærebant. Addito oleo tartari per deliquium præcipitantur flocculi ſubalbidi, liquor evadit magis flavus & particulæ partim ſubcandidæ, partim vero ſubnigræ adparent, chartæ vero colorem imprimunt ex fuſco viridem. Hic liquor in dies mutabatur in colorem viridiorem, qualis notabitur infra ſub lit. g.

e) Spiritus nitri acidus adfuſus calculo effervescit, color ab initio ſubniger mutatur dein in rubro violaceum & poſt aliquot momenta in tincturæ antimonii ſimilem; calculus vero ipſe ſupernatat. Die ſubſequente color rubicundus evaſit paulo lucidior; igni impoſitus liquor perdidit penitus hunc colorem, ſuccedente tamen alio æque flavo, qualem produxit experimentum antecedens cum ſpiritu ſalis. Subſtantia calculi ſupernatabat in principio floccis candido-flavis circumdata; liquore autem refrigerato colorem & naturam induebat ceræ.

Cum oleo tartari per deliquium non mutatur, color ſaltem emergit flavus, ſolutioni nitri cum aqua regia ſimilis. Particula ſuper chartam comminuta colorem in ea relinquit flavum, non diſſimilem gummi guttæ.

f) Experimentum cum aqua forti inſtitutum eadem monſtravit, quæ experimentum cum ſpiritu nitri exhibebat.

g) Spiritus vitrioli acidus calculo adfuſus non efferveſcit, nec color mutatur tam primo, quam ſecundo die. Subſtantia lapidis natat. Carbonibus candentibus impoſitus liquor viridi tingebatur colore, uti ſpiritus ſalis acidus. Verum in eodem caloris gradu intra breve tempus color iterum mutacatur in flavum, prout in experimento cum ſpiritu ſalis & nitri inſtituto eveniebat. Oleum tartari per deliquium additum præcipitabat flocculos partim ſubalbos, partim ſubnigros & color liquoris fiebat ſolutioni bilis cum aqua ſimilis. Corpus ſolidum tingit chartam eodem colore, quo bilis.

h) Adfuſo aceto deſtillato nulla notatur efferveſcentia. Subſtantia calculi fundum petit, relicto colore ſubflavo. Poſtridie nullus color ſupererat. Super carbones eadem manebat ſubſtantia calculi, magis tamen ad ſolutionem inclinans, coloris flavi.

i) Cum liquore terræ foliatæ tartari idem erat effectus atque cum aceto deſtillato.

k) Cum oleo tartari per deliquium nullam mutationem ſubit, ſed calculus natat retinetque colorem fuſcum; addita vero aqua ſimplici colorem induit bili quodammodo ſimilem.

l) Cum

l) Cum oleo terebinthinæ ſubſtantia calculi nigreſcit; oleum vero flaveſcit, diuque ita permanet.

m) Cum oleo vitrioli dulci color fit quodammodo flavus, ſine mutatione.

n) Cum ſpiritu nitri dulci primum color viridis, ad inſtar ſolutionis Veneris cum aqua forti, prodibat; poſt horæ ſpatium vero calculus ſubſidet & tincturam antimonii colore imitatur liquor, qui denuo dein commotus colorem quidem admodum viridem induit, ſed elapſis 2. vel 3. minutis iterum mutatur in cœruleum, deinde 3. vel 4. minutis poſt in coccineum. Sedimentum calculi eſt viride. Diebus ſequentibus liquor colore iterum tincturæ antimonii ſimilis erat. Calculus ſubſidens colorem obtinebat flavum, ochræ luteæ non diſſimilem.

o) Cum ſpiritu ſalis dulci ad inſtar ſolutionis Veneris cum aqua forti color erat. Calculi autem ſubſtantia magis magisque vireſcebat.

De reliquo ſimillimum caſum exhibent *Miſcellanea phyſ. med. mathemat.* Illuſtr. Dn. Præſidis, *Ann. 1730. Menſ. Maj. Claſſ. IV. Artic. 7.* Plures vero deprehenduntur in *Ephem. Nat. Curioſor.* itemque apud SCHENKIUM, ZACUTUM, LUSITANUM, PANAROLLUM, ZWINGERUM, BARTHOLINUM, inprimis autem apud SCHURIGIUM.

(*Brema Noribergam miſſæ, d. 15. Januar. 1747.*)

OBSER-

OBSERVATIO CXXII.

Dn. D. PAULI GERARD. MOERING.

Phytolithus Zeæ LINNÆI, in ſchiſto nigro duriuſculo.

Schiſtus (a) niger, duriuſculus eſt, cuprum atque parum argenti continens, Ilmenavienſis e Ducatu Vinarienſi, qui rarum hoc diluvii univerſalis monimentum fovet, phytolithis adnumerandus. Poſſidet amicus & collega honoratiſſimus, *Dn. D. Paul. Chriſtian.* MULLERUS, Sereniſſ. aulæ Anhaltino-Serveſtanæ Conſiliarius & Archiater, archetypum, ad cujus normam ſuperiore anno, quum Serveſtæ aliquamdiu commorarer, figuram meam delineandam curavi. Inter diſtinctiora ſane ſpecimina, frumentaceos culmos & ſpicas exhibentia, noſtrum fere eminet. Quamvis enim SCHEUCHZERUS *Herbar. diluv. p. 7. Tab. I. fig. 1.* ariſtam frumentaceam, in ſchiſto nigro Glaronenſi detectam, repræſentaverit, jure tamen de eadem ambigit, an tritici, an vero ſecalis, aut hordei demum ſpicam imitetur; licet ad hordeaceam, me judice, proxime accedat. Aliam hordei ſpicam, ſchiſto Hercynico cinereo impreſſam, æri incidendam curavit celeb. *Dn. D. Fr. Ern.* BRUCKMANNUS *Magnal. Dei ſubterr. Part. II. pag. 263. Tab. 32. fig. 1.* qua de tamen, quoniam impreſſio nimis obſcura eſt, æquo jure

(a) Eo nomine generico utitur LINNÆUS in *Syſt. Natur.* cujus varias ſpecies vide ab *eodem l. c.* GRONOVIO *Ind. ſupell. lapid. p. 2. p. 17.* inter graptolithos & *p. 28.* inter ichthyolithos; LANGIO *in Adpend. ad Act. Nat. Curioſ. Vol. VI. p. 136.* & ab aliis enumeratas.

jure dubitari poteſt, annon potius *alopecurum culmo erecto* ROY. *Prodr. 54.* aut *phalaridem* LINNÆI, aut *ſpiculam craſſiorem Poæ ſpiculis confertis, uno verſu diſpoſitis* LINNÆI *Hort. Cliffort. 28.* exprimat, figura pro hordei ſpica nimis brevi atque craſſa. Pulcram nobis ariſtam, in ſchiſto nigricante duriſſimo repertam, offert clariſſ. M. *Sam. Theoph.* LANGIUS *in meditationibus de Schiſto, Adpendici Act. Nat. Cur. Vol. VI.* inſertis. De ea vix dubitaverim, pertinere vel ad *Triticum, foliis acuminatis pungentibus* ROY *Prodr. 71.* vel propius adhuc forte ad *Arundinem foliorum lateribus convolutis, acumine pungente*, LINNÆI *Flor. Lappon.* §. *26.* ſi modo in lapide locuſtarum veſtigia paullo clarius exiſterent, quam in *fig. 1. Tab. II. Adpend. cit.* exſculpta ſunt. Majori admodum reverendus Auctor luci rem expoſuiſſet, ſi prolixius ſemina cum folliculis, quorum §. *21. l. c.* meminit, explicaſſet, vel figura ſeorſim picta, unum alterumve folliculum diſtinctiorem adpoſuiſſet.

Venio ad noſtrum ſchiſtum, qui fiſſus in laminarum oppoſitarum ſuperficie duplices, nigerrimo colore diſtinctiſſimas, ante oculos ponit reliquias ſpicæ cujusdam frumentaceæ, quæ ſimplicem ſpicam maſculam *Zeæ* LINNÆI magna ſimilitudine exſcribere videtur. Striæ namque longitudinales (b) in media ſpica, concavæ in lemina altera,

(b) Quia pictor has non ſatis clare delineavit, monere viſum eſt, nequaquam ſpicæ mediam longitudinem folliculis nudam eſſe, ceu ex figura adparet, ſed æque copioſe ibi reperiri, ac illi, qui utrimque ad latera ſpicæ excurrunt. Alias quoque medius culmus nimium craſſus pro Zeæ ectypis eſſet, qui jam ex meris compreſſis ſibique accumbentibus locuſtis eam molem nactus eſt, qualem impreſſio lapidis, longa temporum ſerie penitus exſiccata, poſt ea retinuit.

in altera vero ſitu convexo elevatæ, & frequentes illæ, & laterales, oblique maximam partem poſitæ maculæ lineares, ipſos folliculos, ſive locuſtas maſculas, nondum apertas, monſtrant. Quæ in baſi ſolida eſt macula obliqua, baſin ſpicæ oſtendit. Figura, e convexo vel elevato latere ſpicæ deſumta, cunctas partes nativa ſiſtit magnitudine, mediæ vero ſpicæ adnexum tuberculum eſt fruſtum ſchiſti alterius laminæ, quod avelli absque ſpicæ læſione non potuit. De modo, quo impreſſio hæc facta primum fuit, nihil addo, quia varii alii, ac inter eos nuper LANGIUS *l. c.* pluribus id verbis egere.

OBSERVATIO CXXIIII.

Dn. D. PAULI GERARD. MOEHRING.

FUCUS caule tereti, folio ſingulari oblongo, marginibus undulatis.

Hujus, quantum ego quidem recordor, nemo hactenus mentionem fecit. Ex Oceano ſeptentrionali, haud procul a littore noſtro, pauca ſpecimina, retibus a piſcatore marinorum piſcium extracta, ante biennium fere accepi.

Radicibus filiformibus brevibus multa argilla adhærebat, unde colligere fere liceret, innaſci fucum hunc argillæ in littoribus rupium maris profundi, niſi a rupibus, undarum vi marinarum, avulſus, in fundo maris argilla, quæ multa ibi latet, contaminari quoque poſſet: nam contignationibus marinis, quas Germani maritimi *Holzung* nuncupare ſolent, aliorum more fucorum, non adnaſcitur, ne-

que

que in littoribus inſularum; continenti propinquarum, reperitur, altioris propter ea maris loca amans.

Caulis ſimpliciſſimus eſt, teres, erectus, carnoſo-coriaceus, tenax, craſſitie pennæ majoris anſerinæ, colore e rubente brunnoque fuſcus, vel pene nigricans.

Folium unicum, ſimpliciſſimum, ex ipſo caulis ſummo medio explanatum, carnoſo-coriaceum, planum, oblongum, una alterave vice interdum contractum, vel transverſe anguſtatum, apice obtuſiſſimo, marginibus integris, undulatis, cum caule concolor, vel paullo dilutiore gaudens colore.

Sicca tota nigra fit planta & rigidior magisque rugoſa. Ex habitu eam ad fucos redegi, nullas licet in meis exemplaribus veſiculas deprehenderim. Magnitudo plantæ ea eſt, vel paullo interdum major, quam *Fig. 1. & 2. Tab. IX.* oſtendit, in qua caulis abſciſſus ad latus folii collocatur, ut utriusque tota longitudo in adſpectum incurreret.

Præter eum, quem ſupra ſignificavi, naſcendi modum, alius quoque haud infrequentior, & magis forte uſitatus fuco noſtro eſt, dum in rupibus *inſulæ Hilligland* variis corporibus lapideis inhæret, qualia bina exempla muſeum meum foſſilium habet: alterum ex *ſaxo cotaceo-micaceo friabili lateritii rubentis coloris*, Hilliglandico, cujus cruſtæ calcareo-cretaceæ, albæ, quini ſimul caules fuci hujus, radicibus admodum impliciti, increſcentes cernuntur; alterum ex *helmintholitho conchæ lamellatæ, hinc planæ, inde gibbæ*, Hilliglandico, cui ſimiliter inſidet fucus noſter.

Cæterum haud multum a noſtro recedit *fucus giganteus*, & *palmifolium giganteum* IMPERATI *Hiſt. nat. 847.*

 tab.

tab. pag. 852. edit. Lipſienſ. de Ann. 1695. in 4. ſola inſigni magnitudine, &, quod magis eſt, foliorum palmato-digitatorum figura a noſtro diverſus.

(*Jevera Halam miſſæ, d. 20. Februar. 1747.*)

OBSERVATIO CXXIV.

Dn. D. JO. SEBASTIAN. ALBRECHT.

De

Anchyloſi ſeu coalitu vertebrarum ſpinæ dorſi equinæ & alius ſpinæ humanæ vertebrarum inter ſe & cum coſtis nonnullis.

Anno ab hoc tertio, nempe 1743. menſe Majo, quum, cinctus corona plus quam quadraginta Studioſorum Illuſtr. noſtri Caſimiriani, in agros excurrerem, ut amœniſſima Floræ ſacra meis familiaria facerem, contigit, ut quidam, pro rei neceſſitate, latius divagantes per agros, per nemora, per montes, per valles, redeuntes ad me, præter florum ſerta, magnam ſimul detulerint ſpinæ dorſi equinæ partem, caſu repertam, in qua ſex thoracis vertebræ & totidem lumborum in unum continuum tractum, omni articulatione ſublata, concreverant. Docti antea in Oſteologicis lectionibus Medicinæ tirones, ſingulas vertebras articulatione cum motu evidente eſſe conjunctas, illaque in ſpecie, quæ *Ginglymus* vocatur artis Magiſtris, ex me ſciſcitati ſunt hujus articulationis & motus per coalitum penitus ſublati cauſſam. Laudavi diligentiam & in pernoſcendis rerum cauſſis ardorem. Quum vero in mentem veniſſet, me & alibi,

bi, & in beati noſtri VERPOORTENII, anteceſſoris mei in Phyſici provincialis munere etiam poſt cineres honoratiſſimi, muſeo olim jam vidiſſe tale quid, cauſam hujus phoenomeni ab ingreſſu quadrupedum majorum, jumentorum gravioris molis, onereque tergo impoſito non incongrue, ſed maxima cum probabilitate repeti poſſe putabam. Magna enim interaneorum moles colligata & alligata per membranas & ligamenta deorſum trahit ſpinam dorſi, quo facto ad ſe invicem propius accedunt & ſpinales & laterales vertebrarum proceſſus, detrito vel corrupto etiam perioſtio, per poroſam oſſium ſubſtantiam exſudat lympha nutriens, glutinoſa, ſpiſſeſcit, exprimitur linimentum Haverſianum in majori copia, novi oriuntur fibrarum ordines, fibræ ligamentoſæ & cartilaginoſæ rigeſcunt, detentæ diutius in eodem ſtatu, ſine contractione & dilatatione reciproca, ſic ſucceſſive concreſcunt, quæ disjuncta eſſe debebant. Id quod tanto magis fieri debet, quanto majori onere ephippio impoſito validius & diutius ſpinæ dorſi tractus deorſum premitur. Conjecturam meam illud firmiorem reddidit, quando in eodem concreto obſervavi, ſpatia illa, quæ inter duo vertebrarum corpora ligamenta cartilaginoſa occupare ſolent in ſtatu naturali, illas inter vertebras, quibus ephippium imponitur, & oſſi ſacro etiam proximiores aliquas, conſumtis putredine illis mollioribus partibus, non omnino, ſed ex parte tantum coaluiſſe, nec vertebrarum corpora, quæ interiora reſpiciunt, eſſe contigua, multo minus continua, ſed per interſtitia unius & dimidiæ lineæ eſſe disjuncta, attamen proceſſibus tam ſpinalibus, quam lateralibus nonnullis, in iisdem vertebris adeo coalitis, ut articulationis priſtinæ veſtigium vix ſuperſit. Calcar addidi Studioſis, inprimis medicinæ tironibus, &, ut diligenter oſſiaria perquirerent, auctor fui, num conſimile

quid etiam in hominis reliquiis oſſeis reperiri contingat. Quum vero proximis æſtivis feriis illi ipſi medicinæ ſtudioſi, qui prius illud equinæ ſpinæ coagulum ruri invenerant, quos ob ſingularem induſtriam publice nomino, *C. A. G. Gruner*, *J. F. Keſſel* & *J. C. Graff*, iter in Franconiæ partem facerent, conſilii mei memores, oſſiaria hinc inde diligenter perquiſivere, illis in locis, ubi, ob laudabilem in defunctos pietatem, oſſa eruta curioſe colliguntur & reponuntur. Contigit tandem illis, poſt multos labores, eſſe adeo felicibus, ut invenirent ſtupendum ejusmodi oſſium hominis concretum, quod ad naturalem magnitudinem delineandum curavi ſedulus. Reperi in illo oſſis occipitis partem cum prima colli vertebra, quæ *Atlas* dicitur, & hanc cum ſecunda, omnino & ita concretas, ut veſtigia foraminis in illa, in hac vero axeos ſupereſſent vix viſibilia. Epiſtrophæus porro cum tertia colli vertebra, hæc cum quarta, & ſic omnes colli & inſuper ſeptem thoracis vertebræ in unum continuum corpus concretæ obſervabantur, reliquis tantum paucis linearibus diſtantiis, inter corpora vertebrarum nonnullarum, ubi interpoſita olim erant ligamenta cartilaginea quaſi in ſtatu naturali. In junioribus, vertebrarum, inferiorum thoracis & omnium lumborum, corpora, ab utroque latere, obſervavi tecta epiphyſibus tenuioribus, ſecundum naturam, ſed harum nulla aderant veſtigia. Quod vero magis mirabar, primæ coſtæ ſiniſtri lateris pars maxima, dextri vero ſecundæ coſtæ pars non minor firmiter erant concretæ cum ipſo primæ & ſecundæ vertebræ corpore non ſolum, ſed etiam proceſſibus lateralibus. Oppoſitarum vero non ſolum, ſed etiam aliarum coſtarum, concretarum quidem antea cum corpore & cum proceſſibus lateralibus, nunc vero violenter avulſarum, manifeſta aderant indicia. Foramina autem lateralia pro tran-

ſitu

ſitu nervorum & vaſorum ſanguiferorum, illa, per quæ arteriæ ipſa vertebrarum corpora intrant, totus tractus, quem ſpinalis medulla tranſit, libera, pervia, naturaliter conſtituta deprehendebantur. Gaviſo mihi de tam raro phænomeno præternaturali, in mentem venit, olim analogum quid legiſſe in Clariſſ. DERHAMII *Phyſicotheologia* (a), licet ibi articulationem & motum coſtarum liberum manſiſſe referatur. Hac unica obſervatione non contentus, ab eo tempore ſtudioſius perquiſivi obſervationum & morborum ſcriptores, num plura ejusmodi exempla relata legere poſſem. Adii ante omnes Dn. PETIT, qui quidem in eleganti ſuo de morbis oſſium libro, Rachitidis ejusdemque ſymptomatum rationes copioſe tradit (b), & anchyloſeos inter illa ipſa mentionem quidem facit, ſed nullum ejusmodi exemplum adducit. Evoluebam *Jo. Chriſt.* HEYNE tentamen *de præcipuis oſſium morbis* (c), ſed nihil analogum relatum legere poteram. Ad manus erat *Theophili* BONETI *Sepulchretum*, in quo vaſto & innumeris obſervationibus ditiſſimo Opere (d) ex COLUMBI *Anatom. Libr. XV.* unicum relatum reperiebam exemplum alicujus, qui Romæ in Xenodochio incurabilium diu vixit, ad ſenium usque, in quo poſt mortem omnes totius corporis articuli, a capite ad extremos usque pedum digitos, uniti poſt mortem reperti ſunt, ſed tamen nec in hoc coaluerant coſtæ, hinc vivus, præter oculos, linguam, penem,

(a) Libr. IV. Cap. 7. not. 14. quam obſervationem repetit auctor ex CONNORS Diſſert. med. phyſic. *de ſtupendo oſſium coalitu.*

(b) Cap. XVIII.

(c) Acceſſit illud *Clopton* HAUERS Obſervationibus de Oſſibus.

(d) Libr. IV. Sect. VI. Obſ. IV.

nem, abdomen & thoracem, nihil movere poterat. Hanc obſervationem etiam *Joann.* SCHENCKIUS ex eodem COLUMBO, breviter tamen, repetit (e). Adii itaque recentiores Scriptores, & reperire licuit Dn. DESLANDES obſervationem de infante articulationibus carente (f), & aliam Dn. POUPART, qui, in ſene centum annorum, novem inferiores vertebras omnino in unum corpus continuum vidit compactas, cartilaginibus interpoſitis in oſſeam duritiem mutatis (g), quod tamen propter annorum ſeriem, qua vixit, minus mirandum eſt, quum & vaſa venoſa & eorum immo cordis valvulæ, perpetuis agitata motibus, in ſenibus induratæ immo oſſeæ ſint repertæ. Feliciter tandem in mentem venit auſus, evolvendi Clariſſ. *Gerardi van* SWIETEN *Commentarium* in magni BOERHAAVII *Aphoriſmos de cognoſcendis & curandis morbis.* Nam non ſolum aliqua ſuperius recenſita exempla hic confirmata legere volupe erat, ſed gaudebam & ab ipſo beato BOERHAAVIO §. *556, pag. 948.* mirabilis ejusmodi anchyloſeos cauſſas altius repetitas, inſpiſſatum linimentum Haverſianum, rigeſcentiam ligamentorum, exoſtoſin ad juncturas; & copioſius hæc omnia explicata per Clariſſ. *van* SWIETEN, in Commentar. ad illum paragraphum (h), legere. Junioris autem alicujus ſubjecti fuiſſe ſpinam noſtram præternaturaliter coalitam & inter ſe & cum occipitii parte & cum coſtis nonnullis, teſtatur ejus minor magnitudo. Rachiticum fuiſſe illud, ex curvatura ejusdem conjicere licet, qui morbus non ſolum

(e) Obſervat. Medicinal. Libr. V. p. m. 80. Edit. in fol. Francofurt. 1609.

(f) Hiſtoire de l'Academie Royale des Sciences, Année 1716, pag. 30.

(g) ibidem Ann. 1699. p. 59.

(h) Tom. I. pag. 949.

ſolum ſpinæ dorſi ſed & aliorum oſſium curvaturam producit. In rachitide autem non ſolum omnes illas cauſſas a Celeb. BOERHAAVIO recenſitas (i), ſed & plures circumſtantias adeſſe, quæ coalitum ejusmodi producere poſſunt, notum eſt. Accedit enim mollities ſubſtantiæ oſſeæ, teneræ ætati familiaris, difficultas motus voluntarii, unde vel ſedendo vel cubando in lectulo longum tempus tranſigere coguntur. Adeſt in rachiticis ſumma reſpirandi difficultas cum glandularum obſtructione, unde oſſa contracta in eodem ſitu, ſine evidenti motu, in articulis ſuis quieſcunt, fibræ ligamentoſæ, quoniam reciproce nec extenduntur, nec contrahuntur, i. e. nec relaxantur, nec intumeſcunt denuo, fiunt rigidæ, ligamentoſum linimentum Haverſianum inſpiſſatum, mora diuturniori fibras conglutinat, acredine perioſtium abſumitur, affluit deinde ex ipſa oſſium ſubſtantia copioſior lymphæ corruptæ, tenacis, quantitas, oriuntur novæ fibræ ſub varia directione variisque ordinibus, omnia ſic in unam maſſam abeunt. Reſpiratione magis magisque imminuta coſtarum bini proceſſus, in ſinubus quieſcentes, coaleſcunt tandem non ſolum cum corporibus vertebrarum, ſed etiam, ex cauſſis ſupra allegatis, durante diutius morbo, cum ipſis proceſſibus lateralibus earundem, quod evidentiſſime adparet in hac ſpina. Caput gravius etiam motui voluntario non obtemperat, ſed ſuo pondere premit, quietum jacet, ex iisdem vero allegatis cauſſis, occipitis pars cum atlante, axis epiſtrophæi cum foramine atlantis, & ſic porro coaleſcunt omnia in unam maſſam ad priſtinos motus, amiſſis articulis, ineptam, per muſculos ad voluntatem dirigendos.

(i) Conf. Illuſtr. Præſidis, D. D. *Andr. El.* BUCHNERI Diſſert. de Anchyloſi, Erfurt. 1743.

Explicatio Figuræ 3. Tab. IX.

a. Occipitis, ſeu baſilaris oſſis pars.
b. Atlas.
c. Axis epiſtrophæi.
d. e. f. g. h. i. reliquæ colli quinque vertebræ.
k. prima thoracis vertebra.
l. ſecunda.
m. tertia.
n. quarta.
o. quinta.
p. ſexta.
q. ſeptima.
r. primæ coſtæ pars cum vertebra coalita.
s. ſecundæ coſtæ pars.
t. Veſtigium, ubi prima dextri lateris coſta violenter avulſa eſt.
u. Veſtigium, ubi a corpore & proceſſibus lateralibus plures coſtarum avulſæ ſunt.
x. Veſtigia quædam tantum, ubi inter bina corpora interpoſita erant ligamenta cartilaginoſa.

OBSERVATIO CXXV.

Dn. D. JO. SEBASTIAN. ALBRECHT.

De

Cauſſis maciei extremæ febrem lentam hecticam ſequutæ.

Illuſtris quædam vidua, quadraginta, & quod excurrit, annorum, ab ipſa infantia gracilioris & tenerioris licet corporis habitus, inſuper paſſa eſt in juventute arctiorem per conſtrictos thoraces pectoris & abdominis ſtricturam & preſſionem. Hanc corporis teneritudinem comitabatur per omnem ætatem maxima animi ſenſibilitas, qua ad vehementiores animi motus, inprimis vero iram, valde proclivis erat. Inito matrimonio, una cum generoſiſſimo & illuſtri Domino marito ſæpius caſtra ſequuta eſt, tam in Germania, quam in Italia, felix interea aliquot liberorum utriusque ſexus mater, quorum tres adhuc in ſplendorem generoſiſſimæ familiæ vivunt. Caſtrorum ponendorum licet ratio poſtulet primaria, ut copiæ ſufficientem aquæ puræ habeant affluentiam, eam tamen non ubique adquiri poſſe, notiſſimum eſt. Accedunt ſæpius durior & crudior, exigente ſic neceſſitate, victus ratio & aliæ tempeſtatis injuriæ, quæ tenerum corpus facile affligunt. Noſtra illuſtris perſona incidit ex his cauſſis in frequentiores febres intermittentes, tertianas, auctumnales vernasque valde chronicas. Tam in caſtris, quam illis ſub hibernis commorationibus ſolutis, in urbibus, incidit in manus Chirurgorum caſtrenſium, praxin medicam ſimul, ut moris eſt, exercentium, immo ipſorum Medicorum, qui febribus ejusmodi non niſi

largiori pulveris Chinchinæ uſu mederi noverant. Hujus corticis, ſi computum ſubducere vellet, plures ſucceſſive, durante hoc vitæ genere, devoraſſe libras, adſeruit ſerio. Compoſitis eo tempore belli tempeſtatibus, vixit una cum illuſtri marito in aula ſplendidiſſima Sereniſſimi alicujus Principis in Germania, ſi quantitatem cibi & potus conſideres, ſobriam & temperatam diætam ſervans. At illo tempore, pro hodierni ſæculi genio, potum Coffee peramabat ad abuſum usque, delectabatur inſuper fructibus horæis aliisque ſerotinis arborum fructibus, nec non lacticiniis. Luſibus, uti fieri ſolet, hiberno præſertim tempore, & in aula & in privatis illuſtrium perſonarum conventibus, ſæpius in ſeram noctem protractis, corpus naturæ tenerioris multum afficiebatur. Nam corpore, inprimis pedibus, non æque, ac ſanitatis ratio poſtulat, a frigoris impetu munitis, &, pro reliqua veſtitus ratione hodierna, magis ad formam & ornatum concinne quidem, ſed ad tuendum corpus ab injuriis externis minus ſufficienter compoſita, ſæpius paſſiones hyſtericas, aut ſi mavis, ſpaſticos in abdomine motus, doloroſos ſatis, ſenſit. Mortuo præmature illuſtri marito, afflictiſſima mœrore, aulicæ vitæ valedixit & ad ſuos reverſa lares rerum domeſticarum curam egit prudenter, ſolitariæ nunc vitæ amans, ſedentariæ adſuevit, dolorem ex obitu dilectiſſimi mariti ſubinde revocans in animum. Sub hoc novo vitæ genere pauci præterlapſi ſunt anni, quum ſentiret febris lentæ hecticæ initia, mox ſub ſpecie anomalæ tertianæ, mox ſub larva catarrhalis, pro anni temporis & tempeſtatis ratione ludentis, magis magisque, ſucceſſive, imminuto ſimul fluxu menſtruo, & quoad tempora turbato, quibus omnibus ſubinde accedebant vomitus, tormina, alvo ſimul ſegniore manente. Hic rerum ſtatus revocabat illuſtrem matronam in

urbem

urbem noſtram, ut Medicus præſens meliorem ſanitatis reſtituendæ rationem habere poſſet. Ancipiti poſita, in morbo tam gravi & chronico, prognoſi, nihil negligebam eorum, quibus vis morbi aliquo modo infringi, ſi non vinci, poſſit. Phthiſin adeſſe ſibi perſuadebat, ſed nihil hujus præſto eſſe adfirmabam ex ſignorum hujus morbi defectu, poſſe tamen venire hominem ad extremam maciem etiam ex viſcerum abdominis mala conſtitutione, ægrotam docebam & hic eſſe ſedem morbi. Inprimis ordinaram, quæ ad diætam pertinebant, quam quoad cibum & potum, tenuem humectantem, nutrientem, ſimul vero medicamentoſum, nempe ex tenerioribus carnibus, juſculis carnis caponis, vituli, remota omni pinguedine, herbis recentibus earumque ſuccis recenter expreſſis, chærefolii, acetoſellæ, bellidis, naſturtii hortenſis, alternatim condiendis, alio tempore gelatinis corpus reficere ſtudebam. Ante omnia vero & quotidie animi tranquillitatem, maxime neceſſariam, commendabam. Corporis motum pro virium conditione, verno temperatiſſimo & ſaniſſimo hoc anni tempore, plurimum poſſe conferre ad meliorem ſtatum, inprimis cum adeſſent equi & optime conſtructus currus, & omnia, quæ ad commoditatem facere poſſent, perſuaſi. Quod ad curam ipſam per medicamenta attinet, inprimis id egi, ut viſcera obſtructa, quantum fieri poſſet, reſerarem per medicamenta aperientia, ut lympham ſpiſſiorem attenuarem; ut primas vias a muco tenaci liberarem & expeditiores redderem chyli vias, & tandem febriles lentos motus attemperarem: non neglecto plane menſtruo negotio ſuis periodis per venæſectionem in pede & pediluvia, nec non per uſum pilularum Stahlianarum in ordinem revocando, eum in finem ptiſanis ex radic. taraxaci, cichorei, graminis, ſcorzoneræ cum paſſulis minoribus & pau-

xillo ſeminis fœniculi cum ſero lactis præſcriptis; liquorem ſimul terræ foliatæ tartari, cum tinctura rhabarbari mixtum, exhibui interpoſitis nocturno tempore pulveribus temperantibus ſalino-nitroſis. Cumque aliquoties ſpaſmi inteſtina afficerent ſatis doloroſi, eos tam liquore anodyno minerali HOFFMANNI cum eſſentia caſtorei mixto, quam clyſteribus carminativo-emollientibus conſopiendos duxi, quibus crebriorem Mannæ Calabrinæ uſum interpoſui (*).

Ex his cum paullo meliorem ſpem ex virium aliquali incremento concepiſſet illuſtris ægrota, tranſiit ad uſum aquarum Selteranarum, nec illæ erant ſine effectu, ſed aliquam, licet perbrevem utilitatem, non ex corporis mole aucta, ſed ex animi alacritate majori menſurandam, adferebant. Nam ſubortis ſubinde non evitabilibus & leviſſimis iræ cauſſis, ob maximam & animi & corporis ſenſibilitatem, compoſiti tantillum ſanguinis motus denuo concitati ſunt identidem. In clyſteribus & pulveribus temperantibus, nitroſis itaque cum aquis appropriatis, ſcorzoneræ, taraxaci, cichorei, chamomillæ, ceraſorum nigrorum, mixtis, cum nunc reliqua fere omnia reſpueret, emulſiones vero tam ob metuendum vomitum, quam ob flatuum copiam, difficulter ferret, omnis ſpes erat reliqua, ſed vana. Vocabantur interdum ſimul in conſilium & alii Medici, quorum alter phthiſicum corpus ſine omni indicio ſuffi-

(*) Memini aliquando, ex uſu horum medicamentorum abſtergentium, magnam partem muci tenacis, tunicæ inſtar figurati, abſceſſiſſe cum terrore famulæ, quæ incautum facile potuiſſet fallere Medicum. Sed bono eſſe animo juſſi, re viſa & explorata: Nam in aquam tepidam injecta, ſoluta tenacitate, evanuit tunica credita.

ſufficiente (nam nunquam purulenta expectoravit, nec ante, nec in morbo, ſed tantum pituitam tenaciorem,) pronunciabat, itaque expectorantibus ut obviam eatur difficiliori nunc reſpirationi & ſuaſor & auctor fuit, neque me neque alio adhuc Medico conſentientibus. Sed tantum abeſt, reſpirationem inde faciliorem fuiſſe redditam, ut potius poſt paucos dies ipſa ultima exſpiratio ſit ſequuta, d. 7. Jul. 1744. poſtquam res ſuas optime diſpoſuerat ægrota generoſiſſima. Altero die vocatus, ut per cultrum anatomicum in tam refractarii morbi cauſſam organicam inquirerem, diſſenſum inter nos Medicos de phthiſi non præſente dirimiturus lubens morem geſſi. Quæ & illo ipſo Medico & duobus Chirurgis præſentibus reperta ſint, nunc referam. Corpus totum, natura ſua tenerum, adeo erat emaciatum, ut etiam eminentior oſſis ilii coſta cutem perforaverit. Ipſa ſectione facta in thorace uterque pulmonum lobus omnino, dexter per validam membranam arctius, ſiniſter per fibras firmiores quaſi tendineas laxius coaluerant cum pleura. Utriusque lobi ſubſtantia dura, ſcirrhoſa, albicans, & a copia muci inhærentis tenacis ponderoſa, nigricantibus vaſis ſanguiferis venoſis interdiſtincta, in plures partes diſciſſa, nihil purulenti habebat. Cor flaccidum duos continebat polypos albicantes, pituitoſos, tenaces; dexter quidem ventriculus majorem verſus arteriam pulmonalem, ſiniſter minorem verſus aortam excurrentem. Abdomine aperto & perluſtrato interiorum partium ſtatu, ne ullum quidem viſcerum a ſtatu ſuo naturali non remotiſſimum, ſed ſcirrhoſum durum vel omnino, vel ex parte tantum, deprehendebatur. Hepar circa apices durum, ſcirrhoſum, pallidum, continebat veſiculam felleam bile copioſa quidem, ſed viſcida, tenaci, flaveſcente turgidam. Lien pallidus, durus, ſcirrhoſus & corrugatus, uterque renum eadem

dem ratione induratus, immo ipſa ovaria adeo dura & ſcirrhoſa deprehendebantur, ut globulos ſaponaceos duros, inæquales, aliquis credidiſſet imprudens. Omentum maxima parte conſumtum & verſus ſuperiora retractum erat. Meſenterium membranoſum omni pinguedine orbatum & vaſa chyloſa obſtructa hinc inde, vaſaque ſanguifera turgida, nigricantia, varicoſa monſtrabat. Ventriculus una cum inteſtinis, deſtructo tono, flatibus erat diſtentus & partes bili adjacentes ejus flavedine conſpurcatæ. Quis igitur miretur, deſtructo organorum chylificationis tono, impeditis nutritionis viis, obſtructis immo induratis ſecretionum primariarum inſtrumentis, conſumtis diu per febrem lentam hecticam humoribus, atrophicum corpus ad extremam maciem usque perveniſſe, nec in poteſtate artis fuiſſe poſitum, morbum tollere, tot ſtipatum viſcerum læſionibus.

(*Coburgo Norimbergam miſſæ, d. 20. Mart. 1747.*)

OBSERVATIO CXXVI.

Dn. D. CHRISTOPHORI JACOBI TREW.

De

Anevryſmate ſpurio, ſectione quidem, ſed absque arteriæ conſtrictione, feliciter curato.

Quo magis periculoſi ſunt morbi, & quo magis dubii eventus ſunt methodi illis medendi, eo magis quoque operæ pretium eſt, omnia quæ ad eorum theoriæ & therapiæ emendationem quicquam conferre poſſunt, colligere & cum aliis communicare. Ad cenſum ejusmodi morborum etiam pertinere anevryſmata, poſt infelicem venæſectionem in cubiti flexura oborta, præcipue illa, quæ ex negli-

negligentia tantam molem vel talem conſtitutionem nacta ſunt, ut præter diſſectionem nulla alia medela ſuperſit, nemo inficias ibit. Celeberrimus *Thomas* BARTHOLINUS (a) non ſolum pronunciavit: *anevryſmatis lætum exitum pauci ſpectarunt*; ſed etiam profiteri haud erubuit: *certe Deum ſoleo precari, ut hujusmodi caſus vel avertat, vel meæ curæ ſubtrahat.* Famæ immortalis RUYSCHIUS (b), caſum anevryſmatis, poſt venam baſilicam dextri brachii & ſimul arteriam ſubjacentem ſectam orti, cutis vero inciſione & arteriæ conſtrictione feliciter curati proponens, declarat, *hanc operationem ab auctoribus magis commendatam & laudatam, quam inſtitutam eſſe*, & addit: *quod dicere non gravor, quia viginti ab hinc annis, & quod excurrit, in hac noſtra civitate*, (nimirum Amſtælodamenſi) *ad quam ſine numero confluunt afflicti, hanc operationem, in arteria adeo ingenti, nullus, quantum noverim, chirurgorum inſtituit.* Reliquos etiam artis peritos in hiſce conſentire, unusquisque, cujus intereſt, certior fieri poteſt ex Ill. HEISTERI *inſtitutionibus chirurgicis* (c), ubi ille, & aliorum ſcriptis & propriis obſervationibus ampliſſime edoctus, non ſolum ejusmodi anevryſmata ſpuria dicta veris longe periculoſiora declarat (d) & in his ſine ſcalpello nullum propemodum certam ſalutis ſpem ſupereſſe adſtruit (e), verum etiam & horum & verorum curam, ope ſectionis ſuſcipiendam, ancipitem & periculoſam pronunciat (f), proptereaque ſincere monet (g), *hanc operationem haud temere, ſed*

(a) Epiſtolar. medicinal. Cent. III. 54. p. 219.
(b) Obſ. anatomico-chirurgicar. II.
(c) edit. Amſtælodamenſ. an. 1739. cap. XIII. p. 429. ſeqq.
(d) p. 434. 435. §. V.
(e) p. 444. §. XXI. Eadem docet GARENGEOT: *traité des operations de chirurgie ſeconde edition a Paris 1731. p. 230.*
(f) p. 434. §. V. p. 435. §. VI. (g) p. 436. §. VII.

nonniſi caute admodum ac circumſpecte, quin etiam poſt adhibitos demum in conſilium medicos & chirurgos alios longe omnium expertiſſimos, ſuſcipi a chirurgo debere (h). Hæc itaque argumenta ſequentem hiſtoriam declarant haud ſupervacaneam.

Opifex quidam 33. annorum, nomine *Baumann*, in opido Hirſchbruck ditionis Norimbergenſis vitam degens, ſtrictioris habitus & lacertoſus, firmaque ceterum valetudine animoque conſtanti gaudens, die 26. Maji anni ſuperioris 1747. conſuetam celebravit in brachio dextro venæ ſectionem. Chirurgi miniſter, qui eam lanceola ſaltante, Germanis *Schnepper*, adminiſtravit, adverſa fortuna una cum vena baſilica ſimul cubitæam arteriam aperuit, unde ſanguis cum impetu & magni arcus forma exſiluit.

Qui ſectionem paſſus eſt per integrum brachium illico vehementem ſenſit dolorem, &, qui eam adminiſtravit, a ſe quoque commiſſum animadvertit errorem, proptereaque magnam ſanguinis quantitatem extraxit, unde patiens quoque in lipothymiam incidit antea nunquam perceptam. Chirurgus illico vulnus emplaſtro faſciaque firmiſſime conſtringebat, dolor vero per totum diem continuabat atque ægrotum in lectum conjiciebat, qui ceterum veræ cauſſæ ignarus ex vulgi tantum opinione putabat, nervum forſan quendam ſimul eſſe læſum. Altero die totus cubitus ad carpum usque ſanguine ſuffuſus reperiebatur, indeque ad ipſum carpum valde tumidus. Chirurgi miniſter, factum hoc Magiſtrum ſuum per quinque dies celans, hiſce malis medelam adhi-

(h) Eadem inculcat DIONIS *Cours d'operations de chirurgie* troiſieme edition a Paris 1716. p. 587. Germanice reddit. & Auguſt. Vindel. 1722. edit. p. 764. *Jo.* PALFYN tract. *de operationibus chirurgicis*, editionis germanice redditæ, Francof. & Lipſ. 1717. editæ p. 421.

adhibuit emplaſtris & variis illinamentis tantumque effecit, ut interea dolor paullulum leniretur & ſuffuſio diſſiparetur. Nihilominus tamen in loco vulneris mox tumor, amygdalæ magnitudine, in conſpectum veniebat mollis quidem tactu & leni preſſioni cedens, illico tamen ſemper rediens. Nocte diem 31. Maji prægreſſa, dolor denuo oriebatur adeo vehemens, ut patiens cogeretur, ſummo mane ex ipſo Magiſtro remedium petere, qui hactenus peractorum neſcius & ratus rhevmatiſmum quendam dolorum cauſſam eſſe, pulverem ſudoriferum mittebat, largum ſudorem prolicientem, & poſt aliquot horas ægrotum ipſe viſitabat, tunc vero, licet prædictum tumorem ipſe exploraret, & pulſum in illo, ex propria confeſſione, perciperet, nullum tamen aliud remedium proponebat, niſi eundem pulverem ſudoriferum denuo aſſumendum. Ægrotus, nullam amplius fidem huic habens, brevi poſt ex alio chirurgo petiit conſilium, qui tumori ſplenia ſpiritu quodam imbuta, atque his emplaſtrum defenſivum imponebat. Quum vero horum applicationem exciperet tumoris inflammatio cum veſiculis hinc inde ortis atque dolorum augmento, prior chirurgus iterum revocabatur, qui tunc fomentationes cum aceto calido in uſum vocabat, inflammationem quidem ſedantes, reliqua vero in ſtatu priſtino relinquentes. Poſtea decem ferme ſeptimanæ tranſigebantur, quarum decurſu mox ſpirituoſa & ſplenia comprimentia applicabantur, mox iterum negligebantur, neuter vero, neque chirurgus, neque ægrotus, officio ſuo ſatisfaciebat. Interea tumor ſenſim ſenſimque majus capiebat incrementum, magis magisque cubiti extenſionem impediebat, atque ægrotum ad labores ſubeundos minus aptum reddebat. Hiſce in anguſtiis Noribergam demum, die nempe 21. Julii, venit, & D. *Wolffg. Jac.* MULLNERUM, chirurgum adiit, qui ſtatim tumorem pro anevryſmate declaravit ſimulque indicavit, in ſola ope-

ratione chirurgica certam ejus medelam eſſe quærendam, & quum ſimul Cl. Dn. D. *Jo. Fridericus* HERELIUS, Reipublicæ Norimbergenſis Phyſicus ordinarius, præſens eſſet, hujus quoque ſententiam exploravit, qui priorem confirmavit, & ſuaſit, ut interea tumor lamina plumbea comprimeretur. His auditis ægrotus domum rediit & cum cognatis ſuis de ſuſcipienda cura conſilium iniit, die quoque 24. Julii plumbeam laminam applicuit, eam vero ob dolores excitatos ultra biduum ſufferre haud potuit, hincque d. 26. ſequente Norimbergam iterum venit. Altero die laudatus Chirurgus MULLNERUS meum quoque conſilium expetiit.

Explorato hinc tumore, eum ovo gallinaceo majori æqualem deprehendi, nullum vero pulſus veſtigium in eo percipere potui; durus præterea tactui ſe ſiſtebat, leniter tamen undique preſſus, mole multum imminui videbatur; ceterum in ſummo ejus veſicula obulum magna & ſugillata, a plumbea lamina minus apte applicata orta, conſpiciebatur. Quum nullum pulſum in hoc tumore detegere potuerim, pro ſpurio anevryſmate illum habendum eſſe certior fui, etſi tanto temporis intervallo haud latius ſe ſe diffuderit, ſed circumſcripto quaſi ſpatio incluſus apparuerit. Mali curæque ejus ſuſcipiendæ gravitas communem urgebat conſultationem, cui, præter nominatum MULLNERUM & me, interfuit ſupra laudatus D. D. HERELIUS, ejusque Parens, Inclyti Collegii Medici Norimbergenſis Seniorum primarius, ut & D. *Joann. Frid. Hermannus* ZINCK & D. *Jo. Eberhardus* EIERICH, uterque ex collegio Chirurgorum noſtratium.

Quum igitur tumor leni preſſioni notabiliter adhuc cederet, omnium conſenſu concludebatur, tentandum ſupereſſe, numne ille per continuam preſſionem ſenſim ſenſimque adhuc diſſipari poſſit. Quod quo facilius ſuccederet, pro roborandis partibus ſolidis expanſis & reſolvendo cruore

re

re coagulato, atque ex tumoris duritie valde condenſato præſumendo, hocce præſcribebatur infuſum: rec. herbæ arnicæ cum floribus, hyperici cum floribus, eryſimi, radicis rubiæ tinctorum ana drachm. ij. ſpiritus vini rectificatiſſimi unc. octo; ſtent in digeſtione per noctem, mane exprimatur & filtretur liquor. Hoc liquore imbuebantur ſplenia tumori applicanda; ne autem in parte a veſicula ſuperius memorata læſa dolor inde excitaretur, hæc pro magnitudine ſua emplaſtro defenſivo prius muniebatur & poſtea ſplenia modice tantum faſcia conſtringebantur. Nihilominus dolores mox oriebantur adeo vehementes, ut illis ferendis haud par eſſet ægrotus, veſicula quoque ulterius ſe extendebat & totus tumor inflammabatur, quare ſplenia dicto liquore madefacta absque ulla ferme conſtrictione applicabuntur, nobis expectantibus, num cutis eroſio & inflammatio decrementum an incrementum captura eſſet. Dum vero poſterius omnino, imo ſuſpicio inde de ſpontanea tumoris ruptura oriretur, ne hæc minus oportuno tempore contingeret & hæmorrhagia funeſta, antequam ſuccurri poſſet, accederet, cautelæ loco vinculum tortile vulgare prope axillam applicabatur, ſed absque notabili conſtrictione, debita tamen ſubjuncta eorum informatione, qui dies noctesque ægrotum cuſtodiebant, quomodo, caſu exiſtente, dirigi idem deberet. His vero circumſtantiis in melius non mutatis, omnium conſenſu nil reliquum erat, niſi omnem ſpem in ipſam operationem collocare, idquod ægroto annunciabatur, indicatis ſimul periculis, quæ per ipſam etiam hanc operationem incurrere poſſet.

Ægroto ſic ad omnia præparato, dies 3. Auguſti tandem ad operationem ſuſcipiendam deſtinatur. Interea de methodo, qua illa ſuſcipienda eſſet, cogitanti mihi in mentem veniebant, quæ primum D. D. HAMBERGERUS, in inclyta Academia Jenenſi Profeſſor Celeberrimus, in Com-

mercio litterario anno 1732. p. 107. ſeqq. poſtea vero prolixius D. *Nathanael Theophilus* EMRICH, Uratislavienſis, in ſua Diſſertatione inaugurali ſub præſidio Celeberrimi TEICHMEYERI Jenæ anno 1734. de ſtupendo anevryſmate in brachio feliciter per operationem curato, ventilata, annotarunt, quorum hiſtoriam, quemadmodum illam laudatus HAMBERGERUS conſignavit, una cum additamentis ex citata diſſertatione excerptis, ſed alio typo diſtinctis, præmittere, operæ pretium fore duxi, quia hic caſus, omnino peculiaris, non ſolum ulteriorem divulgationem meretur, verum etiam methodus, qua tractatus fuit, ad illuſtrationem porro dicendorum inſervit.

Studioſo cuidam 20. annorum *ante feſtum Michaelis anno 1731. vena ſecatur baſilica dextri brachii, ſed adeo infauſte, ut arteria quoque ſubjacens* cubitæa *ſimul læderetur. Hoc an chirurgus ſtatim cognoverit, affirmare nequeo* (non cognovit, quia venam ſectam ſimplici tantum faſcia more ſolito firmavit, quod ſequens conſilium datum magis adhuc confirmat) *illud tamen certum eſt, quum tumor in flexura cubiti nucis avellanæ magnitudinem haberet, a chirurgo conſilium eſſe datum, ut ſtudioſus arcam parvam lapidibus oneraret & manu dextra frequenter agitaret; quo facto tumor indies evaſit major, ita, ut circa feſtum Martini, quo tempore ægrotus Cl. Dom. Conſiliar. Aul.* TEICHMEYERI *auxilium implorabat, jam ovo anſerino eſſet æqualis. Hic Vir cl. ex pulſu in tumore deprehendens, anevryſma adeſſe, abſque ſectione curationem vix ſperari poſſe, pronunciavit, hoc vero remedii genus ægroto tunc repudiante, alia quidem per unam alteramque ſeptimanam, ſed absque ſucceſſu, attentata ſunt. Aliquot diebus poſt, neſcio quo fato, medicaſtro, omni ſcientia medica deſtituto, traditur æger; iſte, pro fungo articulorum habens tumorem, emollientia applicat. Sic increvit tumor ſub enormibus doloribus*

ad

ad inſignem magnitudinem. Medicaſter, ſuppurationem ex voto factam credens, cauteria potentialia duo applicat, quorum alterum hora XI. nocturna diei XXI. Decembris cutem perforavit; ſed loco puris tanta ſanguinis erupit quantitas (circiter ℔. vj.) *ut ægrotus & adſtantes, hæmorrhagiam timentes lethalem, denuo ad cel.* TEICHMEYERUM *tanquam ad ſacram anchoram, confugerent. Hic, ſedata hæmorrhagia,* foramen factum fortiter obturando, emplaſtro corio illito firmando & ſpleniis faſciisque ulteriorem ſanguinis profuſionem impediendo, *altero die Excell. D.* HILSCHERUM *atque me ad viſitandum ægrotum invitavit,* qui tantam hæmorrhagiam perpeſſus moribundo ſimilis erat. *Tumor in ſui medio, circa flexuram cubiti, latitudinem 8. vel 9. digitorum, longitudinem vero pede majorem habebat: latitudine enim ſenſim decreſcente paullulum ultra medium humeri aſcendebat, & ultra medium cubiti deſcendebat; cutis circa flexuram cubiti fuſca apparebat. Conſilio inito, ſequenti die, XXIII. nempe Decembris, horis matutinis, ſectionem inſtituere decrevimus, quæ ſequenti modo peragebatur. Interiori & ſuperiori humeri parti, proxime ſupra tumorem, itemque exteriori, duos cylindros ex linteaminibus convolutos, quorum diameter minimum duobus, longitudo quinque digitis æqualis erat, ita applicui, ut minimum internus tota ſua longitudine arteriæ incumberet: obvoluto linteamine aliquoties duplicato, filum cannabinum craſſius, Germanis* Klaffter Schnur, *bis laxe circumduxi, quod baculo ligneo contorſi.*

Explorato intus, ope ſtyli excavati hebetiſque, pro inveſtigandis locis incidendis, *aperturæ per cauterium factæ immiſſi, tumore, cel.* TEICHMEYERUS *cutis ſectionem* cultro acutiſſimo *inſtituebat, initio facto a dicta apertura, quæ in cubito hærebat, & a flexura cubiti minimum tres digitos diſtabat. Continuata ſectione in linea recta usque ad*

con-

condylum humeri internum, eadem, ob tumorem, in humero adhuc per quatuor digitos ſecundum longitudinem humeri in parte ejus interna extendebatur. A medio primæ ſectionis condylum verſus externum humeri novam ſectionem inſtituere animus erat, ſed non, niſi per duos digitos, continuari poterat: tendo enim muſculi bicipitis ibi proxime cuti adhærebat, & ab oſſibus minimum tres digitos diſtabat, adeo, ut nulla ejus cum radio connexio, etiam poſt ſanguinis coagulati evacuationem, obſervari potuerit. Sectione ſufficienter facta, ſanguis fluidus quidem, ſed qualis ex venis prodire ſolet, effluxit, quo fluxu brevi ceſſante cl. TEICHMEYERUS *ſanguinis congrumati & paullulum fœtidi minimum libras duas* (Sectione facta, reperiebatur ſtatim partim fluidus, partim, & maximam quidem partem, coagulatus, ſanguis in cavitate hujus ſtupendi tumoris, cujus quantitas ad minimum decem librarum [hic procul dubio error] erat) *partim digitis cavitati immiſſis, partim leni preſſione externa, expreſſit. Apparuit tunc globus ex carne membranoſus ſuperficiei inæqualis, arteriæ adhærens, diametri duorum digitorum. Hunc exploraturus digitis paullulum compreſſi, ex ægroto quærens, num dolorem perciperet, quod quum negaret, fortius preſſi, & ſic non ſolum ab arteria ſucceſſive ſeceſſit, ſed & in tribus locis ruptus ſanguinem coagulatum dimiſit. Omnibus ſic ablatis nuda arteria, non dilatata, cerni poterat, ſed nullam ejusdem læſionem obſervare licebat, donec laxata paullulum humeri ſtrictura, ſanguis floridus cinnabarinus per anguſtum foramen magno impetu poſiliret. Cognito ſic loco læſionis, humerus denuo conſtringebatur, & cl.* TEICHMEYERUS *fruſtulum vitrioli calcinati loco læſionis applicabat: huic imponebatur charta emporetica maſticata, tota regio pulveribus ſtypticis* (ex æquali ferme pondere radicis tormentillæ, biſtortæ, roſarum rubrarum, farinæ volaticæ, boli armenæ, ſanguinis hirci exſic-

exſiccati, glutinis fabrorum, myrrhæ, maſtichis, aloes & colophonii) *conſpergebatur, reliqua cavitas linteamine carpto, pulvere ſtyptico conſperſo, chartæ maſticatæ ſplenia minora, dein ſucceſſive majora, imponebantur, donec ſufficiens altitudo adeſſet, ut faſciæ circumduci potuerint. His quoque decenter applicatis, in lectum reponebatur ægrotus, ſed, laxata strictura humeri, ubivis per faſcias ſanguis floridus arterioſus erumpebat. Denuo hinc humero conſtricto, faſcias & ſplenia ſeparavi, &* (eloto prius vulnere vino calido vel potius tepido, cocto prius cum radicis plantaginis, ſymphyti, angelicæ, carlinæ, ana unc. una, herbæ roris marini, ſalviæ, origani, ſerpilli, ocimi, polii montani, agrimoniæ, betonicæ, ſummitatum rutæ, florum hyperici, lavendulæ, meliloti, ana manip. uno, arnicæ manip. dimidio, cubebarum drachmis iij.) *ſolam chartam maſticatam, liquore ſtyptico imprægnatam, ex communi conſilio applicui, commendante Exc.* HILSCHERO *ad hunc uſum præ reliquis liquorem ſtypticum Dippelii*, qui paratur ex herbis travmaticis vel earum ſuccis, ut betonicæ, pimpinellæ, chærefolii, ſedi majoris, plantaginis, numulariæ, millefolii, ariſtolochiæ, vincæ pervincæ, ſaniculæ, verbaſci, fabarum, centinodii, deſtillatis per retortam cum aceto; *reliqua, incurvato prius paullulum brachio, eodem ac antea modo facta ſunt*, humectatis ſcilicet eodem liquore ſtyptico omnibus linteaminibus carptis, inſuper pulvere adſtringente & balſamico, antea deſcripto, conſperſis. *Ægroto in lectum repoſito & laxata ſtrictura humeri, nihil per faſcias effluebat; faſciis vero liquor ſpirituoſus, ex ſpiritu matricali*, theriacali, & *aqua Anhaltina* æquali portione mixtis, *affundebatur. Brevi poſt lenis & mollis tumor in manu & digitis apparuit, digitos tamen ægrotus melius poſt operationem, quam ante eandem, movere poterat. Pulſus, qui ante operationem celer erat, poſt eandem parcus quo-*

que evaſit. Cura ægroti ſtudioſis medicinæ, qui operationi adſtiterant, commendabatur, ut nempe qualibet hora epithemata humida ex herbis balſamicis, ſupra indicatis, *in vino coctis applicarent, & quolibet biborio faſcias ſupra dicto liquore ſpirituoſo conſpergerent* (eoque ſimul brachium ſuperius & inferius lavarent, id quod per tres primos dies continuabatur) *atque medicamenta bezoardica & travmatica ab Exc.* TEICHMEYERO *tradita* (erant hæc mixtura & pulvis: Rec. tinct. bezoard. Wed., eſſent. travmat. Wed., theriacal. balſam. ana drachm. j. myrrhæ, ſuccini ana drachm. dimid. tinct. anodyn. gutt. xij. Rec. pulv. bezoard. Sennert. Scrup. ij. contra caſum Auguſt. antimonii diaph. ana ſcrup. j. nitri depur. drachm. dimid. theriacæ cœleſt. gr. iij.) *decenti tempore* (Mixturæ propinabantur gtt. XLV. hora VII. matutina & III. pomeridiana, pulveris gr. xxv. hora X. matutina & X. nocturna, omnia cum aqua ceraſor. nigrorum) *exhiberent*, atque inſuper quidam adſtantium vinculum tortile aliquantum remiſſum continuo teneret, ut duobus illis craſſis ſpleniis, exterius & interius ad decurſum arteriæ applicatis, impetus ſanguinis aliquo modo conſtringeretur. *Proxima nox abſque ſomno fuit, altero die ſitis urgebat, pulſus erat celerior atque magnus, & tumor brachii tam infra ligaturam, quam ſupra eandem, major atque durior*, abſque tamen ecchymoſi aut inflammatione gangrænoſa; *venæ ſectio hinc in altero brachio* ad vj. vel vij. uncias *inſtituebatur & conſtrictio humeri omnis perfecte remittebatur.* Eodem die hora VI. veſpertina clyſter etiam applicabatur, qui vero ſequente demum die operationem ſuam edebat, quod ægrotus ante operationem alvi ſolutionem expertus fuerat. Potiuncula porro ipſi parabatur ſequens: Rec. aq. ſcorz., ſambuci, galegæ, ceraſorum nigrorum, flor. namphæ, cinnamomi ſ. v. ana unc. j. pulv. bezoard. Sennerti, cephalici Michaelis,

epi-

epileptici Marchionum, antimon. diaph. ana ſcrup. j. Extracti theriacal., ſcorzoner. ana gr. iiij., confect. alkerm. drachm. j. cujus cochlear unum, facta prius agitatione, ſingulis horis propinabatur. *Altera nocte per aliquot horas dormiverat ægrotus, fœtor circa faſcias percipiebatur, pulſus adhuc erat celer, ſed tumor brachii minus durus. Veſiculæ quoque quædam pellucidæ in dorſo manus & cubito erumpebant.* Per tres hoſce primos dies ægroto nullus cibus, præter juſcula, & pro potu ordinario decoctum hordei cum cornu cervi & ſcorzonera, attamen, quum hoc minus ad palatum eſſet, parcus cereviſiæ potus quoque concedebatur. *Nocte tertia rurſus per aliquot horas ægrotus ſomnum viderat, inſomniis tamen agitatus. Sequente die, XXVI. nempe Decembris, veſiculæ ovo columbino æquales in vola manus videbantur, in quibus poſt apertionem gelatinoſa materia deprebendebatur; ægrotus vero fœtorem brachii ulterius ferre non poterat. Eodem igitur iſto die mane, conſtricto prius paullulum humero, inſtrumento iſto a D.* PETIT *invento & a D.* GARENGEOT *in ſuo de Inſtrumentis chirurgicis tractatu deſcripto, Gallis Tourniquet dicto, removebam faſcias atque ſplenia, & effluebant tam ſanguinis, quam materiæ purulentæ, junctim circiter unciæ quinque. Cutis, quæ poſt ſectionem flaccida erat, jam ſucco plena turgebat, optimi erat coloris, niſi quod alterum labium vulneris, ad tendinem usque bicipitis facti, nigricaret. Dom. Conſil. Aul.* TEICHMEYERUS *chartam maſticatam, arteriæ adhærentem, cum ultimo ſplenio, arteriæ apprimebat, ut tanto tutius cavitatem a ſordibus purgare poſſem* (quod peragebatur penicillo ex linteaminibus carptis confecto & humectato ſpiritu matricali cum aqua Anhaltina mixto, alioque penicillo ex eadem materia parato, quo ubique vulnus inungebatur ſequenti linimento: Rec. pulveris myrrhæ, maſtichis, aloes, gummi ſandaracæ, radicis ariſtolochiæ longæ

 vul-

vulgaris, ana drachm. j., colophonii, balſami peruviani, copaivæ, ana drahm. ij., mellis roſarum, quantum ſufficit) *qua purgata, totam chartam maſticatam circumcirca colophonio ſubtiliſſime pulveriſato conſperſi, reliquam vero cavitatis partem linteaminibus carptis, ſpiritu matricali impragnatis replevi; impoſitis denique dicto modo ſpleniis,* ſiccis tantum, *faſcias adeo laxe circumduxi, ut circumvolutæ tantum viderentur,* fiducia in torcular repoſita. *In lectum ægro repoſito, multum laxavi ſtricturam humeri, & nulla ſubſequuta eſt hæmorrhagia. Vola quoque manus emplaſtris ſaturninis aliisque decenter tractabatur. Epithemata humida ſeponebantur & faſciæ liquore tantum ſpirituoſo conſpergebantur,* eoque etiam ſingulis tribus vel quatuor horis brachium ipſum illinebatur & pellibus leporinis calefactis contegebatur. *Sequenti nocte ægrotus ſat bene dormivit, ſub inſomniis tamen. Quinto a ſectione die tumor brachii notabiliter imminutus erat, & ægrotus non ſolum digitos, ſed etiam carpum, movere poterat. Quinta nocte ſat quiete dormiverat ægrotus. Sexto die,* nempe XXVIII., ægroto interea alacriore, validiore & firmiore reddito, *denuo abſtuli faſcias cum ſpleniis atque linteamine carpto; charta maſticata firmiter adhuc adhærebat arteriæ, quam dum Excell.* TEICHMEYERUS *digito arteriæ apprimebat, totum ulcus a ſordibus purgavi,* (materiam in cavitatibus contentam, & duas circiter uncias adæquantem, molliter exprimendo, ſpiritum matricalem & aquam Anhaltinam, cum eſſentia oculorum populi elixirioque proprietatis ſine acido, cavitatibus infundendo, & omnia ope penicilli linimento ſuperius deſcripto abſtergendo) *partem nigricantem* in extremitate cutis apparentem, *quæ ſe ſe ſeparaverat, a reliqua cute forfice amputavi, chartæ maſticatæ ambitum colophonio conſperſi, reliquæ vero cavitati balſamum atque eſſentiam oculorum populi illinivi, eamque linteamine carpto, liquore dicto ſpirituoſo impragnato,*

reple-

replevi, ſpleniis duobus primis ſpiritibus humectatis, reliquis ſiccis, *atque faſciis decenter, leniſſime tamen, obduxi. Tendo bicipitis tunc in membranam expanſus apparebat.* Priusquam hæc fiebat deligatio, vinculum tortile firmabatur; ea vero peracta, rurſus aliquantum remittebatur, quantum ſcilicet neceſſarium videbatur ad impetum ſanguinis per arteriam vulneratam quodammodo coërcendum. *Sexta & ſeptima nocte optime quieverat ægrotus. Septimo die* nullam moleſtiam amplius ſentiebat, *cibum appetebat* (alium vero, quam hactenus, juſcula nempe, non exhibuimus, nec alium potum, quam ſupra indicatum, conceſſimus) *& materia purulenta copioſe per faſcias prodibat. Octavo die, XXX. nempe Decembris, fœtor erat enormis, &, ablatis linteaminibus, non ſolum tendo bicipitis nigricans atque corruptus ex muſculo tantum pendebat, quem Excell.* TEICHMEYERUS *forfice amputabat, ſed charta quoque maſticata ſponte jam ab arteria ſecedebat, quæ vero ob carnem recentem & bonam circa eam concretam nuda ulterius, niſi in paucis punctis, haud apparebat, nec ſanguinem fundebat, tametſi humerus vix ſenſibiliter conſtrictus eſſet. Totam igitur arteriam novo conſperſi colophonio, novam quoque chartam maſticatam, liquore ſtyptico Dippelii paullulum imprægnatam, loco læſionis impoſui, reliquaque, ut in tertia deligatione, inſtitui. Quum charta maſticata prima vice ſecederet ab arteria, veſtigium læſionis in eadem nullum obſervavi, ſequente vero die in loco læſionis particulam corneam, ſub lentis magnitudine, lividam vidi, quam vero die V. Januarii, quum denuo ægrotum viſitarem, cernere ulterius haud potui, ſed tota arteria elegantiſſime carne tecta erat. Vitæ periculo feliciter ſic, adjuvante ſummo Numine, ſuperato, cl.* TEICHMEYERUS *reliquam conſolidationem ſolus rurſus ſuſcepit, qui quoque in peculiari diſſertatione totum caſum illuſtrabit.* Ex hac diſſertatione hactenus

nus collata plura addenda haud reſtant, quam ſequentia. D. XXXI. Decembris alvo iterum obſtructæ clyſter denuo adhibitus fuit optato effectu. D. I. Januarii omnis tumor brachii ſubſederat tam ſupra, quam infra, vulnus, ſimiliterque color totius brachii erat naturalis. Durities tamen quædam, ſed non admodum dolens, manus latitudinem æquans, ſuper carpo obſervabatur. Stylo in vulnus immiſſo deprehendebatur, duritiem prædictam ad tres circiter digitos carpum verſus procedere, & quidem intra corpora muſculi ſublimis atque profundi. Quare mollem conficiebamus turundam, quam unguento illitam in cavitatem immittebamus, id quod etiam die II. Januarii in deligatione fiebat, quo pus valde pulchrum ſanumque & omni odore deſtitutum, admodum paucum tamen, in vulnere reperiebatur. Nos vulnus, ubi opus erat, eſſentia oculorum populi eluebamus, unguento balſamico illinebamus, denuo chartam maſticatam ea in regione, in qua arteria aperta fuerat, & quæ regio carne jam omnino veſtita clauſaque erat, collocabamus, & hoc quidem, ut eo cautius procederemus. Omnibus locis colophonium adſpergebamus, vulnus plumaceolis contegebamus unguento illitis, illudque ſpleniis deligabamus; neque enim ullum hactenus emplaſtrum impoſueramus. Splenia ſingulis tribus horis calidis ſpiritibus irrorabantur, manus etiam & brachium ſuperius illinebantur. Veſicæ in manus vola hactenus exiſtentes hoc die plane ſanatæ fuerunt, unde quoque nil quicquam emplaſtri miraculoſi ad earum ſanationem amplius applicatum fuit. Equidem tribus ante diebus in condylo humeri interno, nec non in regione muſculi anconei, aliquos ægrotus ſentiebat dolores de ſynovia forſan accedente metum incutientes; ſed & hi evanuerunt & ſpatio duorum menſium ægrotus plane convaluit & ab omni motus impotentia liberatus fuit.

Hacte-

Hactenus hiſtoria ex relatione cl. TEICHMEYERI atque HAMBERGERI.

Probe ergo perpendens, curam hujus affectus ordinariam, ſecundum quam arteria læſa ſupra vulnus ligatur, magnam cubiti debilitatem, propter ſanguinis arterioſi & ab hoc dependentis nutrimenti ſufficientem diſtributionem interceptam, ſemper poſt ſe relinquere, imo nonnunquam ipſius amputationis cauſſam fieri, inſuper nervi alicujus inſignis vicini, nimirum medii (*), ſive ſimul ligetur, ſive acus ope ſeparetur, læſionem indeque dependentia graviora ſymptomata facile accidere poſſe, e contrario ex leni, ſufficienti tamen, compreſſione & obturatione arteriæ vulneratæ, chartæ maſticatæ ope obtinenda, nullum horum metuendum eſſe: concludebam, hanc curam illi multum præferendam & ſemper prius, imo ſi vel etiam una vice effectum deſideratum haud præſtaret, ſæpius tentandam eſſe, antequam arteriæ ligatura ſuſcipiatur, præſertim quum hoc absque periculo fieri queat, & ligatura ſemper adhuc locum habeat.

Perpendens porro, pro ſcopo obtinendo, præſertim in hoc & ſimili plerumque caſu, ubi curandus ceterum ſanus & robuſtus, pars læſa præterea nullam adhuc corruptionem internam paſſa eſt, potiſſimum requiri, ut 1) impetus ſanguinis, per arteriam læſam circulantis & vulnus ejusdem diſtendentis, coerceatur, 2) vulnus leniter, ſufficienter tamen, comprimatur ejusdemque labia inter ſe conjungantur, 3) corruptio præcaveatur, 4) partium tamen carnoſarum circumjacentium lenis ſuppuratio, indeque novæ carnis propullulatio, excitetur, 5) de novæ hujus carnis propullulantis condenſatione proſpiciatur, atque ſic 6) non ſolum arteriæ vulneris firma obturatio, ſed etiam ſimul omnium

(*) *Conf.* WINSLOW *traité des Nerfs* §. 228.

omnium partium diviſarum conjunctio & conſolidatio obtineatur: concludebam hinc, intuitu *primi momenti* ſufficere torcular ad obturationem usque vulneris arteriæ prudenti directione continuatum; intuitu *ſecundi momenti* nil aptius excogitari poſſe, quam chartam emporeticam ſeu bibulam maſticatam, quia ſub hac forma & qualitate non ſolum ſanguini penetranti reſiſtere valet, verum etiam omnibus eminentiis & excavationibus ſe accommodat, adeoque undiquaque æqualiter, absque ulla tamen irritatione vel læſione (quod ab acidis & acribus adſtringentibus minus æque expectare licet) comprimit atque hac ratione ſimul arteriæ vulneris labia inter ſe conjungit; intuitu *tertii momenti* ſpiritum vini rectificatiſſimum omnibus palmam præripere, quoniam neque vaſa ſanguiveha, neque partes nervoſas, corrumpit, ſed potius ab omni injuria defendit, atque præterea roborat, adeoque ſimul intuitu ſecundi momenti utilis eſt, dum leni adſtrictione partes disjunctas conjungit, e contrario vitriolum, ut & liquores ſtyptici decantati, ab acido concentrato conſtringentes vires ſuas obtinentes, ſi vel etiam his utile quid præſtare poſſent, partibus ſaltem nervoſis adverſa ſunt, imo etiam reliquas partes teneras, præcipue vaſcula nova propullulantia, potius corrumpunt, quam a corruptione defendunt, quemadmodum etiam vegetabilia adſtringentia craſſa, & impura, putredinem potius fovent, quam cohibent; intuitu *quarti momenti* ſola ita dicta ſarcotica ex gummoſis, reſinoſis & terreis, cum digeſtivo vulgari & ſimplici, ex terebinthina Veneta cum vitello ovi conjuncta, & tandem intuitu *quinti* & *ſexti momenti* hæc eadem ſarcotica una cum ſpiritu vini rectificatiſſimo ſufficere.

Hæc animi mei ſenſa poſtquam honoratiſſimis meis Collegis atque Chirurgis expoſueram, hique ea unanimi conſenſu approbaverant, ad operationem ſuſcipiendam ſequens adſtruebatur apparatus: aderant nempe

1) in

1) in omnem eventum & neceſſitatis caſum, qui arteriæ vulneratæ ligaturam urgeret, duæ acus obtuſæ peculiares a D. *le* DRAN inventæ, ſingulæ duobus filis tenuibus, robuſtis tamen & probe ceratis, inſtructæ;

2) Vinculum tortile vulgare: nempe funiculus robuſtus, Germanis Klaffter-Schnur; bacillus; duæ in cylindrum denſum, circiter duos digitos transverſos craſſum & quatuor longum convolutæ faſciæ; ſplenium ex linteo complicato quatuor digitos transverſos latum & tam longum, ut brachium bis circumdaret; fruſtum denique chartæ craſſæ & compactæ, Germanis Pappendeckel, tres digitos magnum;

3) Aliquot unciæ ſpiritus vini rectificatiſſimi;

4) aliquot unciæ aceti deſtillati, loco liquoris ſtyptici adhibendi, ſi præter ſpem ſpiritus vini ad cohibendam hæmorrhagiam minus ſufficeret;

5) quantitas ſufficiens vini calidi;

6) pulvis ſarcoticus ita compoſitus: Rec. pulveris maſtichis, olibani, myrrhæ, colophonii, ſanguinis draconis, ana drachm. j., glutinis fabrorum, boli armenæ, ana ſeſqui drachmam.

7) Aliquot orbiculi chartæ bibulæ maſticatæ, duplicis generis: duo nempe minores pollicem circiter lati atque vulneri arteriæ immediate applicandi, maſticatione præparabantur ex illa charta tenera & rubella, ex qua libelli illi, quibus auri folia condi ſolent, conficiuntur, plures vero & majores ex charta bibula tenera vulgari, ad priores contegendos: diſcrimen hoc propterea eligebatur, ut in deligationibus ſequentibus eo minus error committeretur, quamdiu requiritur, ut infimi intacti relinquantur.

8) Sufficiens quantitas lintei carpti, aliquot ſplenia, & faſcia conveniens;

9) Mixtura confortans, pro reficiendo operationem paſſuro: Rec. florum tiliæ, tunicæ, rubi idæi, ceraſorum nigrorum, ana ſuſcunciam, cinnamomi cum floribus cordial. drachm. ij. liq. anod. miner. Hoffm. ſcrup. ij. ſir. ceraſor. acidorum drachm. iij. confect. alkerm. incomp. drachm. j. miſceantur.

10) Spiritus ſalis armoniaci anthoſati drachm. iij. pro excitando ægroto forte deficiente.

His omnibus rite diſpoſitis, ægroto in ſellam collocato & Divini Numinis auxilio implorato, ipſa operatio die III. Auguſti hora X. matutina ſequenti ordine & modo ſuſcipiebatur.

1.) Apparatus cura commendabatur Dom. EIERICH.

2.) Vinculum tortile ita applicabatur: unus cylindrorum ex faſcia factus imponebatur interiori humeri regioni ſuper arteria brachiali mox infra axillam, alter exteriori regioni oppoſitæ, ambo firmabantur ſplenio bis brachium ambiente, & ſuper hac bis, ſed valde laxe, ducebatur funiculus ad externam regionem colligatus, ubi uterque funiculi circuitus ope bacilli ſuper fruſto chartæ craſſioris ſuppoſito eo usque pedetentim contorquebatur, ut nullus amplius pulſus in carpo percipi poſſet, cujus directionem poſtea Dominus ZINCK in ſe ſuſcipiebat.

3.) Quidam adſtantium famulorum firmiter tenebat cubitum, quousque poſſibile erat, extenſum, & tunc Dominus MULLNERUS lanceola provide incidebat tegumenta anevryſmatis ad locum inferiorem & fere medium, paullulum tamen interiora verſus, pro evitando bicipitis tendine, & quum nil, præter ſanguinem nigrum & congrumatum, in conſpectum veniſſet, ſectionem proſequebatur per totam anevryſmatis longitudinem, moxque digito aliquot grumos diſſolvebat & extrahebat, quos 2. vel 3. unciæ ſanguinis fluidi, non tamen adeo floridi, ſequebantur. Poſt-

hæc

hæc magis magisque totam cavitatem a grumis digitorum ope purgabat ac denique quendam paullo firmius ad locum arteriæ adhærentem & aliter conformatum protrahebat, illi, quam Domini Jenenſes in caſu ſuperius expoſito offenderunt, valde ſimilem, articulum digiti magnitudine æquantem, ſanguine congrumato pallidiorem & quaſi membranoſum, inferius præterea ſulco, arteriæ trunco procul dubio reſpondente, manifeſte excavatum. Quum vulnus pro detegenda & libere conſpicienda arteria nondum ſatis amplum videretur, forfice porro tegumenta, quousque ſoluta erant, non ſolum & ſuperius & inferius, ſed etiam transverſim ad condylum humeri internum usque, diſcindebat, & poſtea, totam cavitatem vino calido eluebat, quibus peractis denique arteria in conſpectum veniebat nuda, & ſic confirmabat, anevryſma omnino fuiſſe ſpurium. Ut autem ipſius etiam arteriæ vulnus detegeretur, vinculum tortile relaxabatur, & tunc illico ſanguis tenuis & floridus cum impetu & arcus forma proſiliebat, quo viſo, D. MULLNERUS locum probe obſervatum ſtatim digito comprimebat, & altera manu eidem imponebat orbiculum maſticatæ chartæ rubellæ, quem Dom. EIERICH ſpiritu vini rectificatiſſimo imbuerat, & pulvere ſarcotico No. 6 largiter conſperſerat.

Conſtricto interea a Dom. ZINCK rurſus vinculo tortili, primo orbiculo imponebat D. MULLNERUS ſecundum ex pari charta paratum, & poſtea plures ex vulgari charta bibula confectos, omnes etiam ſpiritu vini rectificatiſſimo & pulvere ſarcotico imbutos, usque dum ſummam cavitatis ferme attigerint; reliquum cavitatis impiebat plumaceolis pariter ſpiritu vini rectificatiſſimo & pulvere ſarcotico imprægnatis, totum vulnus tegebat uno & altero ſplenio quadrato, & tandem omnia firmabat faſcia firmiter conſtricta.

4.) Dum hæc peragebantur, ægrotus aliquoties pallebat & gravem virium defectum ſentiebat, ſuo tamem in-

dicio magis ex vinculi tortilis conſtrictione, quam ipſius operationis doloribus, nihilominus omnia firmo animo ſuſtinebat, ſemper ſibi conſtabat atque ſe ipſum odore ſpiritus No. 10. excitabat, hauſto ſimul interdum uno vel altero cochleari mixturæ No. 9. propinato.

5) Quam primum deligatio facta erat, vinculum tortile pedetentim denuo penitus relaxabatur & tamen nullum per faſciam penetrantis ſanguinis veſtigium obſervabatur. Quum vero explorato in carpo pulſu hujus nullum indicium, per 6. ferme temporis momenta minuta perciperetur, dubium oriebatur, numne arteria per applicata penitus fuerit compreſſa; ſed inter meditationes, quid porro faciendum, ſenſim ſenſimque penitus hic rediit & ſummum in adſtantium gaudium declaravit, circuitu ſanguinis per arteriam licet reſtituto, nihilominus tamen eum per vulnus non amplius excedere, adeoque primam ſtatim deligationem optato ſucceſſu eſſe peractam, pro quo beneficio Deo agebantur gratiæ debitæ.

6.) Quoniam autem neceſſum erat, ope conſtrictionis, ſanguinis per arteriam circumeuntis impulſum moderari, ſicque vulneris ejus coalitum facilitare, minus commodum vero videbatur, vinculum tortile ſupra deſcriptum ſemper in debito conſtrictionis gradu dies noctesque conſervare, hoc removebatur & aliud ejus in locum applicabatur, eum ferme in modum conſtructum, prouti a GARENGEOT (*) deſcribitur & delineatur. Hoc debita ratione firmato ægrotus in lectum collocabatur, brachio ſupra & infra deligationem ſpiritus vini camphoratus illinebatur, eique pulvinar ſubſternebatur & imponebatur.

7.) Pro

(*) *Traité des inſtruments de Chyrurgie Tom. II. a la Haye 1725. p. 142., editionis Germanica ab J. A. MISCHEL translata & Berolini 1729. edita p. 143.*

7.) Pro regimine præſcribebatur diæta tenuis, cibi nempe loco ſola juſcula, & loco cereviſiæ, cui aſſuetus erat, aqua tantum fontana haud nimis frigida; ex medicamentis nihil neceſſarium putabatur, quam pulvis temperans ſequens: recip. lapid. cancrorum acido citri ſaturatorum, nitri depurati ana drachm. j. pro quatuor doſibus quotidie una mane, altera ante ſomnum capiendum, cum aqua fontana ſumendis. Ceterum ægroto ſemper adjungebantur duo ex chirurgiæ ſtudioſis, qui dies noctesque ejus curæ invigilabant. Hac ſub diſpoſitione dies & nox inſequuta ſatis tranquille tranſigebantur. Altero die ægrotus non nullum æſtum, & ſitim paullulum auctam ſentiebat, hinc ſequens mixtura ſæpius capienda ipſi præſcribebatur: Rec. aqu. rubi idæi, fragorum, ceraſor. nigrorum, florum tiliæ, ana unc. ij. cinnamomi cum floribus cordialibus drachm. ij. liquor. anodyni mineralis Hoffmanni ſcrup. ij. clyſſ. antimonii ſulphurati ſcrup. dimid. ſir. ceraſor. acidor. drachm. vj. miſceantur. Ceterum brachio ſpiritus vini camphoratus, ut antea, aliquoties interdiu illinebatur. Tertio die cubitus & manus notabiliter tumebant, pulſus paullulo auctior, & urina ſaturata cum ſedimento obſervabatur, alvus vero libera & reliqua omnia ſatis tolerabilia, manebant, quare regimen inchoatum tantum continuabatur, neque venæſectio neceſſaria habebatur, præſertim quum quarto die ſitis, pulſus & urina naturalibus & conſuetis iterum reſponderent.

Quum vero tertio jam die fœtor circa vulnus notabilis oriretur, & ſuppurationem plenam indicaret, altero die, nempe VI. Auguſti, recens deligatio ſequentem in modum inſtituebatur:

1.) Ægroto iterum in ſellam collocato & torculari GARENGEOTI hactenus applicato remoto, ejus in locum

 prius

prius vinculum tortile ſubſtituebatur; ita tamen, ut funiculus tantum duplex ſuper reliquo apparatu poſterioris torcularis duceretur & ſuppoſita charta craſſa ope bacilli contorqueretur, usque dum pulſus in carpo iterum evaneſceret.

2.) Poſthæc adſtans firmiter tenebat cubitum, D. MULLNERUS ſolvebat faſciam, removebat ſplenia & plumaceolos, tandemque chartæ maſticatæ orbiculos, usque dum duo ultimi chartæ rubellæ in conſpectum venirent, id quod dextra manu peragebat, dum ſiniſtra ſemper orbiculos chartaceos arteriæ apprimebat. Remotis omnibus (exceptis duobus infimis orbiculis chartæ rubellæ, & his proxime incumbente ex charta bibula vulgari confecto, firmiter ſiniſtra manu in ſitu priſtino immotis retentis) dextera eluebat, ope ſyringæ, vino calido totam vulneris cavitatem, quæ ubique recens comparebat & paucam tantum puris quantitatem fundebat.

3.) Recentes orbiculi, ex charta bibula vulgari maſticata parati, iterumque ſpiritu vini rectificatiſſimo, pulvereque ſarcotico imbuti, eodem modo, ac in prima deligatione, applicabantur, reliqua vero cavitas iterum plumaceolis, ſpiritu vini rectificatiſſimo imprægnatis, ſed porro unguento digeſtivo vulgari ſupra indicato obductis, replebatur, & reliqua, ut antea, feliciter peragebantur.

4.) Interea temporis aliquoties quidem levia animi deliquia iterum intercurrebant, ſed pariter ſpiritus odore diſpellebantur.

5.) Facta deligatione, tortile vinculum penitus relaxabatur, & pulſus iterum non, niſi poſt aliquot minuta, naturalis redibat.

6.) Vinculum tortile cum torculari commutabatur, hocque ſub modica tantum adſtrictione applicabatur, ſupra ligaturam

turam & infra eam, ſpiritus vini camphoratus illinebatur, ægrotus in lectum collocabatur &, ut antea, fovebatur.

Reliquam partem quarti diei, noctem inſequutam & quintum diem ægrotus ſatis tranquille tranſigebat absque ullo accidente præternaturali, ut & noctem ſequentem; ſub hac tamen ſomnio profundo ſepultus aliquanto poſt ſubito ſe erigebat & brachium læſum valde extendebat, quia ſibi ſomnianti videbatur a quodam invadi. Vigiles, illico deligationem explorantes, aliquam in faſciis obſervarunt quidem maculam, ſed quum ſanguineum colorem haud referret, fœtoremque potius ſpiraret, certiores reddebantur, eam a transſudante pure tantum ortam eſſe & nil metuendi accidiſſe.

Sexto die, VIII. Auguſti, tertia deligatio inſtituebatur, ſub qua torcular non commutabatur, ſed tantum paullo fortius, non tamen ad plenam usque ſuppreſſionem pulſus in carpo, conſtringebatur, deinde omnia, exceptis iterum tribus infimis orbiculis chartaceis, removebantur, cavitas iterum vino calido ope ſiphonis eluebatur, interea orbiculi chartacei in ſitu relicti arteriæ apprimebantur, & reliqua, ut in ſecunda deligatione, peragebantur, tandemque torcular ad lenem usque conſtrictionis gradum relaxabatur, brachium ſpiritu vini camphorato fovebatur, & ſic hac quoque vice ægrotus optato ſucceſſu lecto committebatur, ejusque cura ordine hactenus conſueto continuabatur.

Hac ſub deligatione nullam plane ſenſit alterationem ægrotus, qui etiam totum hunc diem, ſequentem noctem, ut & ſeptimum diem, cum nocte inſequuta, ordine naturali & absque ullo ſymptomate tranſegit; interea tumor cubiti manuſque etiam plane diſparuit.

Quum

Quum ergo omnia ſecundum naturam fierent, nullum veſtigium alicujus commotionis febrilis ſupereſſet, urina potius juſto tenuior & limpidior compareret, ægroto tunc concedebatur, ut interdum hauſtu cereviſiæ ſe reficeret, interdiu aliquot horas lecto ſe detineret, & unam tantum pulveris temperantis doſin veſperi aſſumeret.

Die octavo, X. Auguſti, quarta deligatio fiebat, eodem modo, ac tertia, niſi quod duo infimi tantum orbiculi chartæ maſticatæ rubellæ in ſitu detinerentur.

Hac ſub deligatione vulnus quidem merum ſanguinem ſtillabat, non tamen arterioſo, ſed venoſo ſimilem & mox, applicato tantum aparatu hactenus conſueto, ſe iterum ſiſtentem, hincque nullum metum periculi incutientem.

Ab hoc tempore recens deligatio quotidie inſtituebatur, & nono die, XI. Auguſti, totum vulnus ab omnibus ſordibus plane mundum, orbiculique chartæ maſticatæ rubellæ primo die applicati penitus mobiles atque ſoluti deprehendebantur. D. MULLNERUS ergo has quoque removebat, digitum regioni, quam occupabant, applicabat, mox tales orbiculos recentes &, ut antea, ſpiritu vini rectificatiſſimo & pulvere ſarcotico impraegnatos ſubſtituebat, reliquamque vulneris cavitatem plumaceolis, ſolo ſpiritu vini rectificatiſſimo madefactis replebat, quo modo etiam deligatio die XII. Auguſti peragebatur. Die ſequente, qui erat dies Solis & undecimus ab operatione facta, vulnus penitus evacuatum curatius examinabamus & ſummo gaudio animadvertebamus, torculari licet penitus relaxato, non ſolum ne unicam guttulam ſanguinis exſtillaſſe, ſed etiam totam arteriam recenti & firma carne obductam eſſe. His obſervatis deligatio quidem, ut antecedens, peragebatur, ſed ægroto concedebatur, fruſtulo aſſatæ carnis vitulinæ appetitui ſatisfacere, pulvis præterea temperans non amplius utilis judicabatur, quemadmodum nec vigilum cura & torcularis applicatio, quæ

cum-

cumprimis perfectæ quieti nocturnæ impedimento erat. Quum ergo totum vulnus mundum & carne firma magis magisque repletum deprehenderetur, ſemper quidem reliqua cavitas orbiculis chartæ maſticatæ, & plumaceolis ſpiritu vini rectificatiſſimo pulvereque ſarcotico imbutis adhuc replebatur, ſed ſimul, pro obtinenda & acceleranda commoda cicatrice, emplaſtris glutinantibus contrahebatur ita, ut ex rotundo vulnere oblongum fieret, & labia ejus propius ad ſe invicem accederent. Præterea, quum ex his circumſtantiis optatis certo conſtaret, non ſolum arteriam læſam carne ſana atque robuſta ſatis munitam, ſed etiam ipſum vulnus ejus conſolidatum eſſe, de die XVII. Aug. cubitus quandoq; leniter extendebatur. Ab eo namque tempore, quo anevryſma notabile incrementum cepit, ægrotus, ad temperandos dolores, ſemper tenebat cubitum flexum, unde muſculus biceps ejusque tendo, tam valide contrahebatur, ut poſtea cubitum libere extendere non amplius potis eſſet; ut autem & hujus muſculi & tendinis ejus relaxatio eo facilius obtineretur, quotidie aliquoties inungebatur ſequens linimentum: Rec. ungu. de althæa, populnei, ana ſeſcunciam, olei petræ rubri drachm. j. miſceantur. Hac itaque ſub directione, aſpirante Divini Numinis gratia, eo res ad votum ceſſit, ut quatuor hebdomadum decurſu & tota vulneris cavitas carne firma ſanaque repleta, & cicatrix eo uſque perducta fuerit, ut ſpatium duos tantum transverſos digitos longum & duas lineas latum relictum eſſet nudum.

Quum ergo vulneratus eo usque reſtitutus eſſet, &, rerum domeſticarum cauſſa, domum redeundi deſiderio flagraret, nullum ſupererat dubium d. III. Septembris voto ipſius ſatisfaciendi, hac tamen addita admonitione, ut ad plenam uſque cicatricis formationem quotidie bis nudam adhuc carnem linteo ſpiritu vini rectificatiſſimo madefacto tegeret, &

emplaſtro defenſivo firmaret, linimentum etiam prædictum continuaret, & leni extenſione cubitum ſæpius exerceret, ipſe autem, quam primum fieri poſſet, huc reverteretur, quia neceſſe adhuc eſſet, ut ligaculum quoddam applicaretur aliquamdiu geſtandum, ad præcavendam arteriæ, ad locum vulneris debilitatæ, ſub gravioribus motibus extenſionem, indeque novam anevryſmatis, vel ſpurii vel veri, productionem.

Brevi poſt cicatrix optime firmata & ſiccata, brachii quoque extenſio æque, ac flexio, penitus libera reddita, & ſic vulneratus in integrum reſtitutus eſt, qui poſt duos demum menſes ad nos rediit, ubi de his propria exploratione certiores facti ſumus. Nihilominus, plenæ ſecuritatis cauſſa, D. MULLNERUS ligaculum ſupra memoratum adaptabat, & eodem modo, quo vena ſecta firmatur faſcia, ſed ſimplici tantum tractu, applicabat ita, ut globulus quidam eidem inhærens exacte reſponderet loco, ubi arteria læſa fuit. Hoc ligaculo per aliquot adhuc menſes, graviores præcipue labores ſuſcipiens, uſus eſt hic vir, qui menſe Februario hujus anni huc regreſſus de curationis perfectione me iterum certiorem fecit.

Plura equidem lubens his adhuc addidiſſem pro uberiori commendatione hujus methodi; ſed quum nundinæ inſtantes ullam remoram non amplius concedant, alia occaſione, DEO volente, eadem exponere & aptis figuris illuſtrare allaborabo.

FINIS.

APPEN-

APPENDIX
AD
VOLUMEN OCTAVUM
ACTORUM
PHYSICO MEDICORUM
ACADEMIÆ CÆSAREÆ LEOPOLDINO-FRANCISCANÆ

NATURÆ CURIOSORUM IN GERMANIA.

CONTENTA APPENDICIS.

I. Dn. D. JOAN. WOLLFG. FRID. BOENNEKEN bigæ caſuum medicorum ἀπὸ τῆς μανίας νοσηματώδεος obſervatorum pag. 1.

II. Dn. D. HENR. AUG. GERLACH de cura cancri in mamma exulcerati poſſibili p. 39.

III. Dn. D. RUDIG. FRID. OVELGUN relatio anatomica ſeu viſum repertum in caſu infandicididii p. 51.

IV. Dn. D. GOTTW. SCHUSTERI commentatiuncula de lue bubulum genus conficiente p. 79.

V. Dn. D. GODOFR. BUCHNERI meditationes de libro, uſum ac præſtantiam numiſmatum in medicina ac ſcientia naturali exhibente, adhuc deſiderato p. 115.

VI. Dn.

VI. Dn. D. J. H. C. H. Mercurii ſophici delarvati ex Philalethæ introitu aperto ad occluſum regis palatium in conſpectum chymiatrorum prodientis Lib. I. p. 122.

VII. Dn. D. JO. PHIL. BREYNII Hiſtoria Muſæ p. 179.

VIII. Dn. D. JO. MITCHELL diſſertatio de principiis botanicorum & zoologorum, deque novo ſtabiliendo naturæ rerum congruo, cum appendice aliquot generum plantarum recens conditorum p. 187.

IX. Memoria WIDMANNIANA pag. 225.

X. Memoria NEUMANNIANA p. 243.

BIGÆ

BIGAE
CASUUM MEDICORUM
ἀπὸ
ΤΗΣ ΜΑΝΙΑΣ ΝΟΣΗΜΑΤΩΔΕΟΣ
OBSERVATORUM
ET
CERTAS OB CIRCUMSTANTIAS, RATIONE CAUSSARUM, SYMPTOMATUM ET CURAE HAUD OPPIDO FREQUENTER OCCURRENTES, DEBITA ATTENTIONE DESIGNATORUM

CUM
EPICRISI
A

JO. WOLFFG. FRIDER. BOENNEKEN,
DOCTORE MEDICO,
SERENISS. PRINC. REGN. DE LOEWENSTEIN-WERTHEIM CONSIL. AUL. ET ARCHIATRO,
ACADEMIAE CAESAR. LEOPOLDINO-CAROLINAE NATUR. CURIOSOR. COLLEGA,
BASSUS II.
DICTO.

LECTOR BENEVOLE!

TRitum quidem, ſed non indiſtincte verum, eſt illud proverbium: *Facile eſt inventis aliquid addere!* Nihil enim, juxta ſapientiſſimi Regis SALOMONIS effatum, ſub ſole datur novi, ergo omne id, quod pro novo venditatur, nihil aliud eſt, quam *additio* ejus ad *inventum* quoddam, antea tali modo vel ratione quod non erat cognitum; hæc vero, inquam, *additio* non ita facilis eſt, ut vulgo creditur nimis indiſcretim, ſiquidem multum ſane involvit; latet enim in noſtro proverbio α.) cognitio exquiſita *inventi*, ut ſciamus, quid, cur id, & non aliud, tandemque cui bono ſit? verbo: RATIO ET EXPERIENTIA; β.) ἡ γνῶσις τοῦ τίνος, quod antea in *invento* nondum ita fuerat animadverſum & exploratum; γ.) rei diu jam cognitæ & perſpectæ uberior confirmatio, & ἀκρίβεια, in quibus ultimis duobus punctis *additionem* proprie conſiſtere, mihi videtur. Quæ cum ita ſint, ſequitur: ut morborum & remediorum adverſus illos cognitio ſucceſſive ex *additione* ad *inventa* ſit oborta; Antiquiſſimis enim temporibus homines aliquid contra morbum tentabant, ejusque effectum diligenter adnotabant, quem, ſi repetito uſu ſæpius præſtaverat, hinc evidens hoc hujus vel illius morbi remedium eſſe concludebant, & poſt hæc demum intimius cau-

ſas, ſeu rationes, cum morbi, tum effectus remedii perſcrutari enitebantur, itaque tractu temporis Medicina theoretico-practica, eademque denique Syſtematica, ê tenebris quaſi eſt eruta, & ſenſim ſenſimque exaſciata. Facili vero veterum & modernorum labore id non eſſe factum inde liquet, cum, quo propius ad medicinæ ortum accedamus, eo difficilius fuiſſe, & majori ægrotantium periculo tentatum, tam *invenire* aliquid, quam *inventis* aliquid *addere*, animadvertimus, id quod Princeps Medicorum HIPPOCRATES ingenue fatetur ſi dicit *Aphor. 1. Sect. I.* ἡ δὲ πεῖρα σφαλερὴ, ἡ δὲ κρίσις χαλεπή. Facilius ê contrario noſtro ævo hoc ſuccedere libenter ex hac concedimus ratione, quia tam ingentem librorum numerum, qui celeberrimorum & expertiſſimorum Medicorum inventis ſcatent, poſſidemus; deinde quia hodie non deficit ſtimulus inquirendi, ut inveniamus, quod majorum noſtrorum *inventis addere*, eaque ſic ſplendidiora & certiora reddere queamus; Pertinet enim cumprimis hic labor ad NUMINIS SUPREMI gloriam, deinde ad ſalutem proximi & Reipublicæ, tandemque ad proprium emolumentum. Et hæc dicta procul dubio rationes ſunt admodum præpollentes maximeque laudabiles, cur Medici in hiſtoriis morborum, uſuque remediorum ac aliis obſervationibus adnotandis, colligendis & in lucem edendis, tam laborioſi & ſolliciti ſint. Omnes vero in unam hanc coeunt rationem, deſiderium nempe haud vituperandum, *inventis* aliquid utile *addendi.* Quæ enim, quæſo ratio fuit, cur tam illuſtres Societates, v. g. Imperialis Naturæ Curioſorum Academia, Petropolitana, Pariſienſis, Anglicana, Berolinenſis, Norimbergenſis & plures, ſunt inſtitutæ? nonne & reliquæ ſic dictæ Univerſitates à Majoribus noſtris ad ſcientiarum artiumque liberalium incrementum ſunt ſancitæ? Et qua in re magis illud conſiſtit, quam id *additione* ſæpius laudata? certe non ſufficit, ſi ibi diſcentes Veterum ſolum inventis imbu-

untur,

untur, ſed potius neceſſe eſt, ut docentes tam invento utile quid antea minus cognitum addere, vel diu jam notum, ſecernendo verum à falſo, certum ab ambiguo, magis confirmare allaborent. Exinde vero eluceſcit, quantum utilitatis ad artium ſcientiarumque augmentum labor illorum conferat, qui indefeſsâ ſolertiâ omnes intendunt nervos, quo inveniant addendum quidquam, vel propria experientia exemplis illuſtrandum. Quis igitur mihi vertet vitio, quod & ego hos binos caſus medicos quotidie non obvenientes, cum curationis methodo, & quidem ope ſpecifici cujusdam remedii, cujus uſus quidem hucusque apud plerosque Medicos vel haud ſatis cognitus, vel plane neglectus fuit, promulgare non dubitem? Stimulo enim vires hujus remedii magis magisque exhauriendi, aliosque Medicos ad idem opus perficiendum impellendi, tandemque invento huic, licet veteri, aliquid, nempe majorem efficaciæ ſuæ confirmationem addendi, ſum incitatus. Quæ pia ſi obtinuero deſideria, contentus ero, nil præterea magis in votis habens, quam ut Lector benevolus ſerena fronte has pagellas accipere, perluſtrare, & æqui bonique conſulere velit.

Vale & mihi fave.

CASUS I.

Cum anno 1732. & ſequentibus annis in Civitate Ducatus Geldriæ *Arnheim* dicta, praxin medicam exercerem, ſingularis hic mihi caſus obvenit: Vocabar nempe die 28. Januarii ejusdem anni ad ruſticum, qui appellabatur *Henrich van de Klap*, & ducentos circiter paſſus ab urbe habitabat; hic pridie morbo quodam laborare cœpit, quem, cum viſerem, ſtatim Icterum eſſe cognoſcebam. Uxor ejus, fœmella tenera, temperamenti chole-

lerico-melancholici, ætatis annum agens circiter quadrageſimum, ſeptimo jam die febre catarrhali benigna erat adflicta, quâ non obſtante, ex amore erga maritum, cujus mortem pro rei domeſticæ & familiæ conditionibus nimis præmaturam, ne eveniret, valde metuebat, è lecto, ut mecum eo diſtinctius de ſtatu morbi mariti & prognoſi ſermonem facere poſſet, egrediebatur, ægrota, inquam, ſudore critico ſeptimo morbi die per totam corporis peripheriam erumpente, madida. Dictis dicendis, & præſcriptis adverſus morbum mariti neceſſariis, me diſcedentem uſque ante portam domus proſequitur, nudis pedibus, nec veſtibus, uti deceret, induta, tempore hyemali auſtero, ubi terra, ad minimum iis in confiniis, nive obducta, intenſumque frigus erat; quam urbanitatem ipſi in hoc ſtatu cum reprehenderam, & periculoſam eſſe prænunciaveram, eamque domum ſuam non ſolum ſed & lectum cito citius ut intraret, juſſeram, abii.

Altera die 29. Januarii rurſus ægrotum ruſticum viſendi cauſâ ad domicilium ejus me contuli, inſcius quid præteritâ die poſt meum diſceſſum contigerit; ſed totam familiam aliosque vicinos copioſiſſimas fundentes lachrymas offendi; hoc inopinatum triſtitiæ ſpectaculum, quid indicet, interroganti mihi reſponderunt: Uxorem ruſtici à meo diſceſſu usque adhuc in deplorabilem inſaniam eſſe delapſam, ita, ut ſine intermiſſione vehementiſſime deliraret. Ad lectum ejus itaque terrore quodammodo perculſus, licet de ejusmodi eventu nonnihil prædixerim, properavi, in quo ægrota ab aliquot hominibus tenebatur, ne exſultaret, & ſequentia in ipſa ægrota apparebant phænomena: Facies ejus tumida & admodum rubicunda erat, oculi pervicaces, feroces, rubentes, ſcintillantes deprehendebantur, lingua arida, pulſus celerrimus & frequens, parvus, cum tendinum ſubſultu, percipiebatur, ægrota ſimul anxia & inquieta erat, quæ omnia conjunctim ſumta *phrenitidem* indicabant. Suaſi itaque venæ ſectionem, ſed hæc non poterat inſtitui, ob nimiam ægrotæ inquietudinem, ideo præſcripſi

medi-

medicamenta temperantia & antiſpaſmodica ex aquis Ceraſ. nigr. fl. Til. Plantag. pulv. polychr. Pelarg. epil. nigr. Tartar. vitriol. Tachen. Nitr. dep. pulv. bezoard. min. Wed. Cinnab. nat. ppt. Syr. acetoſ. citr. de quibus omni bihorio cochlearia ij. ſumenda, deinde, ut alvus de officio ſuo per aliquot dies neglecto moneretur, tres juſſi bibere ſcutellas infuſi theeformis laxantis, pro marito compoſiti ex ſequentibus ſpeciebus, Rhab. Orient. rad. Curcum. Chelid. maj. fol. Senn. ſin. ſtipit. & cort. aurantiorum.

Inſequente die 30. Januarii adſtantes referebant, ægrotam noſtram præterita nocte quodammodo tranquilliorem ſe habuiſſe, nihil autem penitus dormiviſſe; pulſus adhuc celer, frequens & parvus erat, urina involuntario excernebatur. Continuanda ergo heri præſcripta medicamenta.

Die 31. Januarii agrypniam præterita nocte continuaſſe, & delirium circa auroram fuiſſe exacerbatum, intellexi; ægrota, cum illam viſerem, defixis oculis me intuebatur, tandem ſe ſe erigens voce clara, ſed canora tremulaque, ita me alloquebatur: *Gy kunt my niet helpe, i. e. me non poſſe auxilium ipſi adferre!* & hoc plus quam decies repetebat. Præſcripſi pulveres antorgaſticos, in deliriis apud Auctores celebres, ex pulv. epil. nigr. de Gutteta Dn. Mayerne, Specif. ceph. Michael. &c. præbendo ſing. quadrihor. doſ. ad ℈j. vel ʒß. ſed nullum præſtiterunt effectum, ratio, quia cauſa hujus adfectus in primis viis, in acida nempe ſaburra ibi latente, non erat quærenda, idcirco hæc medicamenta, licet famigeratiſſima, cum quoad maximam partem ê terrâ inerti conflata ſint, evidentem & ſalutarem effectum edere non valebant, utpote quæ nec oſcula vaſorum lacteorum, multo minus venularum, chyli ſolum defæcatiſſimi partem reſorbentium, penetrare poſſunt, conf. Tractat. meus vernacula conſcriptus: Von denen Erdhafften Mitteln §. V. Und deſſen Anmerckungen. Lit. O. p. 40. Pro potu ordinario decocto hordei citrato utebatur; urina hodie pauca erat & aquoſa. Ad derivandam ſanguinis verſus caput congeſtio-

ſtionem veſicatoria ad ſuras, ſinapiſmos & rubefacientia ex rad. armoraciæ recenti, fermento, pipere & ſale, compoſita, ut & haleces diſſectas ad plantas pedum applicare permiſi.

Primo Februarii die delirium & omnia augebantur ſymptomata, agrypnia, inquietudo, tremores artuum, ſtridor dentium, alvi ſtrictura, ingens ſitis; largum itaque exhibere juſſi potum decocti hordei citrati, interponendo pulveres ex epil. nigr. & antiſpaſmod. STAHLII cum MP. de Cynogloſſa compoſitos, parva, ſed repetita ſæpius doſi, propinandos, & ad alvum aperiendam denuo infuſo ſupradicto laxante utebatur, ſucceſſit effectus cum aliquali delirii & ſymptomatum mitigatione; poſt meridiem enim hora prima ad ſomnum redibat propenſio, & inſequente nocte magis, quam per totius morbi decurſum, tranquille ſatis dormivit.

Secundo & tertio Februarii die omnia mitiora apparebant, licet nullum criſeos, nec per urinam, ſudorem, aut hæmorrhagiam, nec per alvum, indicium ſeſe manifeſtaverit, pulſus tamen non ita celer, magis vero debilis, ut & adhuc frequens, percipiebatur; circa veſperam tertii Februarii de recuperanda ſanitate valde deſperabat ægrota noſtra, & ex hac ratione anxia totam noctem ſine ſomno tranſegit. Poſtero

quarto Februarii die delirium de novo ita recrudeſcebat, ut adſtantibus vim inferre tentaret, niſi eorum vi retenta, ob defectum virium morbo conſumptarum illis cedere coacta fuiſſet, quod vero cum animadverteret, omnibus adſtantibus amariſſime conviciabatur. Cum advenirem, delirantem noſtram furibundam offendi, quæ ab aliquot hominibus robuſtis in lecto tenebatur; fulgebant oculi, quorum pupilla, quia uvea undique æqualiter retracta, valde dilatata erat, uti in furioſis ordinarie obſervatur; pulſum duriorem, majorem & fortiorem, ſed longe tardiorem, quam antea; percepi, verbo! aſpectus ejus terrorem mihi ipſi incutiebat, quem hæc verba: *De Duyvel zal my 't hoofd vermorſele*, item *de Zatan trekt my den Arm uyt*, i. e. *diabolus caput meum franget*, item *Satanas brachium*

brachium meum à corpore diſcerpit! voce dura & diſtincta prolata, nonnihil adaugebant. Cum vero nec febris, nec æſtus, nec ſitis adeſſet, attonitus ægrotam adſpexi, junior, ſive non niſi per Olympiadis ſpatium medicinæ practicus, quidque conſilii fere neſciebam, meditabundus in magno rei medicæ Oceano fluctuans; tandem vero collectis iterum cogitationibus meis hinc inde diſperſis, ac ponderatis omnibus circumſtantiis in ægrota obſervatis, MANIÆ ſpeciem nunc eſſe morbum judicavi, ideoque ſequens præſcripſi infuſum Theeforme, ex herba anagallidis cum flore puniceo, decantata in ejusmodi deliriis, & herba millefolii, nec non Tincturam refrigerantem PELARGI ſingul. quadrihor. ad gtt. XXXV-XL. Inprimis quoque hoc ſingulare in noſtra ægrota animadvertebam, quod, ſi propius ad lectum ejus accederem, illa haud levi iracundiæ adfectu me intueretur, & niſi retenta, ſummæ illi fuiſſet voluptati, ſi vim mihi inferre ipſi licuiſſet. Hoc phænomenon illud mihi confirmavit, quod legi in VALENTINI *Prax. Med. infall. Sect. 111, p. 228.* ubi dicit: *Maniaci Medicis ſunt infenſiſſimi;* & hoc certe verum eſt, ſiquidem & alia vice Arnhemiæ hoc mihi contigit, cum ruſticus in pago vicino etiam maniacus, catena in pede munitus, forcipe ferrea, qua eo loco ad reponendum lignum ſuper focum uti ſolent, cranium mihi frangere tentabat, ſi illi juxta intentionem ſucceſſiſſet; ſed cum opportuno tempore propoſitum ejus animadvertebam, diſceſſi, & illum poſtea uſu aquæ Selteranæ ſanavi. Conf. huc *Fabric.* HILDANI *Obſerv. med. Cent. IV. Obſ. 8. p. 18.* Imo obſervavit *Olaus* BORRICHIUS, quod delirio melancholico, vel alio ſanati, Medicum ſuum poſtea odio proſequi ſoleant. Vid. *Thom.* BARTHOLINI *Act. Med. Haffn. Vol. IV. Obſ. XLV. p. 148.* Inſequente â 4to ad

5tum Februarii nocte, nihil dormivit, eademque ut heri urgebant ſymptomata, alvus heri depoſuit ſcybala dura, fuſci coloris, hodie denuo ſtricta eſt, ideo adſumſit ſæpius citatum infuſum laxans. Dirus autem & atrox hic adfectus mirum in modum me fe-

cit ſollicitum, & conſilii quærendi cauſa ut celeberrimorum Practicorum libros evoluerem me impulit, licet parum ſolatii apud plerosque invenerim, donec tandem BOECLERI *Cynoſur. Mater. med. Tom. III.* caſu in meas incidit manus, ubi *Part. II. p. m. 870.* ſub titulo: SANGUIS ASINI, ſequentia legi: *Medicum quod concernit uſum, ſanguis aſini multum celebratur in delirio, in melancholia, in mania, in epilepſia, apoplexia, defectu loquelæ, &c.* Sapienti ſat, ajebam, in caſu tam difficili conſilium quærenti! legi ideo & relegi aliquoties dicta verba, deinde & alios Practicorum libros adduxi & an conſentientes invenerim inſpexi, nonnullosque reperi. Cur igitur dubitarem, me ipſum alloquebar, quin tentarem in caſu tam deſperato & extraordinario etiam remedium extraordinarium? probe gnarus triti illius: *Melius eſt in caſu deſperato tentare remedium anceps quam nullum;* licet hoc ipſum remedium nunc mihi anceps haud videretur. Difficillimum autem jam erat iſtum ſanguinem Arnhemiæ adquirere, aſt horis aliquot præterlapſis tandem cura ac ſtudio Pharmacopœi ibi famigerati, Dom. KNOOP, illum accepimus, qui dein juxta præſcriptionem meam ſequentem in modum præparavit medicamentum:

℞. Panni lintei ſangu. aſini imbuti & ſicc. trium digit. & unius digiti longitud. Herb. anagallid. fl. punic. (ob defectum aquæ deſtill. ejusdem herbæ) Manip. ſem. Inf. in aquæ font. fervid. q. ſ. Colat. rec. Uncias iv. D. ad Vitr. S. ſumatur ter de die ſingulis vicibus tertia pars.

Hujus medicamenti hodie hora nona veſpertina prima vice hauriebat ægrota tertiam partem, & inſequente nocte nonnihil dormiebat & ſatis quidem tranquille.

Sexto die Februarii cutis huc usque arida & ſicca jam mollior tactu apparebat, ad madorem quoque diſpoſita, urina cocta ſedimentum fuſcum poſt moram quandam ad fundum vitri deponens, pulſus heſterno æqualis, timida magis & ſpeculabunda videbatur

ægrota,

ægrota, tandemque meticuloſa adſtantes exhortabatur his verbis: *Gy lieden de vvaerelt vergaat.* i. e. *O homines mundus perit!* Interim continuabatur medicamenti heri præſcripti uſus hora ſeptima ante meridiem & tertia poſt meridiem, ut & veſperi hora nona; tuſſiebat hodie ægrota, quod inde ortum eſſe judicabam, quia pridie corpus, præcipue pectus, ſub delirio plus juſto denudaverat. Sequenti nocte licet parum dormiverit, tranquilla tamen & mere ſpeculabunda permanſit.

Poſtero die ſeptimo Februarii urina emittebatur turbida, ejusmodi ſedimentum ut heſterna deponens, ſudor quidem præterita nocte non, copioſus tamen mador prorupit; ut continuetur uſus potiunculæ ſpecificæ, more ſolito, juſſi.

Sequenti octavo Februarii die urina ejusdem ut heſterna conditionis erat, & ſat bene dormivit ægrota, alvus nimis ſtricta aperiebatur uſu infuſi ſæpius memorati laxantis; adſumſit inſuper porro medicamentum ſpecificum. Hodie ante meridiem ſingularis noſtra cum ægrota accidit caſus: Adveniebat enim laniarius, vitulum emendi cauſa, quare ægrota noſtra ſurgebat, cum illo ſtabulum inibat, & vitulum, prout decebat, illi vendebat. Hæc actio licet è voto quoad rem domeſticam ſucceſſerit, tamen laudanda non erat, ſiquidem aëri liberiori ſeſe exponere debebat, & eventus deinde ſane comprobavit, quod conſultius feciſſet, ſi in conclavi ſuo & lecto manſiſſet; cutis enim laxior, porique patuli magis aëris auſteri tactu conſtringebantur, & materies, quæ per emunctoria excerni debuiſſet, retropellebatur; deinde ſimul menti ipſi peregrinæ prorſus & protinus ideæ imprimebantur, hinc duplici ratione hac venditione vituli ad delirii novi acceſſum anſa dabatur, id quod etiam eventus paulo poſt comprobavit; poſt meridiem enim de novo delirare cœpit, & quod fere ridiculum, me ipſius Medicum & ſoſtrum, ſi ſanata eſſet, mihi ſolvendum, quod ad 200. Florenos determinabat, (etſi quinquageſimam horum vix ac ne vix quidem partem poſtea acceperim,) pro objecto habuit; quo tandem

 dem

dem effluxo, adeſſe quendam, vaccam ejus qui vellet occidere, animo effingebat, ad quod prohibendum omnes impendebat vires; duravit vero hoc delirium duntaxat usque ad mediam noctem, ſumto deinde remedio ſpecifico quietior facta eſt.

Altera die Februarii nona in totum ad ſe redibat, & de ſuſurru ac ſtrepitu, quem in capite perſentiſceret, conquerebatur; eaque de re triſtis erat, & remedium adverſus hoc incommodum a me petiebat: pulſus erat naturalis, excepto eo, quod paululum debilis eſſet. Præſcripſi mixturam roborantem cum camphoræ pauxillo, quo medicamento, interpoſito, ſi neceſſitas poſtulabat, laxante infuſo, continuavit usque ad 16. Februarii, interea ſenſim ſenſimque triſtitia quoque evanuit, & ægrota noſtra priſtinam recuperavit cum corporis tum mentis ſanitatem, pro qua conſervanda atque præſervanda, ut venæ ſectio in pede circa æquinoctium vernum proximum inſtituatur, auctor fui, obtemperavit meo conſilio & nunquam per quadriennium illud, quo Arnhemiæ domicilium meum erat conſtitutum, morbo correpta eſt, & anno 1738. quoque in bona ſanitate vixit.

CASUS II.

In hoc anno 1744. menſis Maji die tertio vocabar Werthemiæ hora circiter decima ante meridiem ad piſtorem quendam hujus civitatis, nomine *Jac. Phil. Lange*, cujus uxor, femella ſtaturâ parva, ſed robuſta, temperamento ſanguineo-phlegmatica, ætatis annum agens vigeſimum ſecundum, matrimonii alterum, gravida, & juxta mariti, femellæ ipſius & obſtetricis calculum, partui proxima, licet uterus ſtricte clauſus, nec aliud appropinquantis partus indicium adeſſet, ante aliquot dies eryſipelate faciei cum atrociſſimis capitis doloribus ſtipato, infeſtata, huic adfectui moleſtiſſimo ab incunabulis fere ſubjecta, hora quarta matutina ſubito epilepſia, cum plenaria rationis, viſus & auditus abolitione, correpta

repta eſt; cum ergo eam debita attentione adſpicerem, ſequentia animadvertebam phænomena: Facies ejus rubebat, oculi huc & illuc vagabundi, ſcintillantes, eorum palpebræ ſuperiores retractæ, pupillæ valde dilatatæ apparebant, ſitu erecto ſedebat in lecto, omnesque adſtantes anxie intuebatur, quaſi deſideraret aliquid ab illis, aut quaſi aufugere vellet, ſæpiſſime ex imis cordis penetralibus ingemiſcens. Præterea totus corporis habitus tumidus, leucophlegmaticus, colore pallidus erat. Femina hæc ante aliquot dies aliarum mulierculárum conſilio dextræ manus venam cephalicam inter pollicem & indicem ſecare permiſit. Ante meum adventum jamjam accerſitus erat honoratiſſimus Dom. Collega meus, Dr. ASSUM, Civitatis & Comitatus Phyſicus metitiſſimus, qui clyſterem emollientem & carminativum, ut & miſturam analepticam & temperantem, ex aquis Ceraſ. nig. Flor. Til. Lil. convall. Scorzon. Meliſſ. S. V. Cinnam. cydoniat., Liqu. anodyn. Hoffm. Liqu. C. C. ſuccin. Pulv. epil. March. ſpecif. cephal. Mich. Nitr. dep. Antim. diaph. Syr. acetoſ. Citr. compoſitam, præſcripſerat, cujus cochlearia 2. jamjam ægrota adſumſerat. Pulſum ejus durum, magnum, plenum, & non admodum celerem perſenſi, hinc ob urgentem & turgentem plethoram, deinde ob nimiam verſus caput factam congeſtionem, venæ ſectionem in pede, de qua Doctiſſ. Dom. Collega jam ante adventum meum locutus erat, ſuaſi; aſt impoſſibile erat hanc inſtituere, ob tumorem pedum œdematoſum; ideo ſectionem jugularium venarum propoſuimus, ſed & hæc in ægrota tam inquieta, quæ ne momentum quidem caput quietum tenebat, & ubi ab epilepſiæ inſultu ſub ipſa operatione ſecuri non eramus, non poterat celebrari, nec prius, quam revulſoria aut depletoria præceſſerit, ſuadenda; hinc, cum quilibet noſtrum quid agendum ſit hæſitaret, clyſterem præſcriptum applicandum prius judicabamus, & expectandum ab eo effectum. Poſt meridiem hora prima iterum apud noſtram ægrotam, in priori adhuc ſtatu conſtitutam, conveniebamus; referebant maritus ceterique adſtan-

ſtantes, quod epilepſiam aliquoties ſuſtinuerit, ſingula vice vehementiorem, cum ſpumæ ſanguine tinctæ ex ore protruſione. Enema applicatum operationem ſuam præſtitit; ad venæ ſectionem ergo, quocunque modo fieri poſſit, properandum eſſe cito citius uno affirmabamus ore. Acceſſitus itaque Chirurgus hujus civitatis hac in re verſatiſſimus, & pedes & brachia & collum inſpexit, ubi ſecare venam ſecuriſſimum ſit, tandem brachium dextrum elegit, venamque medianam uno ictu, conſueta ſibi promtitudine, aperuit; ægrota quid ageretur neſciebat, usque dum Chirurgus venam incidebat ſubito perterrefiebat, interim ſanguinis unciæ X. vel XII. detrahebantur. Quo facto, conſentiente æſtimatiſs. Dno. Collega, præſcripſi egregium illud ſæpiusque expertum antiſpaſmodicum & nervinum medicamentum, oleum nempe deſtillatum Cajeput, ejusque guttulas V. cum miſturæ cochl. 1. ſumendas præcepimus, deinde diſceſſimus, expectaturi & venæſectionis & exhibiti medicamenti effectum. Concedente DEO ſalutaris hic fuit; etſi enim aliquoties inſultus epilepticos paſſa ſit, mitiores tamen prioribus fuêre, & hora ſexta veſpertina tandem ex improviſo ſub epilepſiæ paroxyſmo, uterus antea clauſus ſe ſe protinus aperuit, & fœtus feminini ſexus, quoad ſtructuram corporis maturus & bene conformatus, ſed proh dolor! mortuus, inſcia ægrota eſt excluſus; diu tamen e vivis ereptus non fuerat, ſiquidem admodum recens erat, nec ſigna putrefactionis in corpuſculo ejus animadvertimus, in ſecundinis vero, uti obſtetrix referebat, jamjam putredinis indicia quædam ſe ſe manifeſtarunt. Puerpera noſtra nihilominus manſit mente capta, & poſt partum unicum adhuc epilepſiæ paroxyſmum eſt experta; hora nona veſpertina denuo adſumſit Olei Cajeput gutt. v. cum miſturæ cochl. ij. & inſequentem noctem tranquille ſatis tranſegit.

Altera die, quarta nempe Maji, hora circiter quarta matutina, rationis plenarie compos facta eſt, & ſic per 24. horarum interval-

lum ſanæ rationis uſu privata fuerat, aſſurgere & in conclave ſe conferre tentabat, neſciens quid heri ipſi contigerit; mariti vero & adſtantium enarratione, quod pridie ſcilicet puellam mortuam ſit enixa, certior facta, ut & cum lochiorum fluxum ipſa animadverteret, valde mirabatur, ſe cuncta hæc ignorare, poſtea vero tranquille & placide, ut puerperam ſummopere decet, in lecto ſe continuit. Lochia autem minus ſufficienter fluere mihi videbatur, idcirco pilularum polychreſtarum doſin ad ſcrupulum unum veſperi ſumendam commendavi; hac nocte parum quidem dormivit puerpera, ceterum vero quieta.

Quinto Maji die optime valebat noſtra puerpera, & nihil amplius metuebat, hinc & ipſi judicabamus, ſi diæta & regimen, prout puerperæ convenit, obſervaretur, non amplius hic opus eſſe cum Medicis, tum medicamentis; interim pro abſtergendis cruoris in utero hærentibus recrementis & promovendis paululum lochiis, tandemque excretione alvina, (cum a die partus alvum nondum habuerit apertam,) facilitanda, hodie veſperi adſumſit pilul. polychreſt. ſcrupulum. Priusquam vero diſceſſi, conquerebatur puerpera de dolore vulneris ſectione venæ inflicti, quod cum inſpicerem, puſtulas nonnullas miliares albas circa illud eruptas animadverti; hinc marito purpuram adventuram eſſe indicavi, licet jam dum uxor ejus & corpore & mente ſana videretur. Inſequentis vero

Octavi Maji die hora 4ta matutina cito vocatus puerperam noſtram delirantem offendi, facies ejus apparebat pallida, fluxus lochiorum erat parciſſimus, ſed non in totum ſuppreſſus, nil niſi de morte appropinquante loquebatur, multa tamen etiam confuſe, voce clara, multisque exclamationibus proferebat, mirasque faciei, brachiorum, manuumve torſiones & tenſiones faciebat tandem in tremores deſinentes; quæ phænomena adſtantibus terrorem incutiebant, licet veræ convulſiones non eſſent, ſed ſolum

motus

motus ex phantaſia læſa, prout objecti, quod ſibi imaginatione repræſentabat, ratio exigebat, ſponte quaſi excitati, nam magis tales motus producebat, ſi adſtantes de his inter ſe loquebantur, ſiquidem ad omnia exquiſitiſſime attendebat ægrota. Interdum à lecto exultare tentabat, ingentibusque viribus pollebat, pulſus erat celer & frequens, acutus & parvus; purpura, ut heri prædixi, magis magisque erumpebat, præcipue in curvatura brachiorum, circa carpum, metacarpum & in pedibus, circa collum vero, humeros & pectus non admodum copioſe; præſcripſi Emulſionem ex ſequentibus: Rec. Sem. Card. ben. Card. mar. Aqu. deſt. Scorzon. Cichor. Camph. Syr. cap. ven. f. l. a. Emulſ. adde Spir. bezoard. Buſſii, ſumantur ſingulo bihorio cochlearia 2. Remittebat nonnunquam delirium, pro febris vehementiori vel mitiori gradu, ita, ut unâ aut alterâ horâ mentis compos eſſet, erumpente interim purpura rubra albaque interſperſa.

Nono Maji die purpuræ efflorescentia paululum cunctabatur, æſtus tamen & anxietates præcordiorum augebantur, ideo ſequentem præſcripſi miſturam: Rec. Oc. canc. ppt. Acet. vin. ſimpl. efferu. poſtea adde Aqu. deſt. Card. benedict. Scabioſ. Syrup. rub. idæi, Spir. mineral. anodyn. Hoffm. & bezoard. Buſſ. Antim. diaph. non elix. M. D. S. Sing. 3. hor. cochl. 2. poſt hujus mixturæ uſum purpura copioſa ſatis, ſed non excedente numero effloruit, cum inquietudinis & præcordiorum anxietatis levamine, delirium ceſſabat & ægrota inſequente nocte per horas aliquot dormiebat. Somno vero finito multo majori impetu delirium invadebat, & purpura retrocedere videbatur, quod certe a nimia ægrotæ inquietudine & corporis volutatione, hinc liberiori aëris admiſſione ortum fuit; rebus ſic ſtantibus ſequens præſcripſi

decimo Maji die medicamentum, ex Oc. Cancr. ppt. Acet. vin. ſimpl. efferu. poſtea adde Aqu. deſt. Card. bened. Scab. Scord. Antim. diaph. non elix. Extr. Croc. Caſt. Camph. c. pin. ſubact. Liqu. min. anod. Hoffm. Spir. bezoard. Buſſ. Eſſ. Scord. Syr. rub. idæi.

M. D.

M.D.S. ſing. 3. hor. Cochl. 2. Uſu hujus mixturæ purpura retrocedens de novo expellebatur, delirium mitius fiebat; nihil autem dormiebat, urinam & alvum in lectum deponebat.

Undecimo Maji die purpura defloreſcere incipiebat, & ſquamulæ ejus quaſi furfuraceæ hinc & inde decidere, febris fere ceſſabat, pulſus enim naturali haud abſimilis, niſi quodammodo debilior, percipiebatur, & omnia meliora videbantur. Poſt meridiem vero puerpera noſtra, licet quoad aſpectum externum ſanitati proxima appareret, nihilo tamen minus oculorum ejus ſplendor, vultus audax & ferox, ac furioſæ manus, quibus adſtantes arripiebat, & ad ſe trahebat, firmiterque tenebat, contrarium indicabant. Medicamenta adſumere abnuebat, nec perſuaſionibus, neque vi, (quam quidem ſemper prohibui,) cogi poterat, prona enim erat admodum ad iracundiam, & adſtantium officia ipſi præſtita alapis, niſi ſibi proſpiciebant, remunerabat; noctem verſus delirium furioſum augebatur, ita, ut in lecto retineri non potuerit, ſed ex eo proſiliverit, in conclavi nudis pedibus obambulaverit, & mirum in modum ſtulte ſe geſſerit, mox cantans, mox orans, mox ridens, mox moroſe ſe gerens, aliaque proferens:

Die duodecimo Maji, hora nona ante meridiem ſubito ad ſe redire videbatur, actionum ſuarum quoad pauciſſimam partem gnara; pulſus erat naturalis, purpura ſenſim defloreſcebat, & ægrota conſueti eo tempore cutis pruritus ſcalpendo leniendi maximam ſuſcipiebat curam. Gaudium vero hac ægrotæ mutatione in animis ſanguine propinquorum exortum diu non durabat; hora enim quinta poſt meridiem ægrota de ingenti præcordiorum anxietate, dolore capitis, palpitatione cordis, nubecula ob oculos volitante conquerebatur, ſibi tamen exacte præſens erat, pulſus autem magnus & durus; quibus circumſtantiis ponderatis venam ſecare conſultum duxi in pede ſiniſtro (tumor enim œdematoſus ante partum præſens omnis evanuit,) ad uncias X. XII. Poſt venæ ſectio-

nem tranquilla fuit & rationis compos, & ad mediam usque noctem quiete dormivit. Quamprimum vero ſomno expergefacta fuit, de novo delirabat & anxietates enormes ſentiebat, hinc ſæpius profunde ſuſpirabat; cum vero alvus per triduum jam fuerat clauſa, ad illam reſerandam exhibui

die 13tio Maji poſt meridiem pilulas ex Extr. panchym. Croll. Sapon. Alicant. Gumm. ammon. acet. ſcill. ſol. diagryd. ſulph. pro una doſi compoſitas, quæ poſtea quinquies alvum aperuerunt.

Die 14. Maji. Præterita nocte nihil ægrota noſtra dormivit, ſed continuo anxia fuit & ſuſpirioſa, mox ê lecto egreditur, mox iterum in illud ſeſe reclinat, & magno niſu, corporisque vario motu abſurda profert, omnes vero perſonas accedentes probe novit, & cum illis loquitur, licet confuſe admodum, pulſus magnus eſt & fortis, nec æſtus, nec ſitis urget; hodie venæ ſectionem reiteravi in altero pede ad lipothymiam usque, ſucceſſit quoque, multo antea adhibito labore, tamen feliciter; ad uncias xij. - xv. ſanguis extractus in aquam demiſſus, gelatinæ ſeu ſpermatis ranarum ad inſtar concretus, tenaciſſimus, ut valde elongari poſſet, apparebat. Ceſſante, poſt venæſectionem, lipothymia, pulſum celeriorem & paululum minorem quam antea, percipiebam, nihilominus tamen more ſolito delirabat: præſcripſi duos pulveres antiſpaſmodicos, cum aliquot granis Sacchari ſaturni mixtos, quos etiam adſumpſit, ſed omnia incaſſum inſtituebantur. Maritus tandem & parentes uxoris ejus tædioſi fiebant, & à medicamentorum uſu penitus abſtinendum nunc eſſe, & Deo ſolum hoc opus committendum, judicabant, arbitrantes: per totam ægrotæ vitam deſipientiam ejus duraturam, ſiquidem qualibet fere hora magis augeſceret, nec ullum hucusque exhibitum medicamentum deſideratum præſtitiſſet effectum. Verum eſt! res videbatur fere conclamata, augebatur enim delirium ita, ut geſtus & actus abſurdiſſimos produceret, ridiculosque non nunquam faceret ſermones;

v.g.

v. g. mox ſummo cum impetu obſtetricem advocare jubebat, reiteratoque clamore ne cunctarentur, cum periculum eſſet in mora, adſtantes adhortabatur, quo partui iſta ejus proxime excludendo, qui jamjam inſtaret, ſuccurreret; mox genua flectebat, quaſi videret perſonam, cui ſummam deberet reverentiam; mox è contrario hæc femella τυφομανὴς ipſa ab aliis præſentibus ejusmodi humilitatis ac venerationis cultum, ut genua nempe erga illam flecterent, poſtulabat, mox ſanguinem è vena jam diu conſolidata effluere ſibi repræſentabat, mox filium Dei, angelos, diabolum & neſcio quid amplius videbat, mox maritum ejus amplectabatur, firmiterque tenebat, fere uti ἐρωτομανία laborantes ſolent, &c. Cum vero delirium tandem in furorem abiret, ita, ut omnia, quæ in conclavi offendebat, in terram projiceret, & ipſa aliquoties è feneſtra proſilire contenderet, ſuaſi, ut noſtram ægrotam in tenebricoſo conclavi, feneſtra & janua prius probe munitis, omnibusque quibus vim ſibi inferre queat, è medio ſublatis, ſolam includerent, probe memor ejus, quod dixit CELSUS *Lib. III. de re med. Cap. XVIII. p. m. 149. Dari nempe inſaniâ affectos, quorum alium lux, alterum tenebræ magis turbent, tertium nihil harum afficiat; optimum itaque eſſe utrumque experiri, & habere eum, qui tenebras horret, in luce, eum qui lucem, in tenebris; at ubi nullum tale diſcrimen eſt, æger ſi vires habet, loco lucido, ſi non habet, obſcuro continendus.* Conf. *Cæl.* AURELIANI *Tr. de morb. acut. Cap. XV. p. 49.* Huc usque enim in conclavi admodum lucido ſolaribus radiis nimis expoſito, jacuerat, ergo tentandum erat, annon hæc mutatio quidquam ad mitigandum delirium conferre queat. Rebus autem ſic ſtantibus quid porro agendum dubitavi, usque dum reminiſcebar caſus ante recenſiti, cujus hiſtoriam ſtatim in diario meo aliquoties perlegebam, & cum in una & altera circumſtantia analogiam inter utrumque delirium animadverterem, de exhibitione ejusdem remedii cogitabam; expoſui vero prius mentem meam marito uxoris, quod ex hac ratione neceſſarium

 erat,

erat, quia à medicamentorum uſu deſiſtere antea, ut ſupra dixi, decreverat, unde hocce unicum tantum, ut permitterent, illum exhortabar; conſenſit lubentiſſime, hocque facto ſanguinem aſininum adferre curavi, & ſequentem in modum apud Pharmacopolam hujus civitatis peritum, Dn. BEKKER, præſcripſi.

Rec. Panni lint. Sangu. Aſin. imbut. & ſicc. longit. unius digiti, & latitud. trium digitor. Herb. Anagall. fl. punic. pug. 1. Inf. cum aquæ deſt. flor. Til. fervid. Unc. iij. usque dum ſanguis in totum ex linteo panno ſit extractus, tum coletur & D. ad. vitr. S. pro una doſi, ſumatur talis mane & veſperi.

Altero die 15. Maji, hora circiter octava, prima vice hanc doſin multis perſuaſionibus, cereviſiam nempe eſſe, ægrotæ noſtræ dederunt, & veſperi pari modo; ſequentem noctem admodum tranquille tranſegit, & circa matutam diei 16. Maji ſudor erupit, urina quoque excreta eſt fuſci coloris, poſt moram aliqualem ejusmodi ſedimentum deponens; delirat autem adhuc, ſed longe mitiori gradu; adſumſit mane horâ ſeptimâ doſin potiunculæ præſcriptæ tertia vice. Poſt meridiem vero hora quarta ex improviſo in totum ad ſe rediit, & ſanæ rationis uſum recuperavit, in ſummum mariti & parentum gaudium, actionum ſuarum non in totum ignora, Deo Triuni gratias humillimas perſolvens pro clementiſſima ſanitatis & rationis reſtitutione. Licet vero hæc, & mihi jucunda, mutatio in noſtra ægrota contigerit, tamen ea propter nondum ab uſu potiunculæ ſtatim deſiſtendum eſſe judicavi, ſed ad minimum circa hujus diei veſperam, & altero die continuandum; obtemperabat conſilio meo, & doſin veſperi hauriebat, ſequente nocte quiete dormiebat & ſudabat, alteroque die.

17mo Maji bis medicamentum ſumſit, urina hodie heſternæ erat ſimilis. Jam actionibus & ſermonibus noſtra femella, quod in

priſti-

priſtinum ſanitatis ſtatum ſit reſtituta, comprobat; redit appetitus, ſomnus, & propenſio ad ſubeundas res domeſticas, alvus quoque officio ſuo more ſolito reſpondet, &, excepto aliquo laſſitudinis ſenſu, nihil mali ſupereſt.

Die Maji 19no curioſitatis gratia hanc femellam viſitavi, ut certior fierem, num recuperata ejus & mentis, & corporis ſanitas duratura eſſet nec ne? Offendebam illam, præter omnem opinionem circa res domeſticas occupatam, & quam primum me videbat, lætabunda exclamabat: *Deo Maxima ſit laus & gloria, qui & medicamentorum præſcriptionem, & eorum operationem ad ſanitatis & præcipue uſus rationis meæ reſtitutionem clementiſſime cedere juſſit!* Deinde mihi multis verbis pro ſedulo adhibitâ cura & patientia gratias egit. Interrogavi vero eam, utrum temulentiam, vel gravativum capitis dolorem perſentiſceret, aut ſuſurrum vel tinnitum aurium? illa reſpondit, quod præter laſſitudinem aliqualem, non, (nam debilitas non eret ſtricte vocanda) viſusque imbecillitatem, nihil percipiat incommodi. Alvum autem per aliquot dies eſſe ſolito ſtrictiorem; ideo & hiſce incommodis ſequentibus ſuccurrere volui: Rec. Extr. Scord. Cochlear. Centaur. min. Sapon. Alicant. Aloës. Succotr. Gumm. ammon. acet. ſcill. ſol. Sal. polychr. Seignette. M. F. pil. pond. gr. II. D. ad Scat. & ſumantur. Veſp. X. item: Rec. Herb. anagall. fl. punic. Meliſſ. Flor. Stœchad. arab. Aniſ. ſtell. M. C. C. D. S. Thea cephal. de qua ter in die ſcut. 4-5. hauriantur. Poſt meridiem vero, priusquam hæc medicamenta è pharmacopolio obtinuit, menſes ſine ullo incommodo eruperunt & poſtea per aliquot dies, more ipſi ſolito, effluxerunt, ſicque adhuc pancratice vivit.

EPICRISIS.

Enarrata nunc utriusque delirii & circumſtantiarum illud antecedentium, concomitantium & conſequentium hiſtoria, operæ

pretium judicavi, nonnulla momenta paulo accuratius exaſciare & dijudicare. Quæ, ut eo melius eluceſcant, certis ſub quæſtionibus pertractabo. Cuilibet vero, niſi in arte medica hoſpes ſit, conſtat, duplex in praxi clinica animadverti deliriorum genus, *acutum* nempe & *chronicum*, utriusque vero diverſas ſpecies in ſchola medica recenſeri & explanari; exinde ergo omnium hîc prima oritur quæſtio:

I. *Ad quodnam deliriorum genus tam primi quam ſecundi caſus delirium pertinet?*

A. Delirium prioris caſus,

a) ſi ad primum ejus ortum attendimus, accenſendum eſſe deliriis acutis, exinde patet: Morbus ille, cui accidit, uti ex hiſtoria apparet, erat ex acutorum claſſe, febris nempe catarrhalis benigna; deinde ſub ipſo delirio obſervabatur pulſus celerrimus, frequens, parvus, anxietas & inquietudo, lingua arida, ſubſultus tendinum, rubor genarum, ſitis, febris inflammatoria, ut & delirii ipſius, pro gradu febris majori vel minori, vix ſenſibilis remiſſio, ergo παραφροσύνη, ſeu *phrenitis ſymptomatica* mihi audiebat, acutis deliriis adnumeranda. Mutatis vero circumſtantiis allatis, adſcribitur etiam

b.) alteri deliriorum generi, nempe chronicorum; ſublata enim febre & pulſu in majorem & tardiorem, ordinario tamen vegetiorem & fortiorem, mutato, durante nihilominus delirio, imo augeſcente eo, uti in priori caſu evenit, tunc delirium chronicum eſt. Hinc apparet cur utriusque caſus delirium mihi vocatur ἡ μανία νοσηματώδης aut νοσηματική i. e. Mania, ſive inſania, morbum non ut ſymptoma concomitans, nec, quæ ſine prægreſſo morbo ſua ſponte, ſed, quæ ex morbo quodam præcedente, eoque jam ſuperato, oritur.

B. Alterius caſus delirium pari ratione in primo ejus ortu pertinebat

a) ad acutorum genus, ſiquidem puerpera noſtra tempore intermedio poſt partum, usque dum purpura efflorеſcere cœpit, ſibi perfecte conſtabat, nec ullum delirii veſtigium ſeſe manifeſtabat; cum vero morbo exanthematico ſe adſociavit, præcipue in ejus primordio, ſimulque pulſus celer, frequens & acutus, anxietas & inquietudo adfuit, ideo etiam deliriis acutis hoc adnumero; licet priori eſſet mitius, tantus enim non urgebat ardor, nec linguæ ſiccitas, nec faciei rubor, multo minus tendinum ſubſultus, nec ferocia, neque febris inflammatoria, hinc tale erat delirium, quale morbis acutis ſolum familiare ac frequentiſſimum eſt ſymptoma. Poſtea vero quoque

b.) ad chronicorum genus referri meretur, quando exſiccata purpura ſublataque febre, & pulſu antea febrili in magnum, tardum lentumque, qualis in ſubjectis cachecticis & leucophlegmaticis obſervatur, mutato, tamen continuat, imo augeſcit delirium, tunc chronicis accenſendum puto. Nunc quæſtionem alteram

II. *In quibus circumſtantiis deliria recenſitorum caſuum inter ſe erant diſtincta?*

A. ratione cauſæ proximæ:

a.) In priori enim caſu non ſolum præcurrerat mœſtitia, ob morbum mariti ejusque metuendam mortem, ſed &, quod maximum, acceſſu aëris liberioris auſteri hyemalis ad corpus negligenter veſtibus cinctum nudosque pedes, ſudor criticus, ſeptimo febris catarrhalis die jam jam partim eruptus, partim adhuc in extremis arteriolarum cutanearum finibus, cum in intervalla papillarum cutanearum, tum in ipſas papillas deſinentibus, extrorſumque patentibus, hærens, conſtrictione cutis repente prorſus reprimebatur, & ſic materies excernenda denuo per humorum maſſam diffundebatur, imo caput verſus plus juſto ferebatur, id quod partium inferiorum refrigeratio eo magis adauxerat: Qua materiæ morbificæ μετάστασι intra ἐγκέφαλον facta, continuante inſuper majori

jori per arterias carotides, vertebrales & cervicales ſanguinis appulſu, tardoque nimis, & huic minus reſpondente per venas jugulares & vertebrales refluxu, nihil aliud oriri poterat, quam vaſorum cerebri & meningum inflatio, ſanguisque ſtagnatio, & à materia morbifica excrementitia, ſanguini vero denuo miſta, acri, fibrillas nerveas vellicante, inflammatio; hinc læſa mentis ſede, læ-dantur & mentis functiones neceſſe eſt.

b.) Delirium alterius caſus oboriebatur ſub eruptione purpuræ tali modo: Sanguis ante & ſub partu, motibus congeſtoriis ad finem legitimum, fœtus nempe excluſionem, haud adæquatis, imo etiam poſt eum quodammodo lochiis inſufficienter fluentibus, ad caput majori quam par erat quantitate propulſus, ibique in vaſis cerebri & meningum finibusque collectus ac tardius progrediens, liquidi nervei intra medullam cerebri ſecretionem, motum & influxum in fibrillas nerveas reddidit inordinatum, à quibus tamen integre conſervatis maximam partem mentis actio ſenſuumque internorum vigor dependet; conf. ETTMULLERI *Opp. Med. Tom. II. p. m. 769.* BOERHAAVE *Inſt. Med. §. 284. & 286. &c.* HOFFMANNI *Med. Conſult. Tom. V. p. 3. 4.* HALLERI *Præl. Boerhaavii. Tom. II. p. 588.* his vero ita læſis certe oritur confuſa idearum combinatio, & ex hâc confuſa perceptio & tale judicium, ergo delirium; accedit, quod, cum delirium ſub purpuræ efflorescentia urgeret, ſimul maſſæ ſanguineæ materies illa ſubtilis halituoſa, purpuracea, nervoſo ſyſtemati admodum inimica, miſta eſſet. Ex his itaque elucet differentia inter prioris & poſterioris caſus delirium; quorum alterum ex materiæ morbificæ excernendæ μετάςασι, hoc vero ex ſola ſanguinis ante morbum intra caput collecti, poſteaque per accidens materia cum purpuracea mixti, translatione ortum fuit.

B. Differunt deinde deliria hæc vehementiæ gradu:

a.) Licet enim in primo caſu morbus ipſe delirium antecedens benignior eſſet altero, at tamen ipſum delirium atrocius & vehe-

vehementius erat, quam in ſecundo caſu, quod à repente facta μετάςασι materiæ morbificæ ad caput, hinc ab adfectu corporis ſubitò admodum periculoſo in ipſam mentem redundante, ortum eſſe cenſeo.

b.) In altero autem caſu delirium mitius erat 1.) quia tam repentina μετάςασις non præceſſerat; 2.) ante partum venæ ſectio & quidem larga inſtituta erat; 3.) poſt partum quoque lochiorum fluxus tam ſanguinis quantitatem diminuerat, quam congeſtorios motus à capite quodammodo derivaverat, & ſanguinis à capite refluxum ſublevaverat; 4.) quia ſyſtema nervoſum epilepſiâ, quam puerpera ante, ſub, & poſt partum ſuſtinuerat, valde debile factum erat.

C. Differunt etiam ambo deliria ratione morbi.

a.) Morbus enim in caſu priori natura ſua quidem, ut antea dixi, benignior erat altero, ſiquidem febris catarrhalis benigna ſine magno periculo, ſine Medico & medicamentis ſæpe decurrere ſolet, & tamen huic atrocius ſuperveniebat delirium, nempe phrenitis.

b.) Alterius caſus morbus 1.) ex ſua natura & indole longe periculoſior erat, ob materiæ ejus qualitatem admodum nocivam, quæ in corpore animali putredinoſam corruptionem facillime introducere valet, ideoque febris miliaris à celeberrimis Medicinæ Practicus, ut FORESTO, RIVERIO, ETTMULLERO aliisque, morbis malignis, imo peſtilentialibus, accenſeri ſolet, idque multo magis, ſi 2.) in puerpera occurrit, (quibus etiam in hac noſtra civitate Werthemenſi perquam familiaris eſt,) ſiquidem hæ tanquam vulneratæ conſiderandæ, & tractandæ ſunt, teſte JUNCKERO, *in Conſp. Med. theoret. pract.* Maxime igitur veritati illud conſentaneum deprehendi, quod ex EPIPHANII FERDINANDI *Hiſtor. ſeu Caſ. med. in Diſſert. de Purpura puerper. an. 1729. Erfordiæ habita Reſp.* LASIO, *Parte ejus pract. §. 1. p. 9.* allegatur, *grave eſt in*

arte medica infantibus & gravidis mederi, EPIPHAN. FERDINANDUS *l. c. Hiſt. XIII. p. m. 33.* ſeq.; cum concluſione ſequentis tenoris: *non minus grave, ſi non gravius, erit mederi puerperis.* Ex his autem apparet, ſymptoma gravius ſeſe adjunxiſſe morbo benigniori, & levius morbo maligniori, quod παϱάδοξον videtur, cujus vero rationem ex antecedentibus facile potes colligere.

D. Porro differunt ſæpius memorata deliria inter ſe ratione durationis.

a.) In priori caſu enim delirium phreniticum remittente febris impetu vix ſenſibiliter remittebat, ſed eodem fere vehementiæ gradu durabat.

b.) In ſecundo vero caſu remittente febris impetu mentis rediit conſcientia & ejus uſus, more delirii febrium acutarum. Conf. CELSUS *de re med. Lib. III. Cap. XVIII. p. 148.* MERCURIALIS *Med. pract. Lib. 1. cap. XV. p. 76.*

E. Animadvertenda nunc eſt differentia methodi medendi utriusque delirii.

a.) Ratione delirii acuti in priori caſu potiſſimum ſequentes formavi indicationes: 1mo) ut inflammatio cerebri & meningum diſcutiatur, & 2do) diaphoreſis ſubito cohibita & repulſa reſtituatur. Primæ indicationis finem obtinendi gratiâ adhibui, quæ adfluxum humorum motusque congeſtorios a capite derivant, infuſum nempe laxans, reiteratis vicibus adſumendum, & veſicatoria ad ſuras pedum, rubefacientia vero ad plantas eorundem; alterius indicationis finem obtinui medicamentis æſtum maris microcosmici temperantibus, ſanguinem ſpiſſum ſive ſtagnantem diſcutientibus & diluentibus, quibus, diaphoreſin ſimul magis magisque excitare contendebam, licet hæc non è voto ſucceſſit, veruntamen poſt aliquot dierum intervallum inflammatio ſublata eſt & delirium ſopitum. Delirii autem acuti ſecundi caſus curam juxta unicam tantum indicationem inſtituendam eſſe judicavi, ut nempe purpuræ

rubræ

rubræ & albæ placida promoveatur eruptio, id quod feliciſſime obtinui medicamentis ſanguinis nimium orgaſmum temperantibus, & materiæ ſumme agilis & pernicioſæ malignitatem, ne nempe cito citius corpori putredinem inferat, coërcentibus, addito ſimul leni ſtimulo, quo natura ad expulſionem ejus â centro ad peripheriam incitabatur.

b.) Utriusque vero caſus delirium chronicum diverſimode in methodo medendi tractavi. In priori enim caſu venæ ſectionem non celebravimus, 1.) quia iſta femina ob ſummam ejus inquietudinem ad illam non poterat diſponi, niſi ſumma vi illam cogere voluiſſemus, quod quidem, ob ejus ad iracundiam proclivitatem, & metuendas hinc turbas valde noxias, diſſuaſi; 2do.) quia non adeo neceſſariam in tam tenera & enervata femella eam judicavi, juxta monitum *Cælii* AURELIANI, *Tr. de morb. acut. Lib. I. c. X. p. m. 28.* & *Cap. XV. p. m. 47.* ubi in phrenitica paſſione venæ ſectionem intra primam διάτριτον adhibendam eſſe ſequenti tamen cum clauſula, autumat: *ſi vires nempe permittant.* Ideo multo minus in delirio chronico, quod feminæ, morbo antea acuto & ob phrenitidem conjunctam admodum periculoſo debilitatæ, ſuperveniebat, venam ſecare auſus ſum. Alterius vero caſus delirium chronicum vix auferri poſſe, ſi venæſectio omitteretur, putavi, ſiquidem ad lochiorum fluxum nimis præmature ceſſantem, iterum promovendum, mihi erat reſpiciendum, & ægrotæ vires, ætas florida, & humorum abundantia permittebat, ideoque illam bis intra triduum ſecare; & die intermedia laxans aſſumere juſſi. Vid. BOERHAAVE *Aphor. de cogn. & cur. morb.* §. *1127.* Quod, licet artis imperitis ambiguum quodammodo videatur, me talia tentaſſe purpurâ vix defloratâ, ſquamulisque ejus & maculis ſuper cutem adhuc hærentibus, illis tamen ſcire neceſſe eſt, me non fugere illud effatum in praxi medica haud contemnendum CICERONIS *noſtri medici* CELSI, dicentis: *Multa in præcipiti periculo recte fiunt alias omittenda.* loc. cit. p. 150. Rationi itaque ſupra di-

ctæ confidens, inſimulque ægrotæ noſtræ diſpoſitionem conſiderans, omnis venæ ſectionem inſtituendi timor ex mente mea diſceſſit; dixi enim in antecedentibus, habitum corporis noſtræ ægrotæ ante partum tumidum, leucophlegmatico ſimilem fuiſſe, poſt partum vero, licet parum vel nihil ſudaverit, nec magnam urinæ quantitatem emiſerit, nec fluxum lochiorum largum habuerit, neque puſtularum miliarium ingens numerus proruptus ſit, ſenſim tamen ſenſimque eum detumuiſſe. Non equidem negandum eſt, perſpiratione Sanctoriana, & inſequente purpura multum ſuperflui humoris ê corpore deceſſiſſe; ſed & hoc credibile mihi eſt, quod magna, ſi non major, humoris ſeroſi copia in ſuperficie corporis, cute nempe & membrana celluloſa, coacervata, per venulas reſorbentes, ordini arteriarum decreſcentium exacte reſpondentes, reſorpta, dehinc in venas ſanguinisque maſſam infuſa atque miſta ſit; quid igitur mirum, ſi hac ratione ſanguinis quantitas adaucta & ſic plethora orta ſit? quam ſi quis etiam negare vellet, hoc tamen in dubium vocare non poterit, quin materies hæc, quoad maximam partem, excrementitia, ſanguinis maſſæ infuſa ejus effecerit expanſionem, eundem effectum in corpore vivo animali producentem, quem producit ſimplex plethora; hæc enim, prout notiſſimum iam eſt, vaſorum atque cordis extenſionem majorem, hinc horum reactionem in ſanguinem quoque majorem, & deinde ab his, ſi plus juſto diu durant, vaſorum & cordis debilitatem, ſanguinisque difficiliorem & tardiorem circuitum, niſi forte ſufflaminatum, hinc alteratione ejus κράσεως, (id quod cruor emiſſus, ſpermati ranarum vel gelatinæ ſimilis, ſatis ſuperque confirmavit) alios adhuc in corpore noxios producit effectus, non niſi larga & reiterata venæſectione præcavendos; conf. HAMBERGER. *Diſſert. de Venæ ſect. quatenus ſangu. motum mutat;* quemadmodum etiam quævis materies, quæ ſanguinem rarefacit ſive expandit, licet non adſit plethora, tamen eundem in corpore, uti plethora, producit effectum. Et hæc quoque eſt ratio, cur tam ad promo-

vendam

vendam plus juſto tardiorem febrium acutarum exanthematum v. g. varioloſorum, miliarium, &c. eruptionem, quam, ſi ea retrogreſſa ſint, ad illa in corporis peripheriam revocanda, V. S. præ ceteris omnibus conducat & ſuadenda ſit, ſiquidem exinde ſanguinis in corpore oritur rarefactio eosdem in illo producens effectus, uti plethora, hinc pari remedio, venæ ſectione nempe, removenda. Qua de re conf. BALLONIUS *Epid. 1. p. 37.* it. *Lib. II. p. 141. 142.* it. Ej. *Labyrinth. Med. extric. p. 515.* SYDENHAM. *Oper. Med. p. 92. & 122. Nic.* CHESNEAU. *Obſ. Med. Lib. IV. Cap. V. p. 481.* SCHUMACHER. *Diſſert. de nov. meth. præſ. variol. Duisburgi 1729. hab. §. XIV. p. 30.* TRALLES, Tr. *german. de venæ ſect. in Variol.* BURCHARD. *in Epiſt. ad D. D. Tralles Satyr. Siles. Spec. 1. Mantiſſ.* KORTUM *Diſſert. de Exanthem. febr. acut. retrogreſſ. V. Sne reſtit. §. VII. ſequ. Hal.* 1742. *Frid. Gottl.* MULLERI *Diſſert. pererudite elaborata, de V. Snis etiam reiteratæ uſu in febrib. inflammat. imo exanthemat. Argent. 1743. hab. Cap. II. p. 35.* & *Cap. III. §. X. ſeq.* Tandem mihi quoque in mentem veniebat, quod quondam apud MERCURIALEM *Lib. 1. Prax. c. XVI. p. m. 89.* legeram, ubi dicit: *totam curationis vim in mania poſitam eſſe in celeritate Medicorum, & præſertim miſſionis ſanguinis*, quo cum plures celebres Medici conſentiunt; conf. PARACELSUS *Lib. 1. de orig. morb. cap. IV.* CAPIVACCIUS *Meth. med. pract. p. 140.* RIVERIUS *Prax. Med. Lib. I. cap. XIII. p. 30.* HOFFMANN. *Med. rat. ſyſtem. T. IV. p. IV. p. 208.*

F. Supereſt adhuc unica differentia deliriorum, ut chronicorum nempe; non quidem inter ſe (cum quodlibet horum fuerit delirium maniacum,) ſed ſolum in eo, quo unum Medicis audit *delirium idiopathicum*, alterum *ſymptomaticum*; prius, quod absque concurrente morbo, nec præſenti accidit, alterum, quod præſenti ſeſe adſociat; in utroque autem caſu indicavimus, delirium maniacum ſeſe non conjunxiſſe cum morbo, ſed eo jamjam propulſo ortum eſſe, (niſi forſitan, quod puerperium morbus ſit, ſtatuere

 velis,)

velis,) quo reſpectu ſymptomaticum vocari non poteſt, nec tamen idiopathicum mere appellare illud audeam, quia morbus paulo ante delirii acceſſum præceſſerit. Inde ergo potius ut morbi antecedentis conſectarium conſiderandum eſſe utriusque caſus delirium chronicum opinor. Indicatis jam omnibus circumſtantiis, quibus utriusque caſus delirium ab altero differebat, parallelismi eorum explicatio nunc tertiæ quæſtionis erit ſcopus.

III. *In quo tertio conveniebant deliria utriusque caſus, ſiquidem quodlibet horum ſpecifico remedio ſublatum eſt?* Priusquam hanc quæſtionem ſolvam, præmonendum eſt:

1.) Quod mihi ſermo non ſit de deliriis acutis, ſed ſolum de chronicis, quorum unumquodque ſpecifico remedio ablatum eſt. 2.) Quod experientia docente nihil novi ſit, ſi morbus aliquis tranſeat vel terminetur in alium, ſpeciatim vero in Maniam & Melancholiam; conf. *Cæl.* AURELIANUS *l. c. Lib. I. Cap. V. p. 19.* SENNERTUS *Prax. Med. Lib. I. P. II. p. 416.* ETTMULLER. *Opp. Med. T. II. p. 964.* HAGEDORN, *Hiſt. med. phyſ. Cent. I. p. 37.* WINCKLER. *A. N. Cur. Dec. I. An. VI. VII. Obſ. 3.* MICHELOTTUS *A. N. C. Vol. I. Obſ. 102.* BINNINGER, *Obſ. Med. Cent. I. Obſ. 44. Id. Cent. II. Obſ. 46.* SCHENKIUS *Obſ. Med. Lib. I. Obſ. CCLXI. ſeq.* DODONEUS *Obſ. med. cap. X. p. 21.* PLATERUS *Obſ. med. Lib. I. p. 68.* Ex hiſce præmonitis elucet, in quo ambo caſuum recenſitorum deliria maniaca conveniant:

a.) Quod nempe morbum acutum antecedentem ſint ſubſecuta; in primo enim caſu, poſt febrem catarrhalem benignam & phrenitidem, quam ultimam ſæpiſſime in maniam tranſire obſervarunt celeberrimi Medici, teſtantibus HIPPOCRATE, *Cælio* AUREL. ARETÆO, WILLISIO, ETTMULLERO, BLANCARDO, BOERHAAVIO, HOFFMANNO, aliisque; in altero vero caſu poſt febrem miliarem, purpuram ſcilicet rubram & albam.

b.) Alius autem adhuc obſervabatur in utroque delirio maniaco parallelismus, tranſitus nempe ejus in melancholiam; adhibito

bito enim & aſſumto ſecunda vel tertia vice remedio ſpecifico furor in triſtitiam & meticuloſitatem, verbo in delirium mitius, ſeu melancholiam eſt mutatus; quæ adfectuum παραλλαγὴ pariter frequenter in praxi occurrit & obſervatur, & melior eſt, quam ſi melancholia tranſeat in maniam. Conf. *Fabrit.* HILDANUS, *Obſ. med. Cent. IV. obſ. 9. p. 20. Duncan.* LIDDELIUS *Opp. Med. p. 149.* RIVERIUS *Obſ. XXXII.* ETTMULLER *Opp. Med. T. II. p. 964.* WEPFFERI *Obſ. de Aff. Cap. Obſ. LXXXIV. p. 324.* FORESTUS *Obſ. Lib. X. p. 129.* WILLISIUS *Opp. Tr. de Anim. brutor. p. 182.* NENTER. *Fund. Theor. med. T. II. p. 756.* STAHL. *Caſ. Maj. p. 776.* HOFFMANN *Med. rat. ſyſt. T. III. p. 229.* ALBERTI *Juriſpr. Med. T. II. p. 379. Diſſert. mea inaugur. de Melancholia, An. 1728. Erford. hab. §. 19. p. 15.* Nunc ad ultimam me accingo quæſtionem:

IV. *Quid me ad uſum remedii ſpecifici, nempe ſanguinis aſinini, impulit, & quænam in eo latet virtus ſpecifica, cujus ope deliria maniaca ſunt profligata, & rationis ſanæ uſus reſtitutus.*

a.) Ad primum quæſtionis membrum quod attinet, reſpondeo: quod, cum animadverterem, adhibitis remediis ne unguem latum ceſſiſſe malum, ad ſpecificum idcirco, à celeberrimis Medicis laudatum quoddam remedium confugiendum eſſe judicaverim, priusquam malum profundas ageret radices, quo tandem ex inopinato reperto, uti in primo caſu narravi, bona fiducia futuri ſalutaris eventus illud exhibui, licet mihi haud ignotum eſſet, fore, ut multi & artis oſores, & artis periti, qui, etſi ſalutarem effectum præſtaret remedium, tamen illum ab eo ortum eſſe negarent, & famæ meæ maculam adfricare tentarent, quippe quod re vera etiam ita mihi Arnhemiæ contigit; ſed vita, recuperata ægrotæ ſanitas, ejusque propria, ut & Pharmacopœi confeſſio, facti veritatis teſtimonium omni exceptione majus dederunt, & ſane! niſi eadem in noviſſimo caſu adeſſent circumſtantiæ, vix deficerant tales, qui effectum noſtri remedii adhibiti in dubium vocarent & totam morbi hiſtoriam pro fictitiâ venditarent.

b.) Al-

b.) Alterum quæſtionis punctum in eo conſiſtit, ut virtutem ſpecificam ſanguinis aſinini, quantum fieri poteſt, quæ medelam præſtitit, indicarem, cum apud eruditos in genere nihil hodie valeat, quam ſufficiens rerum ratio, in foro autem medico non ſola hæc, ſed ſimul cum experientia cunjuncta; ideo, ut medice procedam, primo rationem efficaciæ noſtri remedii ſpecifici explanare, deinde illam experientia aliorum Medicorum confirmare, neceſſe eſſe arbitror.

1.) Lubentiſſime quidem fateor, me adgredi difficillimum opus & in magnum offenſionis lapidem impingere, ſiquidem nullibi in celeberrimorum Medicorum libris practicis, quos evolvi, rationis ſufficientis, nedum probabilis de efficacia hujus remedii veſtigium deprehendi; *torporem enim aſini ſiſtere furorem maniacum*, juxta ETTMULLERUM *Op. Med. T. II. p. 967.* vel, *quia aſinus eſt animal melancholicum, ergo propter analogiam in mania & melaucholia ejus ſanguinem conducere*, juxta HARTMANNUM *Prax. Chymiatr. Cap. III. p. 49.* (licet non audeam negare, quod ille, qui primus hujus medicamenti vires tentavit, ex hac ratione ægroto illud exhibuerit!) Porro, *quod ſanguis aſini virtute acidum volatile, in maniacorum ſanguine latitans, deſtructiva polleat, qua, microcoſmeter ignitus antea factus, mirum in modum placari poſſit*, juxta DOLÆUM *Encyclopæd. Med. pract. p. 48. tandem ſanguini aſinino ineſſe virtutem ſedativam*, juxta HOFFMANNUM *Med. rat. ſyſtem. p. IV. p. 219.* hæc omnia quæſitam mihi non accenderunt lucem, qua rationem ſufficientem efficaciæ remedii noſtri ſatis perſpecte cognoſcere queam; neque in eo ſufficiens latet ratio, quia aſinus, teſte *Jo. Bapt.* PORTA, *contra atram bilem* (nam veteres maniam & melancholiam a bile atra oriri crediderunt,) *veſcatur herba Aſplenii, vid. Ej. Mag. natural. p. 110.* Licet vero hucusque occaſionem dictum ſanguinem examini chemico ſubjiciendi, ejusque productorum vires & operandi rationem ſingulatim intimius explorandi non habuerim, hoc tamen in genere notum eſt, quod ex omni-

omnibus animalis corporis partibus arte chemica eliciatur phlegma, ſpiritus, oleum empyreumaticum, ſal volatile & parum ſalis fixi, pro modo inſtituendi laborem, unius aut alterius horum plus vel minus, teſtantibus BOERHAAVE, *Elem. Chem. p. II.* HOFFMANNO, *Obſervat. Chym. phyſ.* STAHLIO *Fund. Chym. dogmat. & exper.* NEUMANNO *Præl. Chem. Dygbaana Medic. Exper. p. II.* quæ dictæ partes procul dubio ſanguinem aſininum etiam conſtituunt, hinc ſummam ejus ἐνέργειαν in ſpiritu ejus, oleo & ſale volatili contineri judico. *Sales enim animalium volatiles*, inquit celeberrimus BOERHAAVE, *recepti in cavis vaſorum noſtrorum, ibique acti tam calore vitali, quam impetu ſanguinis circumducti, acri rodente, ſtimulante virtute, quam validiſſime agunt, inprimis in fibrillas irritabiles ſyſtematis nervoſi, quas in motus majores cient, ſimulque humores fundendo, diaphoreſin, ſudores, urinas, ſalivam movent, vid. Ej. Elem. Chem. p. II. p. 369.*, ſimulque ſpiritus & olea animalium corporis quoque partes egregie penetrant, hinc *obſtructiones, præprimis autem cerebri & nervorum reſerant*, teſte JOERDENS, *in Commerc. Lit. Norimb. Ann. 1736. p. 4.* utpote quæ principalem ſive proximam maniæ cauſam conſtituunt, uti ex Anatome hoc morbo defunctorum docemur: Cerebrum enim in his apparet ſiccum, durum, friabile, in ſuo cortice flavum, vaſa turgeſcentia, varicoſa, atro tenaci cruore diſtenta, nervorum origines ſiccæ & interdum excreſcentia quædam ſcirrhoſa, cerebellum flaccidum, vid. BONNETI *ſepulchretum Anat. Tom. I. Lib. I. Sect. VIII. Obſ. I. p. 205. Obſ. VI. p. 209.* WEPFERI *Obſ. Anat. Hiſtor. Apopl. XV. p. 415. Henr. ab* HEER *Obſ. Med. III. p. 45.* BOERHAAVE *Aph. de cogn. & cur. morb. §. 1121.* HOFFMANN. *Med. rat. ſyſt. Tom. IV. Cap. VI. §. V. p. 191.* ACTA MEDICOR. BEROL. *Decad. I. Vol. VII. p. 9. Vol. VIII. p. 52. Dec. II. Vol. III. p. 41. 42.* Et ſane experientia diu jam docuit, quid ſales volatiles, ſpiritus & olea ex regno animali producta decenterque purificata, in affectibus pertinaciſſimis & pro incurabilibus habitis præſtiterint, unicum ſolum oleum animale DIPPELII hic ad-

ducere lubet, in epilepſia cum mentis & ſenſuum etiam extra paroxyſmum alienatione relicta, efficaciſſimum, conf. *Chriſt.* DEMOCRIT. *Vitæ anim. morb. & medic. p. 89. ſeq.* item in melancholia hyſterica motibus convulſivis ſtipata, *conf. Diſſert. Jo.* JUNCKERI *de Medicina quadam efficaci in motibus naturæ exacerbatis, Halæ 1740. habita*, in mania, melancholia & apoplexia, vid. COMMERC. LITER. NORIMB. *Anno 1736. p. 4. 5.* Plures equidem allegare poſſem caſus ſpeciales, de egregia efficacia ſalium volatilium, ſpiritus & oleorum e regno animali arte chemica elicitorum, in morbis chronicis & inveteratis, ſi multus eſſe animum haberem; ſed ex dictis ſatis ſuperque eluceſcere opinor, quod partes in ſanguine aſinino contentæ maxime volatiles, ſive ſalinæ, ſive oleoſæ, eæ ſint, quæ in mania medicatricem edunt effectum, quam ſententiam Jo. M. HOFFMANNUS quoque jamjam tenuiſſe videtur, conf. *Ej. not.* in HARTMANNI *Prax. chymiatr. Lib. II. cap. III. Not. I.* Præterea vero eam ſequentes confirmant rationes: 1.) Quia eundem effectum in corpore præſtitit, quem præſtant ſales animalium volatiles & olea, nempe perſpirationis augmentum & urinæ excretionis turbulentæ cum ſedimento fuſco; 2.) Quia & alia dantur ſubjecta, quæ maniam ſpecifica virtute ſanant, quorum tamen partes maxime volatiles ſunt & oleoſæ, ut v. g. a.) Camphora, cujus uſu maniacum reſtituit *celeberr.* WERLHOFF, *vid. Commerc. Literar. Nor. 1733. p. 221. it. 1735. p. 28. & celeb.* JOERDENS *l. c. Ann. 1736. p. 5.* conf. etiam PARACELSUS *de morb. ament. Tr. II. c. 2.* ubi camphoram tanquam præſentiſſimum in mania remedium commendat, vid. *Diſſert. inaugural. Celeberr. Jo. Adolphi* WEDELII *Anno 1697. Jenæ habita;* DOLÆUS *Encycl. Med. Pract. Cap. III. p. 40. item Diſſert. de ſalut. & noxio Camphoræ & camphorat. uſu, ſub Præſ.* D. JUCH. *aut.* & reſp. MENSHENGEN *Erford. 1737.* BOECLERI *Cynoſ. Mat. med. T. I. p. 618. 619.* NEUMANNI *Prælect. Chem. pag. 666.* plura vide in

ZORNII

ZORNII *Botanologia Medica p. 156. ſeq.* b.) Lapis felleus tigridis maximæ Africanæ, qui aliquoties ad grana XXX. vel XL. datus, maniacis atque inſanientibus mire conducere fertur, uti in *Commerc. Lit. Norimb. ex* SEBÆ *Amſtelod. accurata deſcript. locupletiſſ. rerum naturalium Theſauro* enarratur *Anno 1736. p. 248.* Sed hic aliquis ſequentem in medium adferre poſſet objectionem: Quæ de productis ex animali regno, eorumque efficacia dixerim, vera & comprobata eſſe, ſed ſupereſſe adhuc dubium, an & idem effectus, ejusque cauſa, pari ratione a ſanguine aſinino puro & nondum chemice tractato ſit probabiliter expectandus? Huic autem reſpondeo: Objectionem ad rem nihil facere, nec effectum ab uſu ejus expectatum & obſervatum reddere dubium, ſiquidem factum in aprico eſt, & ſimul experientia aliorum Medicorum comprobatum, quod nempe diverſorum quoque animalium ſanguis cum εὐφορίᾳ in morbis atrocibus, medicamentorum ordinariorum vires eludentibus, uſurpetur, licet ſpecifica ejus virtus & huc uſque, in quo nempe proprie conſiſtat, ſit incognita, tractu vero temporis Medicorum curioſorum induſtria diſtincte forſitan eruenda. Sic legimus v. g. quod ſanguis humanus, cervi, felis, pulli, aliorumque animalium in epilepſia, apoplexia, mania, aphonia, &c. felici cum ſucceſſu adhibitus ſit; vid. PLINIUS *Hiſt. Nat. p. 6·3. 689.* JONSTON *Thaumatogr. Claſſ. X. cap. III. Art. 3.* RANCHINI *Opuſc. Med. p. 479. Jo.* LANGII *Epiſt. med. p. 103.* ETTMULLER *Opp. Med. Tom. I. p. 789.* SITONUS *Miſc. Med. pag. 321. ſequ.* DOLÆUS *Encyclop. Med. Pract. pag. 48. 101. 111.* STAHLII *Prax. med.* a PELARGO *edita p. 309.* Et quis quæſo ſanguis in medicina frequentior & majori cum ægrotantium ſolatio præſcribitur, quam ſanguis hircinus, v. g. contra calculum, pleuritidem, ſanguinem congrumatum a caſu ab alto, &c. Confer RIVERIUM *Prax. p. 218.* MYLII *Antidotarium Med. chym. reform. p. 41.* HELMONTIUM *Tr. pleura fur. §. 32. pag. 396.*

BOECLERUM *mat. med. Tom. II. p. 11. pag. 29.* cui eadem virtus diaphoretica & diuretica attribuitur, quæ ſanguini aſinino, vid. ETTMULLER. *Opp. Med. Tom. I. p. 387. it. Diſſert. med. de ſanguin. Hirc. uſu & praſt. in Med. Erford. 1730.* habita, quæ vero ἐνέργεια, licet non ſemper & ubique intentioni Medici & ægri deſiderio reſpondeat, momente TRILLERO, *Comment. de pleurit. pag. 19. 84.* ſi modo ut plurimum id præſtat, talis naturæ eſſe debet, ut cauſæ morbi adhuc latitanti in corpore, ſive conſiſtat in materia quadam, ſive in motuum perverſa directione, contraria ſit, & vim vitæ ita excitare valeat, ut quod adhuc reſtat materiæ peccantis tam corrigatur, quam motibus congruis & proportionatis expellatur.

2.) Denique experientiam celeberrimorum quorundam Medicorum, qui ſanguine aſinino vel maniam ſanaverunt, vel ad minimum illum pro efficaci remedio habent & ejus uſum commendant, hic in medium adferre fas erit. Primum itaque locum meretur HARTMANNUS, qui in *Praxi chymiatrica pag. 48. ſe fabrum lignarium eo mania laborantem reſtituiſſe* aſſerit; poſt eum ETTMULLERUS, qui in *Oper. Med. T. I. p. 767.* ita ſcribit: *Sanguis aſini, præmiſſis præmittendis, eſt ſpecificum egregium in mania, id quod non tantum* HARTMANNUS *expertus eſt, ſed &* D. MICHAELIS *in aula Altenburgenſi & in multis aliis locis, ubi multos hoc ipſo curavit remedio.* Laudatur etiam noſtrum ſpecificum a *Gabriele* CLAUDERO in *M. N. C. Dec. II. Ao. III. obſ. LXXXIV. p. 186.* & a. b. *Frid.* HOFFMANNO, *in Med. rat. ſyſtem. T. III. p. 583. §. XII.* Huc quoque quadrat allegare illum potum nigrum, *Brunſuicenſem* dictum, ex ſanguine aſini & aceto compoſitum, qui frequentiſſime haud infelici ſucceſſu in mania uſurpatus eſt, quem etiam haud improbat HOFFMANNUS *Med. rat. Syſtem. Tom. IV. cap. VIII. §. 218.* Nec ſilentio præterire poſſum

id, quod b. Dn. D. TIMMERMANN, Profeſſor Academiæ Duysburgenſis, Fautor & amicus meus dum viveret æſtumatiſſimus, ſæpiſſime mihi narravit, de Medico quodam, felici Civitatis Düſſeldorffenſis Practico, D. BOEHMER dicto, illum perplures maniacos & melancholicos ſanguine aſinino ſanaſſe. Plura de hoc ſpecifico invenies in SENNERTI *Prax. Med. Lib. I. p. II. cap. XV. pag. 421.* BECCHERI *Parnaſſ. Med. pag. 37.* DOLÆI *Enc.* BURNET *Theſ. Med. Pr. pag. 262.* BIERLING *Theſ. Med. Pr. pag. 1041.* WEINHARDT *Nucl. univ. Med. Pract. P. I. pag. 81.* BOECLER *l. c. T. III,* NENTERI *Fund. Theor. & Pr. med. T. II. pag. 787.* JUNCKERI *Conſp. Therap. gen. p. 502.*

Dicta autem hæc jam ſufficiant de virtute ſpecifica ſanguinis aſinini contra maniam; ſupereſt ſolum id unicum, ut hoc a me avertam præjudicium, quaſi crederem, quod remedium hoc ſpecificum indiſcretim qualemcunque maniam, ex quacunque cauſa ortam, vel inveteratam, idiopathicam vel ſymptomaticam, vel etiam τὴν νοσηματικήν profligare valeat, cum ejusmodi medicamentum infallibile, ſeu panaceam cum *Gerh.* GORIS *in med. contemta* p. 54. dari haud mihi perſuadeam, & ratio & experientia doceat, quod etiam uſum & effectum probatiſſimorum medicamentorum minima morbi circumſtantia variare poſſit ac ſoleat, cui infirmitati procul dubio etiam noſtrum ſpecificum obnoxium eſt, ſicuti teſtatur celeberr. STAHLIUS *Prax. a Pelargo edit.* §. 41. p. 1312., qui illud ſine effectu ſalutari adhibere vidit; quæ vero obſervatio ejus efficaciam ſpecificam ſæpius laudatam minime gentium tollit, cum culpa non in medicina, ſed potius vel in morbi natura, in ægro, vel in ipſo Medico ſit quærenda, quare, ſi quis hoc medicamentum in uſum trahere apud animum conſtituit, ſemper regulam a celeberr. Medicis, ratione uſus ſpecificorum præſcriptam, ut nempe præmiſſis præmittendis & conjunctis conjun-

gendis debito modo exhibeantur, curæ cordique habeat neceſſe eſt; conf. ETMULLERUS *l. c.* STAHLIUS *Diſſert. de remed. alterant. & ſpecif. Cap. II. p. 32.* HOFFMANN *Med. rat. ſyſt. T. II. cap. II. §. XIII. Schol. p. 24. & T. IV. p. IV. cap. VIII. §. XIX. p. 218.* JUNCKER *Conſp. Therap. gener. Tab. XX. p. 505.* Ceterum vero omnes artem *ἰατρικήν* exercentes exhortor, ut etiam cum ſpecifico noſtro data occaſione experimenta facere eaque deinde in lucem edere haud intermittant. Interim DEO TER OPTIMO TERQUE MAXIMO humillimas devotiſſimasque perſolvo grates, quod hucusque conatibus meis clementiſſime adſiſtere voluerit, quos ut impoſterum inprimis in SUI NOMINIS GLORIAM deinde in conſervandam SERENISSIMI PRINCIPIS, DOMINI MEI CLEMENTISSIMI, ſanitatem & multorum ægrotantium ſalutem, ad ſanctiſſimum ſuum nutum dirigere velit, eſt quod ardentiſſimis exoro precibus.

DE
CURA CANCRI
IN
MAMMA
EXULCERATI, POSSIBILI,
EXULANTE CHIRURGICA OPERATIONE,

DISSERIT

HENR. AUGUST. GERLACH,

PHILOS. ET MEDICIN. DOCTOR, ACADEM.
IMPERIAL. NAT. CURIOSOR. COLLEGA
ET PRACTICUS
HAMBURGENSIS.

AD LECTOREM.

Pauca tantummodo præfari liceat. Quid ſentio, absque ambagibus proponam. Artem ſalutarem exercentibus eſt nulla dies ſine linea. Offendunt quotidie objecta, quibus inhærere poſſunt. Admiranda corporis humani ſtructura dat Medicis ſemper negotium. Ad ſtatum ſanum cujusvis partis intelligendum, requiritur tempus, opera. Morboſus ex priori cognitus, non minores faceſſit labores. Plura occurrunt, ubi Medicorum conamina votis non ſemper reſpondent. Num inde arti ſalutari opprobrium? neutiquam. Quicquid experientia & ratiociniis excolendum venit, ad gradum perfectiorem ducitur. Nulla hic excluditur Scientia, neque Medicina. Indagandum eſt. Multa noſcit ætas præſens, quæ tempora priſca ignorabant. Solertiæ fines nulli ſunt ponendi. Proſtant caſus, experimenta, conamina, ratiocinia indefeſſe poſcentes. Cancer exulceratus primum hic fere occupat locum. Morbus, qui Medicorum celeberrimos fatigavit. Num dictatoria fronte pro incurabili habendus? Vix conſentio. Quid remediorum nobis deeſt, habitura erit Poſteritas. Interim non abhorreant, quibus facultas eſt indagandi. De communi commodo, de hominum reſtituenda ſanitate agitur. Id, ad quod Medicorum quivis ſuum conferre poteſt, & debet. BAGLIVIUS, vir lectu digniſſimus, conſentit. In Operibus ſuis (*) omnes admonet Medicos, ut de novis methodis & medicamentis cogitaſſent, quibus morbi vulgo *incurabiles* dicti, ſanarentur. Et ego pauca conſcripſi. Diſſero de cura poſſibili. Quid origine mali conſide-

(*) Prax. Med. Lib. II. Cap. VII.

ſiderata, ſtructura partis læſæ examinata, mihi bonum fuit viſum, poſſibile, expono. Scopus præfixus eſt detegenda veritas, medela extra ferrum invenienda.

Valeant lecturi.

§. I.

Duo notantur in corpore humano, vis motrix & materies. Materiem conſtituunt ſolida & fluida. Per utraque vis activa corporis cognoſcitur. Quicquid corpori humano accidit, per motum fieri debet (a). Corpora agunt (b). Illorum actiones fundatæ ſunt in viribus. Corporum vires determinata magnitudine gradus ſe exſerunt. Hinc quoque actiones ſecundum gradus determinantur. Ubi actio, ibi reactio. Materies vi elaſtica prædita eſt. Si movetur, reagit & priſtinum ſtatum recuperare annititur. Ubi omnia gradu determinato fiunt, ibi actiones ad regulas motus peraguntur. Regulæ vero pro norma ſunt, juxta quam vis corporum paſſiva & activa in conflictu modificatur. Corpus humanum conſtat ex partibus. Pars quælibet agit, ubique actiones ſecundum gradus determinantur. Nulla autem deprehenditur actio, quæ ad certum non tendat finem. Cujus entis partes ob finem

(a) Audiatur *Fridericus* HOFFMANNUS: *Sicut nullius corporis, omniumque maxime humani, productio, conſervatio, auctio, vel etiam deſtructio, corruptio, imminutio aut reparatio, ſine motu fieri nequit; ita quoque vita, ſanitas, morborum productio, eorundem curatio, mortis quoque geneſis, ſine motu nec fit, nec intelligi poteſt.* Med. ration. ſyſt. Tom. I. Cap. VIII. §. 9.

(b) In corpore humano, ut ente compoſito, adeſt motus totius & partium. Patet ex Ontologicis. Motus eſt mutatio loci. Corpus humanum gaudet loci mutatione in toto & partibus. Mutatio dicitur actio. Ubi actio, ibi conatus agendi, qui vocatur vis. Adſunt actiones ergo & vis motrix. Conf. Dr. GROSSE *Tractat. philoſoph. medic. de vero medicinæ principio.*

nem agentes, effectum producunt certum, moventur ad regulas motus. Actio hic nulla per ſe ſubſiſtit. Altera in altera eſt fundata, ſi omnes ſibi reſpondent, finis communis obtinetur, qui eſt ſtatus corporis humani naturalis ſanus. Quæ dicta ſi non obtinent, evadit ſtatus præternaturalis, morboſus.

§. II.

Mamma eſt pars corporis humani. Illius actiones tendunt ad finem, qui eſt lactis ſecretio. Nutritio & ſecretio, quæ in corpore humano fiunt, ſunt res miratu dignæ. Ad utraque perficienda ſtructura hominis tam mire fabricata eſt. Partium conſtructione illarumve compoſitione & actionibus Medicus in morbis dijudicandis ſuperſedere nequit. Mamma tam diro morbo, ut cancer, ſubjecta, ad uſus & ornamentum magnifice eſt exſtructa. Medicorum plures de illius ſtructura egerunt (c). Immortalis BOERHAAVE, quæ de mamma dicenda ſunt, bene brevibus exponit (d). Inter eruditos movit mamma lites. Medicorum maxima pars, qui glanduloſam mammis attribuunt ſubſtantiam. Ab ipſo HIPPOCRATE mammæ *glandulæ in pectoribus* vocantur. Eandem ſententiam fovent SPIGELIUS, VESALIUS, RIOLANUS, VERHEYEN, NUKIUS, MALPIGHIUS, alii. Injectio ars illa pulchra, genus vaſculoſum in humani corporis partibus majori ex

(c) NUKIUS, VERHEYEN, BARTHOLINUS, CRELLIUS de mammarum fabrica.

(d) *Mammæ* ait, *in loco libero, ſola pinguedine, & facile dilatibili cute, tectæ, recipientes arterias externas ab axillaribus, internas a ſubclaviis deorſum demiſſas in thoracem per intercoſtalia & ſterni loca egreſſas, mammis comiſſas, epigaſtricis communicantes, inde in miras contorſionum ſpiras nodulosque abeunt, tandem lactiferos tubos recta emittunt exiguos, qui uniti majores, tandem vaſa lactifera majora, latiora, in anguſtum deſinentia, atque arctiſſima fiſtula in papilla exeunt, ita tamen, ut ex arteriis per lactifera in papillam, ab hac per galactofera in arterias ſit itus & reditus.* Conf. Inſt. med. §. 688.

ri expoſuit luci, cum glandularum detrimento. Ubique vaſcula pronunciat RUYSCHIUS, nec mammæ glandulas concedit (e). *Nullas*, inquit, *reperio naturaliter glandulas ita decantatas in mamma, & ſubſtantia ejus neutiquam glanduloſa, ſed vero talis, qualis non datur in toto corpore, præterquam quod aliquam analogiam habeat cum paraſtatis humanis, ſcilicet, tenaciſſima, albiſſima & neutiquam evolvenda; rotundæ autem particulæ, quæ in mammis reperiuntur, mera eſt pinguedo.* Idea RUYSCHII de vaſis in quavis parte corporis locum habet, forſitan quoque in mamma. Glanduloſam tamen vocamus. Sit, nec ne, utraque tamen ſententia origini explicandæ morbi inſervit.

§. III.

Statum morboſum partis cujusdam nemo intelligit, niſi cui ſanus eſt cognitus (f). In mamma adſunt glandulæ. Glandula eſt folliculus cavus, ubi omnis generis vaſa deprehenduntur. In cavo folliculi arteriarum extrema ſe colligunt, ſecernunt liquorem. Quod ſecernitur, aut per emiſſaria ad locum ducitur deſtinatum, aut per venas reſorbetur. Retinetur tamen liquor in folliculo ad tempus. Secretus certis inſervit uſibus (g).

f 2 §. IV.

(e) Leg. Epiſt. Probl. XV. Theſaur. anatom. III. IV. VI. Epiſt. ad Boerhaav.

(f) Cauſas, qui recte novit perfectæ ſanitatis, ille, quoties hæ deficiunt, egregie ipſius defectus, id eſt, morbi originem rationemque comprehendit. Qui autem cauſam ægritudinis proximam clariſſime videt, maxime is idoneus, qui ei occurrat, eſt habendus. BOERHAAVE in *Orat. de uſu ratiocinii mechanici in medicina.*

(g) Ideam de glandulis illarumve negotio ſatis pulchre deſcripſit *van* SVIETEN, vir eruditione & in medendo dexteritate clariſſimus. Deſcriptio locum hic meretur: *Scirrhi propria ſedes*, inquit Vir doctiſſimus, *glandula videtur eſſe, ſive folliculus cavus, cujus latera omnis generis vaſa conſtant, & in cujus cavum arteriolarum minimarum oſcula biantia, ſingulare liquidum deponunt,*

§. IV.

Humores ſecretioni inſervientes varios in modos per vaſa ducuntur, premuntur, applicantur, rotantur, attenuantur, ſecernuntur, colliguntur (h). Quicquid liquidum, in glandularum cavis collectum, coagulare, inſpiſſare, exſiccare poteſt, reddit illud immeabile. Per emiſſaria exire nequit, generat ſcirrhum. Plures adſunt cauſæ, quibus hoc malum oriri poteſt (i). Si liquidum ſtagnat coagulatum, immeabile, diſtendit folliculum. Omnis generis vero vaſa deprehenduntur. Craſſum illud, cavum diſtendens, vaſa comprimit, compreſſa faciunt tumorem, hinc ſcirrhus. Omnis ſenſatio a nervis originem ducit. Inter vaſa, quæ ad folliculum inveniuntur, dantur quoque nervi, & hi premuntur, qua preſſione ſenſatio loco huic adimitur, inde doloris in ſcirrho abſentia.

§. V.

ponunt, arterioſa fabrica a ſanguine allato, ad glandulam ſecretum, per glandulæ deinde emiſſarium collectum, in ejus cavo liquidum exit, variosque uſus in diverſis corporis locis præſtat. Simplices tales glandulæ plurimæ ſunt, quæ collectum in ſuis cavis liquidum verſus cutis exteriora, vel in ſuperficies membranarum eructant. Si vero plurimi folliculi ſimul adunati concipiantur, quorum emiſſaria omnia in unum canalem majorem abeunt, qui collectum ſic liquidum in ſingulares uſus defert, tunc glandularum harum congeries, una communi membrana veſtita, & in unum commune emiſſarium deſinens, vocatur glandula compoſita. In Commentariis ad Aphoriſmos Herm. BOERHAAVE, Tom. I.

(h) Legantur §. §. 244. 245. 246. *Inſt. med.* BOERHAAVE.

(i) In aphoriſmis de cognoſcendis & curandis morbis BOERHAAVE nominat ſequentia: Lac ſtagnans caſeoſum, dureſcens, coagulatum: contuſio: attritus validus: anthrax: Bubo: ulcus præmature clauſum: materies atrabiliaria ſanguinis, biliſve maxime ceſſante conſueto menſtruo, vel hæmorrhoidali fluxu: lapideſcens, craſſa, auſtera materies: vita triſtis: victus durus: hæreditaria labes. *Aph.* 485.

§. V.

Materia ad generandum ſcirrhum, quacunque demum de cauſâ orta, in cavo hæret, extra vaſa, inde pro ratione humorum ad tempus longum poteſt tolerari, absque damno corporis notabili. Si homo, cætera, vegetus eſt. Degenerari tamen poteſt. Aut acrimonia, aut victus, aut vis externa hic ſcenam ludunt, aut motus vitalis nimium auctus. Vix ſemper hominis eſt cuncta evitare, quin motus in vaſis non augeatur. Motu auctiore fluida majori vi impelluntur, vaſa obſtruuntur, oritur inflammatio. Quodſi in vaſis circa ſcirrhi ſubſtantiam facillime margines inflammari poſſunt, inflammatis ſcirrhus evadit malignus, oritur cancer (k).

§. VI.

Materia degenerata, inflammatione acceſſa, concretum illud malignum cancroſum tumet, rubet, per vices in imo tumore lancinantes ſentiuntur dolores. Dicta augentur, propullulat apex, diſtenditur cutis, rumpitur, effluit ſanies acris tenuis, ichor, adeſt cancer exulceratus. Progreſſum optime deſcripſit BOERHAAVE: *Vaſa ſana, circa margines cancri vi fluentis vitalis liquidi attrita, rumpuntur, hinc putredo fœtida, cadaveroſa, ambientia rodens, vicina exedens, progreſſus in ambitum & in profundum ad partes vicinas emittendo undique radices malignas, quibus tenet fortiter, labia tumida, retorrida, horrenda, dolor intolerabilis, urens, pungens, rodens, color cineritius, lividus, niger, cancri occulti ad glandulas communicantes*, &c. (l).

f 3 §. VII.

(k) Confer. Aphoriſm. Boerhaav. 492.

(l) vid. Aphoriſm. 499. Legi quoque merentur celeber. ELLERI *Obſervationes medicæ & chirurgicæ in Noſocomio Berolinenſi de la Charité dicto, annotatæ.*

§. VII.

Liquidum, quod in vaſis ſtagnat, aut reſolvitur, aut ſuppuratur, aut in gangrænam abit, aut fit tumor durus, indolens. In tumore cancroſo reſolutio nullum habet locum. In reſolutione, quod ſtagnat, redditur meabile, ducitur vi activa corporis in circulum ſine corruptione. Reſolutionem vis vitæ peragit. Per fluida circulantia applicatur. Stagnans ſcirrhoſum, cancroſum extra circulum eſt, hinc nulla reſolutio. Suppuratio quoque nulla. Liquidum ſtagnans, ſuppuratione bene procedente, mutatur vi arteriarum cum extremis vaſorum obſtructorum in pulticulam homogeneam inſulſam, albam, & dicitur *pus:* Hic vero exulat vis arteriarum materiæ cancroſæ applicanda, in coagulatam agere nequit. Ruptis integumentis acceſſu aëris & partium viventium calore, oritur putredo, fœtorem ſpirans abominabilem. Per & circa hoc corpus putridum vaſa currunt viva. Advehuntur liquida nova, alluentia aut ſtagnant, aut ruptis vaſis effluunt, ſemper putreſcunt, inde ſanies illa acris, fœdida, rodens (m).

§. VIII.

(m) In diverſas abeunt ſententias auctores, cur cancer non in ulcus aut gangrænam convertatur? Quid *Fr.* HOFFMANNUS ſenſit hac de re, adducere liceat: ***Sanguis motu ſuo privatus in anguſtis meatibus non aliam, quam ſphaceloſo putredinoſam alcalinæ indolis corruptionem induit, lac vero & lympha ſubſiſtens in corruptionem potius acidam & corrodentem abit, quæ dum putredini quodammodo*** reſiſtit, ***fieri ſolet, ut non tam ſubito, ſed per eximiam ſæpe moram putrida conſumptio ſerpat, parteſque vicinas erodat, & exulceret.*** Medic. ration. ſyſt. Tom. IV. Part. V. Nos ita: Materia degenerata, acre ortum augetur, ruptis integumentis acceſſu aëris, præſente calore partium vivarum, oritur putredo. Omnis generis vaſa circa materiam cancroſam inveniuntur, ipſamque permeant. Suppuratio fieri nequit, nervi ab acri illo irritantur, tenduntur, ſtillant majorem copiam ſeri tenuis, acris. Confirmat hoc BOERHAAVE: ***Nervi tenſi puncti, vel dimidiato diſciſſi aliquando obtuſos dolores, nonnunquam vivos excitant, primo loco vulneris, poſt per omnes nervos nexos, vicinosque; hinc calores, tumores***

§. VIII.

Methodos medendi, quas natura imitandas docuit ipſa, cancer ſpernit exulceratus. Incaſſum eſt, quicquid hac ratione tentatur. Mali hujus vehementiam HIPPOCRATES cernens, curaturos ne quid audeant, monet (n). Inanes fuerunt celeberrimorum Medicorum conatus, hinc ferrum in auxilium vocarunt, inde exſtirpatio. Non ſemper tamen ex voto reſpondet (o). Medela interim neceſſaria.

§. IX.

Exſtirpationis incommoda, dolores, corporis imperfectionem parte quadam amiſſa Medicorum celebres cernentes, ut cancer absque ferro medicaminibus tollatur, dederunt operam (p). Forſitan

mores &c. inflammationem, inflammati aperturam cum evacuatione acris tenuis & copioſiſſimi ſæpe ſeri; Aphorism. 163. van SVIETEN loc. cit.

(n) Sect. IV. aphorism. 38.

(o) vid. Commentar. ſic dictus ſpurius in aphor. *Herm.* BOERHAAVE P. II. p. 257. ubi ſequentia referuntur: *Duos caſus in nobilibus hujus reipublicæ Matronis vidi. Uni cancer erat in mamma, quæ Lugdunum Batavorum venerat, ad exſtirpationem ſuſtinendam. Re vero examinata, etiam in altera mamma cancer deprehendebatur. Hinc illi exſtirpatio fuit diſuaſa, ſed tamen eam fieri voluit. Feliciter quidem facta, ſanatæ fuit, aſt anno elapſo, rediit exſtirpationem alterius mammæ expetens, diſſuaſum fuit, voluit tamen, facta eſt, ſed paulo poſt cancrum in ſubaxillaribus glandulis & utero, priori atrociorem fuit perpeſſa.* Conferantur quoque Celeberr. ELLER l. cit. *Fr.* HOFFMANNUS *Med. rat. l. c.*

(p) Olea quibusdam in deliciis fuerunt. AGRICOLA in *Commentar. in* POPPIUM magnis laudibus extollit oleum antimonii & mercurii. SENNERTUS in *Praxi med. l. IV.* deſcriptionem pulveris cujusdam com-

Forſitan non omnium conatus irritus fuit. Fides hiſtorica rejici nequit. Teſtatur HELMONTIUS plures a malo hoc deteſtabili fuiſſe liberatos, exulante chirurgica operatione (q). Num impoſſibile? neutiquam. Dantur in præſenti remedia, venerandæ antiquitati medicæ nunquam cognita. Ex quo tempore chemia magis magisque fuit exculta, magnarum virium medicamina, arte, judicio, igne reperta, applicata, probata fuerunt. Exemplo ſit mercurius. Scientiarum genera quæcunque capiunt incrementa. Comprobant hoc conſcripta illorum fata. Ars ſalutaris non excluditur (r). Augetur ſcientia de die in diem. Comes Medicorum eſt induſtria, obſervatio, ratiocinium.

§. X.

communicat, quo Medicus contra cancrum non minori cum fama & lucro fuit uſus. WEDELIUS in *Diſſertatione de Cancro mammarum* balſamum antimonii *Baſil. Valentini* magni facit. HARTMANNUS ſpiritum fuliginis: HILDANUS unguentum e ranis viridibus aliis præfert medicaminibus. De ſpecificis, quæ KORTHOLT deprædicat, legantur *Annales medic. phyſic. Wratislav. Tent. VI.* Quid WELSCHIUS ſuadet, exhibent *Ephemerides Nat. Cur. Dec. I. Ann. IV. & V.*

(q) HELMONTIUS, vir nugas, impotentiam ſcholarum in medendo optime intelligens, in *Cap. de ideis morboſis* hæc refert: *Vir quidam, meis diebus in tractu Juliacenſi cancrum unum quemlibet ſanabat, inſperſo pulvere indolente, atque dum demum emplaſtro incarnante ſolidabat, cujus ars ſecum ſepulta eſt.*

(r) De Therapia conferatur SCHULZII Compendium hiſtoriæ medicinæ, ubi medendi methodus gentis Egyptiacæ, Græcæ & Romanæ deſcribitur. Artis chemicæ hiſtoria in *Elementis Chemiæ* BOERHAAVII legitur T. I. Quod Anatomen ſpectat, ſpecimina duo a clariſſimo SCHULZIO de hiſtoria Anatomes exhibita huc referri merentur.

§. X.

Una plures cancri exulcerati exiſtunt cauſæ. Cura itaque difficilis, difficillima. Ubique morbus deteſtabilis. Sanies ichoroſa, graviter olens, tranſudans, dolor intolerabilis, labia livida inverſa, vicinarum partium exeſio, materies atrabilaria ſanguinis copioſa, morbum reddunt deſperatum. Non in omni cancro materies in ſanguine præexiſtit. Cauſæ ſunt diverſæ, hinc non omnis ſpes curationis abjicienda. Quod ſtagnat in cavo folliculi liquidum, ſcirrho dat originem. Materia tempore acris fieri poteſt. Aucta acrimonia, malum augetur, malo aucto, deteſtabilis oritur morbus. Liquida deſtruunt ſolida. Aſt quod acre eſt, quod ſcirrhum in cancrum mutat, per medicamina corrigi poteſt (s). Vis activa corporis adjuvat, ſic deſperatiſſimi morbi, qui acrimoniam in humoribus pro origine habent, tolluntur. Fluida correcta non ſufficiunt, plura requiruntur. Recte judicat *van* SVIETEN: *Nunquam ſuperabile videtur hoc malum, niſi mortuum illud tolli poſſet, vel viva vaſa interpoſita absque propagatione mali ad vicina loca, mori* (t). Partes corporis humani læſæ, mortuæ, tamen inſtar Mumiæ, exſtirpatione exulante, arte ſervari poſſunt (u). In cancro exulcerato fluida & ſolida conſideranda veniunt. Utraque curationis ſunt objectum. Maxima putredo adeſt. Dantur medicamina putredinem coërcentia, aſt

 non

(s) Sit hic exemplum cognitum a GALENO adductum: *Mulier*, refert, *cancroſam diatheſin in mamma habens, circa ver inſtans ſatis fortiter quotannis purgabat, atram bilem removens. Omiſſa vero purgatione dolorem in profunda mamma ſentiebat, ſignum, acrimoniam fuiſſe auctam.*

(t) Commentar. in Boerh. aphor. l. c.

(u) Quid fomenta ex ſale marino, ammoniaco, aqua & aceto applicata operantur, cognitum eſt Practicis. Legant RUYSCHII ſcripta.

non ſemper ſufficiunt (v). In auxilium vocatis antiputredinoſis, conſervatio ſolidorum reſpicienda eſt. Hoc intendens indurare debet. Fieri poteſt. Artis chemicæ gnari medicamina noſcunt, non irritantia, quæ tamen ſolida una cum fluidis indurant. Cancrum exulceratum curaturus, exulante chirurgica operatione, illum in ſcirrhum iterum convertat, neceſſe eſt. Scirrhus, ſi homo diætam provide obſervat, absque notabili corporis damno diu tolerari poteſt. Non omnis exſtirpatio ex voto cedit, hinc induratio, præmiſſis neceſſariis, tentanda. Plus una vice feliciter ſucceſſit methodus. Ubi vero materies cancroſa in ſanguine præexiſtit copioſa, idem experitur methodus fatum, quod exſtirpatio. Cancer una loco ſuperato alterum aggreditur. Uterum occupans, conſumptio, mors.

RELA-

(v) Doctiſſimus *van* SVIETEN in Commentariis ſuis adducit exemplum cancri exulcerati, in mamma pauperculæ, cœteroquin ſaniſſimæ, ubi per menſes quindecim liquido quodam ſuſtinuit malum, ut vix in deterius vergeret. Vidit in marginibus ſuppurationis veſtigia, pars quædam ſeparata cecidit, fundo pure apparente. Spes fefellit concepta, putredine aucta paupercula periit. l. c.

N O T A.

De remediis ad cancrum indurandum commendatis conferri meretur *Jo. Geo. Henr.* KRAMERI Medicina caſtrenſis chirurgica germanico idiomate Norimbergæ 1740. edita p. 156. ſeqqu.

RELATIO ANATOMICA
SEU
VISUM
QUOD VOCANT
REPERTUM
IN CASU
INFANTICIDII,

ADJECTIS DIVERSIS DIVERSORUM MEDICORUM SENTENTIIS, DE PULMONUM FOETUS ET COLORE ET IN AQUA SUBSIDENTIA EMBRYONUMQUE RESPIRATIONE,

ADNEXA SIMUL OFFICIOSISSIMA PETITIONE AD SINGULOS EXCELLENTISSIMOS

DOMINOS COLLEGAS,

UT

PER FREQUENTEM AC SEDULAM SECTIONEM ET OBSERVATIONEM, VEXATAM TOT SECULORUM ET OB CAUSAM SANGUINIS MAXIMI MOMENTI QUÆSTIONEM, DE PULMONUM FOETUS COLORE EORUMQUE IN AQUA VEL NATATIONE, VEL SUBSIDENTIA, TANDEM ALIQUANDO EXTRA OMNE DUBIUM PONANT

AC EO IPSO CERTO CERTIUS DECLARENT: AN JUDICIUM EX HIS DEPROMTUM SIT VERUM, FALSUM, VEL DUBIUM?

IN QUEM FINEM JUNCTA EST HANC IN REM INQUIRENDI METHODUS,

AUCTORE

RÜDIGERO FRID. OVELGÜN,

MED. DOCT. COMITE PALATIN. CÆSAR. MEDICO PROVINCIAL. MOGUNTIN. ARCHIAT. WALDECCENS. REVER. CAPITUL. ET CIVITAT. FRIDESLAR. MED. ORDINAR. ACADEM. CÆSAR. NAT. CURIOSOR. COLLEGA.

B*erchemium*, juſſu Illuſtriſſimi ac Celſiſſimi Comitis JOSIÆ in *Waldeck*, vocatus, ut ſectioni infantuli præeſſem, quem tripedali fere altitudine, in ſtabulo, terræ per dies viginti, & quod excurrit, jam mandatum, fama erat, morte violenta & materno, proh facinus! ſcelere, in pago *Königshagen* occubuiſſe: gratioſiſſimo mandato morem gerens, ſectionem anatomicam, ex more, adminiſtrari juſſi, & *viſum*, ceu ajunt, *repertum*, his feré verbis é germanico idiomate, latio donatis, concepi.

Quod ad primum attinet, quivis oculis uſurpare potuit, ungues ad unum omnes juſtæ fuiſſe magnitudinis, caput ſufficiente capillo inſtructum, oſſa capitis juncta, neque circa ſuturas ſeparata: & quantumvis, quod nemo non hariolari poteſt, cutis per tot dierum intervallum, corruptionem feré putredinoſam conceperat, ac proinde de cute rugoſa, vel minus rugoſa, judicium, omnibus numeris abſolutum, ferri non poterat; nihilo tamen ſecius extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt, omnia totius corpuſculi membra juſta fuiſſe cum forma, tum magnitudine, cute ſeparata muſculorum caro non laxa, ſed firma textura ac ſtructura erat conſpicua. Signis his collatis & junctis, concludere licet, infantem & vixiſſe, & juſtæ maturitatis fuiſſe.

Funiculus umbilicalis ab abdominis ſuperficie duorum vel trium digitorum latitudine ruptus, & non ligatus erat. Abdomine aperto, oculos in viſcera intendenti mihi tantum, non omnia apparebant in ſtatu naturali. Pulmones non rubrum, ſed conſuetum præ ſe ferebant colorem, & bene ſe cum corde habebant, Separato corde, pulmones innatabant aquæ. Cultro anatomico cute capitis diducta, oſſi occipitis incumbentem ſanguinem coagulatum videre licuit: non minus tumor circa vertebras colli ſuperiores deprehendebatur. Ex quo phænomeno cum certior factus eſſem, vertebras colli haud dubié fore læſas, muſculos ſeparari juſſi ſanguine turgidos. Tum quidem cuivis, obtutum in

primam

primam vertebram colli figenti, hæc ipſa valde videbatur læſa: in ſiniſtro namque hujus vertebræ latere hiatus erat haud ita parvus. Ceterum cerebrum erat in ſtatu naturali.

Vivo corpore, vim primæ vertebræ colli illatam eſſe, ſolenne vult judicium, quod dictus tumor muſculorum circa vertebras colli ſubminiſtrare ſolet: Et quantumvis ſola pulmonum in aqua natatio argumento eſſe non poſſit, partum vivum fuiſſe editum, nihilo minus tamen allegatus tumor ſanguineus cum dislocatione colli, natationi dictæ junctus, manifeſto demonſtrat, infantem vivum in lucem editum fuiſſe, & quod puſillus noſter per vim externam violentam dein e vivis ſublatus fuerit: Talis namque in prima vertebra colli apparens læſio, unanimi Medicorum conſenſu, pro abſolute lethali habetur. His adde, quod infans, ob disruptum & non deligatum funiculum umbilicalem, purpuream & proinde, ſanguine effuſo, neceſſario ſupremum vitæ diem obire debuiſſet. Tantum!

His adjiciendum forſitan adhuc eſt, dum ſectioni vacabam, infanticidam meretricem, cum prædicta ipſi narrarentur, quæſiiſſe ex iis, quibus cuſtodia corporis erat demandata: an homine mortuo, Medicus ſcire queat, ex qua cauſa ſit mortuus? Sectione ad finem perducta, ea de re extemplo certior factus, hanc ipſi reſponſionem dare juſſi: Medicum talia non latere; ut autem nec ipſam fugiat hujus rei veritas, me nolle eam ignorare, infantem vixiſſe, novem menſium ante partum fuiſſe, & vi illata, vivere deſiiſſe. Mihi plura adhuc eſſe cognita, collum nempe tenelli violenter tortum fuiſſe, quid? quod me noſſe, qua ratione iſthoc factum ſit, à latere nempe ſiniſtro verſus dextrum. Tum vero ſtupore adfecta, ſtatim omnia ultro faſſa eſt, quæ antea perfricta fronte negabat. Nihilo minus tamen, quæ erat Illuſtriſſimi clementia, Juriſperitus, qui cauſam illius ageret, conceſſus fuit. Hic, quod ad relationem meam attinet, nihil eidem oppoſuit,

quam quod, me ipſo teſte, nihil de cute rugoſa vel non rugoſa pronunciari poſſet. Levicula hæc ſusque deque habens, res, ut mihi erat in votis, defertur ad illuſtrem Facultatem. Hæc relationem meam principiis medicis & rationi prorſus conformem eſſe declarat, itaque Defenſor cauſa cadit, & meretrix capite amputato, juſtas pœnas luit. Interim, quum alias ſæpenumero, ob minus medicé factam ſectionem, quantum mihi conſtat, in dedecus Medicorum reſponſum & judicium tulerint Facultates, e re medica eſſe crediderim, ut honori medico conſulturi, in gratiam inprimis novellorum Practicorum, cum publico, præcipué vero cum Ephemeridibus noſtris, relationes medicas, omni exceptione majores & debite exaſciatas, communicent. Ceterum optarem tandem aliquando, quoniam heîc non de corio bovino, ſed humano luditur, de pulmonum fœtus in ſufficiente quantitate aquæ ſubſidentia & natatione ac colore, ſolidam & unanimi Medicorum conſenſu roboratam deciſionem, idque per frequentem, ſedulam & judicioſam obſervationem. In diverſa namque hic abeunt non imi ſubſellii, ſed magni nominis Medici. Juvat nonnullos in ſcenam producere, ut hujus rei & neceſſitas, & veritas, eo magis diſpaleſcant. GALENUS (a), at qui vir! quærit, cur pulmo in iis, qui geruntur utero, ſit ruber, non autem, ut in perfectis animalibus, albicans, & rationum momenta ſubjungit. *Severinus* PINÆUS (b) ſegnitiei veritatis indagandæ majorum noſtrorum adſcribit, quod embryonum pulmones craſſo nutriri ſanguine, ut reliquas corporis partes, non agnoverint, nec exiſtimaverint, fœtus recenter in lucem editos eosdem graviores, ſeu ponderoſiores multò ac nigriores habere his, qui jam per aliquot ſeptimanas; aut menſes, aërem per os, nares, fauces & aſperam arteriam traxerunt & exceperunt; & paucis interjectis, pulmones poſthac magis albicantes,

(a) de Uſu partium Lib. XV. p. m. 306.

(b) de Virginitatis notis, graviditate & partu, in Præfatione p. m. 16.

cantes, ſpongioſos & leves fieri, quam antea, pronunciat. *Dominicus de* MARCHETTIS (c) *pulmones*, inquit, *ad latera cordis, rubri, denſi, & non tam poroſi latent, quia, donec fœtus ex utero matris non eſt egreſſus, non moventur.* Dum celeberrimus D. *Laurentius* HEISTERUS (d) differentias notabiliores, quæ inter fœtum & adultum, ante aut brevi poſt partum intercedunt, recenſet, *pulmones*, inquit, *qui non reſpirarunt, collapſi & nigricantes reperiuntur, atque aquæ injecti fundum petunt.* Clariſſimus *Joh.* JUNCKERUS *non minus* ait (e), *fœtus pulmones, quia aërem nunquam hauſerunt, collapſi & nigricantes conſpiciuntur.* Danorum gloria, *Thomas* BARTHOLINUS (f), eam in rem ſequentia habet: *Ingens dubium oritur ex pulmonibus embryonum, qui, omnium Anatomicorum conſenſu, rubent in fœtu & merguntur, in adultis pallent & natant.* GALENUM *Lib. XV. uſ. Part. c. 6. hic ſequuntur longo agmine* ZERBUS, LAURENTIUS, PICCOLOMINEUS, BAUHINUS, SPIGELIUS, HOFFMANNUS, HARVÆUS, HIGHMORUS. *Plerique, ſanguini materno adſcribunt, quo nutriuntur. Alii imperfectioni, alii aëris ventilationi, qua extra uterum pulmones moti albent, quod etiam indicium matribus ſuggerit* HARVÆUS, *vivum, an mortuum fœtum pepererint? In hoc luto adhuc hæreremus, niſi Clariſſ.* CHARLETONI *manu erigeremur &c.* Mitto alios, & ne multus videar, ea tantum adhuc adducere animus eſt, quæ omnium magis dilucidé ipſe *Gualterus* CHARLETON (g) commemorat. *Magnus*, ait, *Vir*, HARVÆUS *noſter*,

(c) Anatom. cap. VIII. de fœtu humano, p. m. 91.

(d) Compend. Anatomic. edit. quint. p. 112.

(e) Conſpect. phyſiol. medic. tabul. 6. p. 160.

(f) de Pulmonum ſubſtantia & motu diatribe, Section. II. p. m. 29. edit. Hafniæ 1663. qui elegans de pulmonibus tractatus, ſplendidæ editioni Operum *Marcelli* MALPIGHII, Lugduni-Batav. 1687. jure meritiſſimo inſertus, locum citatum exhibet p. 349.

(g) Exercit. phyſico-medic. de Oeconomia vitali VIII. de reſpiratione p. m. 169, 170.

noſter, in contrariam huic, quam nos heic defendere ſumus conati, ſententiam iviſſe videtur. Sic vero iſte: In Embryone color pulmonum rubicundior eſt, quam in iis, qui aërem aliquando inſpirarunt: quod pulmones ab aëre dilatati, albedinem induant. Eoque indicio facile internoveris, Mater-ne vivum an mortuum fœtum pepererit: illico enim ab inſpirato aëre mutatur pulmonum color, qui etiam poſt repentina fata idem permanet. Cui (ſalva interim clariſſimi viri, cujus nomen æternum venerabimur, auctoritate) in reſponſum damus, quod quamvis é fœtibus humanis, in utero præ difficili partu emortuis, complures idque, hujus præcipue disquiſitionis cauſſa, diſſecuerimus, eum tamen, de quo HARVÆUS *loquitur, diſcriminis characterem, in nullo potuimus deprehendere: idem enim in omnium pulmonibus color, ad albedinem nempe inclinans, qualisque in adultis poſt mortem diſſectis ordinario cernitur, conſtanter comparuit. Hocque verum eſſe religioſe affirmamus. Imò cum quopiam pignore certare parati ſumus, neminem ex ſolo pulmonum colore, utrum vivus, an mortuus infans ex utero excluſus fuerit, certo internoſciturum.* Tranſitum facio ad *pulmonum ſubſidentiam.* Heic ipſæ *Ephemerides* noſtræ *Decur. I. ann. 6. & 7. Obſ. 202.* certum ad infanticidas convincendas indicium eſſe, pulmonum in aqua ſubſidentiam, aſſerunt. Huic ſententiæ accedunt ad unum omnes, ceu facile eſt hariolari, qui cum GALENO pulmones fœtus in utero rubros, non vero albicantes, eſſe autumant, quos jam antea in medium produximus. Unum proinde *Bartholdum* KRUGERUM, ex recentioribus allegaſſe, haud dubie, ſufficiet. Quid ille? Pulmones, inquit (h), fundum ſtatim petunt (ſuffocato fœtu in utero): ratio manifeſta, quoniam in utero nulla fit reſpiratio, & per conſequens nulla rarefactio aëris in bronchiis pulmonum, & contra, in fœtu vivo (poſt inſpirationem & exſpirationem aëris) extincto, ſupernatant pulmones in aqua. Hoc

(h) in Methodo ſecandi cadavera, Cap. VII. p. m. 18.

Hoc eſto rationale experimentum fœtus in utero ſuffocati, vel poſt nativitatem extincti. Contra hanc ſententiam militant, ut cuivis obvium eſt, qui eundem volunt eſſe pulmonum colorem, eumque & in utero, & extra uterum albicantem, ex quibus nobile par Medicorum, *Gualterum* CHARLETON, & *Thomam* BARTHOLINUM jam laudavimus. At non poſſum, quin eam in rem adhuc nonnullos adducam. *Joh.* ZELLERUS, Prof. Publ. Tubingenſis, in diſputatione 1691. edita, pulmonum infantis in aqua ſubſidentiam infanticidas non abſolvere, nec à tortura liberare, nec reſpirationem fœtus in utero tollere, pluribus aſſerit. D. D. *Joh. David* MAUCHARTUS, Phyſicus Marbacenſis, qui ſub ZELLERI præſidio, hanc diſſertationem defendendam ſuſceperat, Ephemeridibus noſtris curioſis, *Cent. I. & II. Obſ. 121. p. 248.* poſtero tempore 1708. D. D. BRIGELII ſectionem infantis in hujus rei confirmationem ſuppeditat, per octodecim horas à partu viventis & ejulantis, primum fortiter, poſtea ſibilantis, cujus tamen pulmones, tam integri, quam fruſtillatim, in aquam non minus copioſam, quam parcam injecti, fundum petiere. Eædem *Ephemerides* noſtræ curioſæ *Decur. III. ann. I. Obſerv. 104. p. 168. 169. & 170.* exhibent hiſtoriam, negantium parti non minus accedentem. Practicus ſcilicet Ronneburgenſis, ubi pulmones cito in aqua ſubſidere videret, huic experimento innixus, in renunciatione ſua puellam ante partum periiſſe judicat. At meretrix fidiculis, ſemel atque iterum ſubjecta, ante & poſt partum infantem vixiſſe affirmavit, id quod terna vice repetiit, & morte confirmavit. Supernatationem pulmonum, in aquam injectorum, non ſemper abſolutum eſſe indicium, infantis vivi in lucem editi, reſponſa Facultatis Medicæ Lipſienſis (i) non minus affirmant. Tacitus prætereo hanc in rem BOHNIUM, alios. Quem Medicorum hæc opi-

(i) Cent. V. Caſ. LXV. p.m. 1289. à *Joh. Frider.* ZITTMANNO, ſub titulo, *Medicina forenſis* edita.

opinionum divortia non ſuſpenſum tenebunt? Gaudeo certe mihi, & gratulor conſcientiæ meæ, quod uni pulmonum colori, eorumque vel natationi, vel ſubſidentiæ renunciationis præcipuum momentum, & per conſequens, mortem vel ſalutem meretriculæ, ſuperſtruere haud opus habuerim, certiori & extra omnem dubitationis aleam poſito argumento, tumori ſanguineo, cum dislocatione colli innixus. At vero, quum nec omnibus, nec in quavis ſectione ea contingat felicitas, rei medicæ, ob hanc cauſam & ob allatas rationes, maximé intereſt, ut res tot ſeculorum dubia, quæ tot Medicos in contraria egit, tandem aliquando extra omne dubium poſita, in apricum deducatur, omnibus diſcuſſis errorum & diverſarum ſententiarum nebulis. At unde lucem fœnerabimur his tenebris? uno fortean ZELLERO excepto, res in aprico eſſet, dummodo quæſtio: Utrum fœtus in utero reſpiret, an non? nullis premeretur dubiis. At vero & heic variæ variorum ſunt ſententiæ, ut, quo te vertas, neſcias. Ut res eo magis conſtet, & quivis id ipſum videat, nonnullos in teſtimonium citare, nonnulla eorum argumenta, & propria Auctorum verba adducere, ceu & in ſuperioribus fecimus, animus eſt. *Lucas* SCHROECKIUS Lucæ Fil. (k) *reſpirationem*, inquit, *leviculam fœtus in utero penitus negare nolo.* *Gualterus* CHARLETON, disquiſitionem de reſpiratione fœtus in utero, in utramlibet partem paribus fere auctoritatum momentis apud Medicos, ab HIPPOCRATE in hodiernum usque diem, libratam manſiſſe vult. Pluribus vero pro fœtus reſpiratione in utero agit (l), & argumenta in contrarium allata omni ope adnititur diluere. Eâdem imbutum fuiſſe opinione divinum Senem, affirmat libr. de natur. puer. *Puer ab alio reſpirat, & ore, & naribus;* & alibi: *Sufficit embryoni modica ſpiratio, pro ſuo modulo.* Plura eſſe affirmat, quæ hujus rei claram fidem faciant, at tamen nonnulla tantum in medium profert, ſolutu, ceu vult,

(k) in Schol. ad Obſerv. 104. Decur. III. anni I. Ephem. N. C.
(l) l. c. à pag. 165. ad p. 171.

vult, haud adeo facilia, ſcilicet 1.) fœtum in utero matris non nutriri ſanguine illo per umbilicum delato, ſed lacteo quodam humore, in quo innatet, quemque per os ſugendo ſibi aſſumat, certiſſimum eſſe. Hoc poſito, fœtum quoque ſimul reſpirare neceſſum eſſe: quum omnis ſuctio pulſionis ſit quædam ſpecies, & ſolummodo per liquoris, vel rei ſuctæ, ab aëre circumambiente compulſo, preſſionem perficiatur. Hanc rationem habet pro Areopagiticâ, quæ ſola veritatem venerandi Senis ſatis evincat. 2.) Idem vagitus uterinos, quorum infinita pene exempla proſtent, clare confirmare. Vocem, abſque aëre haud fieri poſſe, vel gregariis notum eſſe. 3.) Pullum intra ovum, integro adhuc cortice, reſpirare, & ſæpe per biduum ante excluſionem vocem edere, quotidianam docere experientiam. Neminem de aëris tranſitu per rariorem ſecundinarum texturam magnopere fore ſollicitum, qui eum per ſolidiorem corticis ſubſtantiam facillime tranſiiſſe obſervarit. 4.) Ipſum fœtus ſitum luculenter hoc evincere: Naturam namque, ut inter fœtum & ſecundinarum tunicas ſatis amplum reliquit ſpatium, quo, ceu promtuario, ſufficiens alimoniæ copia contineatur: ita non omnem earum capacitatem liquoribus alimentoſis repleviſſe, ſed rem ita inſtituiſſe, ut tale reſtaret in amnii & chorii ſuperiore parte ſpatium, nullo liquore occupatum, quale in ovi aliquandiu incubati obtuſiore extremitate cernitur. Uteri fundo chorion in loco ſuperiore proinde adhærere, cui etiam firmiter in ea parte adhæreat amnios. Fœtus caput, in ſupremo enatans, facilius ſic ſuum lac colliquatum ore ſugere, & juxta allatam divini Senis ſententiam, ore & naribus ſupereminentem aërem ducendo, reſpirare. 5.) Partum ſolum naturalem haberi, quo infans capite primum prodit, quod hoc modo duntaxat abſit ſuffocationis diſcrimen. In reliquis modis, orificio uteri à corpore fœtus ante clauſo, aëreque ſic excluſo, omnem reſpirationem intercipi. Ut adeo ex fœtus, tum in utero ante partum, tum in ipſo partu, poſitione ſituque concludere fas ſit, eum reſpirare. Denique, poſt-

quam ad argumenta in contrarium allata, reſponſum tulit, ita concludit: Embryonem placidiſſime, pro modulo ſuo, & in proportione ad cordis motum, ante natalem diem reſpirare. *Thomas* BARTHOLINUS (m), poſtquam CHARLETONI ſententiam recenſuit, hæc ſubiicit verba: *Cauſſa veteris erroris penes* GALENUM *eſt, qui ab* HIPPOCRATE, *more ſuo, ſeceſſum fecit. Hujus vero doctrina eſt L. de Natur puer. genituram in utero reſpirare, quam ſi ſequamur, pro pulmone nullus ſupererit ſcrupulus. Paulus* AMMANNUS (n) hunc in modum ſcribit: *Ponamus, primis menſibus pulmones non moveri in fœtu, quis tamen negabit fœtum poſterioribus menſibus perfecte reſpirare: quod probat ſuctio, qua ſibi attrahit alimentum, quæ alias eſſet impoſſibilis; 2.) vagitus uterini, qui fieri non poſſunt, absque perfecta reſpiratione & motu pulmonum. Joh. van* HORNE eâdem opinione imbutum eſſe, vel hæc evincunt verba (o), quæ de partu Cæſareo, aut, ut RIOLANUS mavult, Cæſonio agens, profert: *Nec juvat os gravidæ apertum tenere impoſita clavi, hic enim eſt error vulgi, credentis foetum reſpiratione matris vivere.* Inter eos, qui negativam tuentur ſententiam, fœtum nimirum in utero materno non reſpirare, heic loci primus eſto *Guilielm.* HARVÆUS (p), qui vult, pulmones in embryonibus otiari, & nullam actionem aut motum habere, quaſi nulli forent. Non minus *Andr.* LAURENTIUS (q) *foetus*, inquit, *quia parum habet caloris, eſtque in utero ante diem partus velut imperfectum animal, ſola transpiratione contentus eſt: quare ſpiritum per os non ducit, neque thoracis & pulmonum opera utitur.* In rei confirmationem inter alia addit: *Foetus materno concluſus utero, & membranis circumſeptus, ſi ore aperto ſpiritum duceret, cum aëre aquas, quibus innatat, ſimul traheret,*

(m) loc. cit. (n) Parænes. ad diſcentes Lib. I. cap. IV. p. 22. 23. (o) in methodica ad chirurgiam introductione, Sect. II. part. I. §. 30. p. m. 172. (p) Exercitat. Anatomic. de motu cordis & ſanguinis cap. VI. p. m. 81. (q) Oper. anatomic. p. 356.

heret, & primo hauſtu, aquis obrutus, ſuffocaretur. Aërem præterea non habet, quem ore trahat puellus: nullum enim in utero ſpatium eſt, quod non impleat, uteri vero oſtium internum ita connivet, ut ne flatum quidem admittat. Tandem pulmonum ſubſtantiam & colorem ex GALENO urget. *Laurentius* BELLINI (r) ex principiis geometricis ſe, probabiliter forte, fœtum in utero non reſpirare, demonſtraturum fore, ſpondet. *Johannes* FERNELIUS (s) fœtum ex vaſis umbilicalibus ſanguinem & ſpiritum aſſiduo rapere aſſerit. Cum MAJOW, tum cum eo *Mich.* ETTMULLERUS (t), affirmant, ſuccum nutritium, particulis aëreis copioſe refertum, fœtum à matre per venam umbilicalem recipere, adeoque eundem non reſpirare. *Joh. Jac.* WALDSCHMIDT ad caſum medicinalem *Timæi à* GULDENKLEE, de vagitu uterino (v), ſequentia adnectit: *Ex hoc ſolent veteres impugnare recentiorum opinionem, de foetu in utero, quod non reſpiret, quam etiam defendit* CARTESIUS; *ad exemplum propoſitum facile eſt reſpondere, fuiſſe nempe extraordinarium & portentum quoddam, id quod eventus docuit: ergo ordine naturæ non factum. Georg. Wolffg.* WEDELIUS (w) ita ſcribit: *Non reſpirat fœtus in utero, neque id facere occipit prius, quam vitales hauſerit auras.* Quid? quod, hic conſummatæ quondam doctrinæ & praxeos Medicus, porro in eo totus eſt (x), ut locum HIPPOCRATIS, *libr. de carnibus*, ubi hæc verba: *Ceterum puer in utero, comprimens labia, ex utero matris ſugit, & trahit tum alimentum, tum ſpiritum cordi intro*, improprie intelligendum eſſe, variis argumentis evincat, addens alium HIPPOCRATIS locum *libr. de nat. puer.* in hæc verba: *Per umbilicum foetus ſpirat, ac alimentum & incrementum capit.* Is ipſe eundem non minus *Lib. de octimeſtri partu c. 4. t. 1.* idem perſpicuè & latius tradidiſſe, annectit.

(r) in Epiſtola ad Ferdinandum II. Hetruriæ Ducem data, quam invenire eſt, Obſerv. LXXV. Ephem. Nat. Curioſ. Decur. I. ann. II. p. 138. (s) in Univerſa Medicina, Trajecti ad Rhenum 1656. edita p. 178. (t) Fundament. Medicin. cap. XII. p. m. 77. (v) Oper. Medico-practic. p. m. 555. (vv) in Phyſiolog. reformat. C. VI. p. 117. (x) l. c. Cap. XVI. p. 606. & 607.

ctit. *Felix* PLATERUS auctor eſt (y), cerebrum in fœtu ad quartum fere menſem otioſum eſſe, cum fœtus prius non moveatur, nec ante partum ſentiat; *Quo*, pergit, *tempore, etiam reliqua viſcera, opus proprium nondum aggreſſa ſunt: neque enim ventriculus chylum conficit, nec pulmones ſpirant, occluſis exacte tunc naribus atque ore.* Ne quis vero exiſtimet, fœtum poſt quartum menſem reſpirare l. c. p. 245. hæc ſubiicit: *Neque enim illud* (cor) *ad quod aëri non patet aditus, nec priusquam reſpirare queat, per ſyſtolem contrahi, aut dilatari poteſt, donec foetus à membranis, quibus obvolutus erat, liberatus, atque ab aqua, cui immerſus erat, in partu ſegregatus, & in lucem editus, per nares aërem attrahat; tunc enim cor, pulmonesque eum ſuſcipientes, primum moveri, infansque modo natus reſpirare incipiunt. Quod uti ex hiſce argumentis licet colligere, ſic ſenſus ipſe manifeſtum facit, ſi quis in brutis animalibus obſervet, quo pacto, ſi foetus una cum membranis, quibus incluſus immerſusque eſt, reiiciatur, mater dentibus illud ſcindens, aëri, ut ad foetum penetrare queat, faciat viam, & pono, unde & uſu edoctæ obſtetrices, in foetu humano, ſi cum amnio in partu excludantur, non prius vas umbilicale ſtringunt, donec involucrum diſrumpant, quod bruta animalia, naturæ inſtinctu, uti dictum, faciunt. Joh.* JONSTON (z) vagitum uterinum non admittere videtur, adeoque nec reſpirationem, inter alia namque ſcribit, membranas, quibus obvolvitur infans in utero, tam laxos non habere poros, ut tranſeat aër, nec uterum, etſi pondere hiet, auram admittere poſſe, inſuper lentore excrementitio occupata eſſe omnia. *Joh.* BOHNIUS (aa) ſupponit, in embryone cordis & ſanguinis motum ſine reſpiratione integrum eſſe, utpote qui, in tenello hujus corpore tardior & lentus magis, pro ſui conſervatione aëris impulſu haud indigeat, addita ratione, quomodo reſpiratio matris ipſi ſufficiat. Poſtquam *Laurent.* HEISTERUS

(y) de Origine partium, earumque in utero conformatione Tractat. *Ludov.* BONACIOLI de fœtus formatione annex. p. 244. (z) Thaumotograph. natural. Claſſ. decim. cap. V. artic. V. de vagitu uterino. (aa) Circul. Anatomico-phyſiologic. progymnasmat. 3. p. 37.

RUS (bb) mentionem foraminis ovalis, membranæ & canalis anterioſi, injeciſſet, pro peculiari ſanguinis motu in non natis, addit, *quia reſpirare nequeunt in utero.* *Herm. Frideric.* TEICHMEYERUS (cc), mihi olim amiciſſimus, fœtus reſpirationem à pluribus licet affirmatam, merum figmentum eſſe, contendit, & rem per ſe impoſſibilem; fœtum enim 1.) in ſuis deliteſcere tunicis, quæ aëris ad fœtum penetrationem non admittant, quid? quod clauſuram uteri, tempore geſtationis firmiſſimam, nec craſſioris aëris vel miculam admittere; 2.) fœtum in liquore natando ſuſtineri, qui liquor aëris externi quoque admiſſionem impediat; 3.) ſanguinem maternum, ad uterum delatum & ad fœtum promotum, ut arterioſum, ſufficiente mixtum eſſe aëris quantitate, quæ aëris particulæ motum ſanguinis intrinſecum conſervare in fœtu poſſint. *Joan.* JUNCKERO (dd) haud ſecus, fœtus in utero non reſpirat, quem vide ſis. *Joh. Rudolph.* CAMERARIUS (ee) in ea, ex alio, eſt ſententia, quod umbilicus græcis ὀμφαλὸς, παρὰ τὸ ὀμπνεῶ, quod eſt ἀναπνεῶ, reſpirare, ratione arteriarum dicatur, quod fœtus per umbilicum reſpiret. *Joh. Frid. de* PRE (ff) inter arcana naturæ, quæ necdum ab oculatiſſimis naturæ ruſpatoribus plene deciſa ſint, inter alia quæſtionem refert: An & quomodo embryo reſpiret? negat illi interim veram & proprie talem reſpirationem, ob pulmonum folles necdum expanſos, vel inflatos. Vagitus uterinos pro ludibriis flatuum habet, fœtum vero non quidem particulis aëreis carere, at has tantum, cum ſucco nutritio per arterias umbilicales placentæ uterinæ annexas cum eo communicari adfirmat. Mitto, quæ huic ſententiæ, fœtum nimirum non reſpirare in utero, addictus *Nicolaus* VENETTE (gg), longo ſatis verborum circuitu commemorat. Mitto alios. Quorſum enim attinet, plures hanc in rem

(bb) Compend. Anatomic. l. c. (cc) in Theoria corpor. human. cap. XLIX. p. m. 270. (dd) in Conſpect. Phyſiol. med. Tabul. VIII. p. 201. (ee) in Sylloge memorabilium Medicinæ, Cent. XI. partic. XXXIV. (ff) in Machina corporis humani p. 73. & 107. (gg) de la Generation de l'Homme p. m. 459. 460.

rem adducere auctores Medicos, cum nemo non, qui antecedentia recta rationis lance trutinat, ex facili videat, capiat, intelligat, hac ratione diſceptationem in longius protrahi, non finiri. Secundum tritum ſermone proverbium: Oppoſita juxta ſe poſita magis eluceſcunt. Mearum proinde erat partium, pro hoc ſcopo ſufficientes, non omnes citare. Quid ergo? eſto nobis amicus Plato, amicus Ariſtoteles. Sunto nobis peramica tot magnorum Medicorum nomina, eant quantumvis in diverſa. Multa eaque laudatiſſima egerunt, non omnia peregerunt, id namque neque hominis, neque hominum eſt. Non omnia poſſumus omnes. Qui nunquam errat, Deus, non homo eſt. Non dubitàverim affirmare, hos ipſos, publico bono ſatis litaſſe, dum has illasve veritates, cimmeriis tenebris antea immerſas, luci publicæ expoſuere. Digni proinde ſunt, qui laudibus in cœlum extollantur. Culpa non boni viri eſt, & ſui & noſtri ævi ornamentis, ob hanc illamve quæſitam, non aſſequutam & penitus demonſtratam veritatem, elogia, & hoc & alio nomine iis debita, ingenii vitio deterere velle. Quod ad me attinet, videor mihi, mari ventis agitato turbinibusque acto me committere velle, ſi litem hanc meam facerem, & unus, tot Auctoribus, diſceptationis ſerram inter ſe reciprocantibus, me immiſcerem. Fidem his meis faciunt, cum omnia antecedentia, tum, quod plurium loco ſit, CHARLETONUM, pro ratione Areopagitica habere, quod fœtus in utero reſpiret, quum lacteo humore, in quo innatet, nutriatur, quo de, vide ſis, jam allegata: HEISTERUM vero contra, quantumvis nutritionem fœtus in utero menſibus primis, organis digeſtionis nondum perfectis, per ſolum funiculum umbilicalem aſſerat, ultimis tamen menſibus multas ob rationes, quarum vel ſex adducit (hh), & quas binis iisque ſatis elegantibus caſibus alibi (ii) confirmat, etiam ſimul per os, à liquido blando, glutinoſo, fœtum ambiente, nutriri velit; nihilominus tamen illum in utero reſpirare poſſe neget, ceu jam innuimus. Quid ergo opis? quid auxilii? veritas publico tam utilis, tam neceſſaria, pro-

(hh) l. c. p. m. 110. (ii) Compend. Anatomic. Part. ſecund. p. m. 87. 88.

profundo dubiorum puteo veluti ſepulta, qua methodo, una, nuda, viva, in conſpectum dabitur? ut & in hoc paſſu ſuus illi conſtet honor.

Ad vos, Excellentiſſimi, Prænobiliſſimi & Experientiſſimi Domini Collegæ, meus ſe nunc convertit ſermo. Nullus dubito, quin tandem aliquando huic morboſo defectui, qui non per annos, ſed per ſeculorum decurſum, rempublicam medicam male habet, remedium inventuri ſitis. Tot namque Viri, per omnem, qua late patet, Germaniam, quin per Europam diſperſi, ingenio clari, eruditione præſtantes, experientia celebres, ubi ſerio in hanc rem incumbent, haud dubie certam nobis ſuppeditabunt methodum, per quam in rei veritatem penetrare poſſimus, ſi non cito, ſaltem bene. Veritas, temporis filia eſt. Vivunt multi, vivent, etiam poſt fata noſtra, niſi me conjectura fallit, plures in illuſtri noſtro Collegio, qui ſpartam, quam indepti ſunt, ut exornent, omnem navant & navabunt operam. Quid ergo prohibet, quo minus non ſolum credam, ſed etiam prorſus confidam, per collatam ingenioſam pariter atque judicioſam diligentiam, noſtrorum Collegarum, dubioſam hanc diſceptationem tractu temporis extra omne dubium collocari poſſe. Non dubito interea temporis, quin iidem in bonam interpretaturi ſint partem, quod, dum juxta cum aliis iſthæc acerrimo deſiderii tormento expecto, mea qualiacunque orbi litterato ſiſto, & re curatius ponderata, quam concepi methodum, cum publico communico. Primum ad neutram partem adſenſionem flectendam eſſe, opinor: dubitabimus proinde, at non ut dubitemus, quod ſcepticorum eſt, ſed ut dubitando in rei veritatem penetremus. Deinde attenta mente trutinandum eſt, inſpectionem pulmonum, & embryonum, & fœtuum, qui jam vitales hauſere auras, plurimis cautelis neceſſario circumſcriptam eſſe, ſi omnes erroris ſcopulos evitare velimus. Hoc opus! hic labor eſt! Tum namque res, neque ſola ſcientia medica, neque ſola experientia, neque ſola ratiocinatione bene agitur, nedum peragitur. Auctoritas multo minoris hic eſt pretii:

iſthæc fere ſusque deque habenda eſt, niſi ab ipſa veritate robur accipiat. Hæc autem hic invenienda, nondum inventa eſt. Quæ vocant, *majora*, iis in negotiis ſufficiunt, ubi opinionum commentis & earum pluralitate, non hic, ubi medicum in morem, naturæ judicio ſtandum eſt. Ne proinde incidamus in Scyllam, dum animus eſt vitare Charybdim, jungamus ſcientiam medicam, huic ſcopo idoneam, &, cum ratiocinio æquo, ſubacto ac adæquato, &, cum patienti, ſolida, ſæpiusque repetita obſervatione, id eſt, ut verbo me expediam, vera experientia. Quod ad primum attinet, ea, quæ magni nominis Medicus, *Fridericus* HOFFMANNUS de peripneumonia ſcribit (kk), digna ſunt, quæ citentur. Illa hæc ſunt: *Diſſecto cadavere, pulmones mirum diſtenti, inflati, duri & infarcti craſſo ſanguine apparent, & injecti aquæ, ad fundum delabuntur.* Pulmones phthiſicorum, aquæ immerſos, ad fundum præcipitatos fuiſſe, neque in aqua nataſſe, ipſæ loquuntur Ephemerides noſtræ. Cum hæ ipſæ, tum, niſi me memoria fallit, magnam partem & alii obſervatores, annotarunt, naturæ folles, ceu pulmones eleganti voce BARTHOLINO audiunt, inventos eſſe 1.) magnitudine excedentes, 2.) grandinibus & tuberculis, 3.) apoſtemate, uno, bino, multo, 4.) calculis & 5.) gangræna adfectos, 6.) ſanguine turgidos, 7.) in quadam parte quaſi cartilaginoſo - oſſeos, 8.) pleuræ in tantum, in totum, adhærentes, 9.) maculis & notis nigricantibus infectos, 10.) ſcirrhoſos, 11) ita infarctos, ut folle vix inflari potuerint, 12.) chartæ inſtar albeſcentes, reliqua. Ex *Nicolao* FONTANO refert BARTHOLINUS, quatuor annorum puerum maraſmo extinctum fuiſſe, ſectione facta, pulmones, mirum dictu, nullos inventos eſſe, ſed eorum loco ſolum veſicula membranoſa, flatu repleta, venulis exiguis munita, originem ſumens, ab ipſa arteria aſpera. Conſtat inter omnes, qui medicinæ ſacris vel leviter imbuti ſunt, gravidis male ſe habentibus, vel vitioſa diæta utentibus, tenellum embryonis corpus-

(kk) in Diſſertatione, quæ tradit compendioſam, & clinicam praxin inflammationum, cum cautelis, Halæ edit. 1705.

corpuſculum varie ſubinde adfici, variisque tentari morbis, quin, & in utero, & cum in auras prodiit, ex his cauſis, internaque humorum atque viſcerum corruptela, vitam cum morte commutare poſſe. Adeoque primum erit, recto judicii oculo perpendere, utrum pulmones hoc illove colore notati, in aqua vel natantes, vel ſubſidentes, morbis jam allegatis, aliisve laboraverint, an non? Rariſſimus equidem, & inter mira naturæ referendus eſt error principii vitalis circa ſtructuram viſcerum: at tamen, ut in aliis viſceribus, ita & in pulmonibus, ceu jam ex FONTANO vidimus, is ipſe deprehenſus eſt. Si talis, forte & carnoſus, alius, rariſſimo licet exemplo, ſe exerere poteſt pulmonum contextus. Adeoque, & heic attentus ſit obſervator, fortean è re erit, meo quidem judicio. Ut autem eo citius & certius iſthæc deprehendamus, & res non novis involvatur dubiis, ex uſu haud dubie inter alia eſſe poterunt, & hic applicari, quæ *Franciſc. de le Boe* SYLVIUS (ll) pariter atque *Thomas* BARTHOLINUS ſcripta reliquere experimenta. Ita ille: *Inflati, per tubulum in aſperam arteriam immiſſum, pulmones, valde explicantur: illi ipſi vero, ceſſante inflatione, ſibi relicti, mox iterum concidunt, ac ſponte ad priorem molem naturalem redeunt. Pulmones iidem, ſi contra per eundem tubulum exſugatur fortius concluſus in ipſis aër, coarctantur multum intra molem naturalem, ad quam ſponte tamen relabuntur, ſibi relicti:* BARTHOLINI hæc ſunt (mm): *Fateri cogimur, & hominum & majorum animalium pulmones ſpiritu aëreo plenos eſſe, & adeo raros levesque, ut aquæ ſupernatent, evidenti veſicularum teneræque conſtitutionis argumento.* Qua ratione autem veſiculoſa pulmonum ſubſtantia detegatur, idem BARTHOLINUS *l. c. p. 27.* his ſubjungit verbis: *Si debita diligentia pulmones corporibus exemti aqua eluantur, comprimantur manibus, per follem aqua*

(ll) Diſputation. medic. part. prim. Diſputat. VII. §. 25-26. p. 111. (mm) de Pulmon. ſubſtant. & mot. Diatrib. ſect. 2. p. m. 26.

immiſſa laventur, diuque ſubigantur, ut omnis prorſus ſanguis exſtillet, aliam faciem videbimus. Candicabunt, & præter membranoſum corpus ſupererit nihil. Non poſſum temperare mihi, quin adhuc unicam cautelam adiiciam, & moneam, me ſemel atque iterum obſervaſſe, pulmones fœtus ſubſediſſe in aqua, eam ſolum ob cauſam, quod Chirurgus cor non ſeparaſſet, quo facto me jubente, innatarunt aquæ ſoli pulmones. Pulmonibus exceptis, reliqua viſcera gravia in aquis fundum petunt, pulmones proinde ſequebantur gravitatem cordis. Tam facilis hic, ut in aliis, per levem animi lapſum, vel incuriam, deceptio eſt. Medicus proinde judicio præditus, & cui veritas curæ cordique eſt, ſumma hic opera adnitatur, ne à ſtatu pulmonum morboſo ad ſanum, à ſtructura eorundem præternaturali ad naturalem, vitioſa fiat concluſio, vel his aliisve ex cauſis, fallacia hic committatur non cauſæ ut cauſæ.

Quod reliquum eſt, his præmiſſis, manus noſtræ, & in reliquis, verbo Plautino, oculatæ ſint, & ea tantum credant, quæ vident, cui quidem fini, mea equidem ſententia, inter alia inſervient, quæ ſequuntur, cautelæ & quæſtiones, ſecundum quas, antecedentibus in compendium quaſi redactis, ulterior, uno conſpectu, adornari poteſt inquiſitio. Aquæ proinde quantitas 1.) ſit ſufficiens, non parca, pro pulmonum natatione; 2.) tentari nihilo minus poteſt, an pulmones & embryonis, & fœtus, qui jam in aëre externo vixit, in aqua & copioſa, & parca, ſubſideant, vel natent, vel tantum in illa, non in hac? & contra; 3.) an obſervata tum phænomena, cum pulmonibus integris tantum, an iis fruſtillatim diſſectis, eodem modo ſe exerant, nec ne, & quamdiu? 4.) an pulmones fœtus albicantes, non morboſi, ſemper natent, & in iis, qui vivi, ſecundum multos, & in iis qui non vivi, ſecundum CHARLETONUM & alios, editi ſunt? an vero tantum in illis? & contra. 5.) an natatio albicanti pulmonum fœtus colori, ſemper reſpondeat, an ſecus? 6.) an pulmones embryonis contra,

ſecundum varios auctores, rubri, vel nigricantes, ſemper ſubſideant, an non? an ſubinde natent? 7.) an pulmones embryonis collapſi & nigricantes reperiantur ex ſententia JUNCKERI & HEISTERI, & ſemper? 8.) an e contrario rubri ſint, ſecundum GALENUM, vel 9.) albicantes, ut vult CHARLETON, ſubinde, vel ſemper? 10.) an pulmones fœtus recenter in lucem editi ſint ponderoſiores multo, ac ſimul nigriores his, qui aërem per ſeptimanas, aut menſes traxerunt? & an poſthac demum magis fiant albicantes, ſpongioſi & leves ex opinione PINÆI? 11.) an embryonis pulmones denſi, nec tam poroſi ſint? ut ſcribit, *Dominic. de* MARCHETTIS; 12.) an pulmonum color in iis tantum embryonibus rubicundior ſit, qui aërem aliquandiu inſpirarunt, ceu vult HARVÆUS, non vere ruber, non alius? 13.) an unus idemque color pulmonum ſit in embryonibus & iis, qui in aëre externo vixere, ſecundum CHARLETONUM, an ſemper? an nunquam? an ſubinde tantum? 14,) an pulmones in aqua natantes tractu temporis non ſubſideant? vel ſubſidentes, poſt unius alteriusve diei intervallum non alta petant? 15.) an ætas embryonis, & fœtus in lucem editi, ſecundum quemvis menſem, ſecundum dies, diverſa, diverſum quodammodo exhibeat colorem, phænomena, ſubſtantiam? Notetur ergo 16.) quotiescunque in hos pulmones, inquirendi occaſio datur, quot menſium fuerit infans? an vitam habuerit, nec ne? an partus vivus, an mortuus ſit editus? an laborioſo præcedente, vel minus laborioſo partu? ſi iſthæc certitudine indubia explorari poſſunt.

Aliorum eſto judicium, an confeſſio repetita infanticidæ, non fidiculis extorta, ſed ſpontanea, ac in nulla re diverſa, his, frequentique experimento, juncta, lucem ſi non multam, ſaltem aliquam, colori & natationi pulmonum afferre poſſit? an 2.) ſectiones cum fœtibus brutorum, editis, non editis, canum, boum, aliorum, inſtitutæ, huic ſcopo ſint utiles, an non? an 3.) velut aliud agendo, inquiſitio in reſpirationem fœtus, ſecundum argumenta

in utramque partem, in antecedentibus allata, adjumento eſſe poſſit, ſi exempli gratia, chorion & amnion inflemus, viſuri an aër tranſeat? ſi, data eam in rem opportunitate, vagitus uterini, attenta aure & animo nullis præjudiciis præoccupato, examinentur, ut vere pateat, an ſint ludibria flatuum? an vera vox? an futurorum portentum? Et quæ non proſunt ſingula, juncta juvant.

Vela diſſertationis contraho, ne longiori ſermone,
ô mei, veſtra tempora morer, & ſic
— — — in publica commoda peccem.

Accipite hæc mea qualiacunque, fronte ſerena, id eſt: veſtra. Liceat mihi unumquemque veſtrum, ea qua par eſt, obſervantia, eo alloqui, quod in proverbii fere conſuetudinem abiit:

Si quid noviſti rectius,
candidus imperti.

Non nobis, ſed publico nati ſumus. Tam notum, quam quod notiſſimum eſt, ſecundum legem primam Academiæ noſtræ, gloriam Dei Medicæque artis illuſtrationem, & proximi inde reſultans commodum, illius ſcopum & cynoſuram eſſe unicam. Cognitum exploratumque non minus habetis, lemma noſtrum Academicum: *nunquam otioſus.* Non latet Vos, tum hoc, tum alia, quæ in ſymbolum Academiæ, Lege XXI. nobis conceſſa ſunt, jungi memorabili hoc effato, *non tam ut ornamentum ordinis ſint, quam incitamentum.* Aqua hæret Medico, relationem anatomicam ſcribenti, quamdiu hæc quæſtio dubiis premitur. Agitur hic de duplici fere vita ſimul. Judex, ut Medicus, neſcius eſt, quo ſe vertat. In meliorem proinde interpretamini partem, ſi libere & ſincere dico quod ſentio; deciſionem nimirum quæſtionis tanti momenti, à nobis expoſcere nihil non, quod continet prima jam allegata lex Academiæ noſtræ, & agendum nobis eſſe, ante omnia fere hic, eam ob cauſam quod agimus, ut ubicunque nobis occaſio rei gerendæ inciderit, in hoc negotio ſimus, *nunquam otioſi,*

deni-

denique obſervationes, ſecundum antecedentem vel aliam limatam methodum factas, frequentes cum Actis noſtris tam diu communicemus, donec res hæc, ab omnibus dubiorum nebulis libera, tantum non ipſa veritatis luce radiet. Quod faxit Deus! Æternum hoc Numen veneror, ut eum in finem, Vos meque, proſpera beare valetudine non dedignetur; is benigniſſime concedat nobis omnibus, ut ſit usque, mens ſana in corpore ſano. Is difficili huic negotio nos pares reddat. Fruimini, Domini Collegæ omnium ordinum honoratiſſimi, votis ad invidiam usque felicibus, &, quod ſpero facietis, hanc meam propoſitam quæſtionem in animo & oculis habete, denique non ceſſate, me & hæc mea favore pariter atque amore veſtro proſequi. Id quod etiam atque etiam, & tantum, quantum veſtra fert voluntas, rogo quæſoque. Valete!

SCHOLION.

Argumentum, quod cl. Auctor uberiori diſquiſitioni commendat, omnino hac commendatione dignum eſt. Verſatur illud circa colorem & pondus pulmonum infantum recens natorum, quatenus ſint ſigna, ex quibus certo concludi poſſit, num ille vivus, an mortuus, in lucem editus fuerit; & quatenus eadem tum ſecundum naturam tum præter eam occurrere queant. Quod ad phænomena in ſtatu naturuli contingentia attinet, illa potiſſimum ſpectant ad quæſtionem illam diu agitatam, num fœtus in utero materno reſpiret, nec ne? Qui plura argumenta in utramque partem ventilata ſcire deſiderat, adeat SCHURIGII *Embryologiæ Sect. II. Cap. III. & IV.* Hodie pauci forſan adhuc fœtui, quam diu in matris gremio vitam agit, alium aëris acceſſum concedunt, quam qui ope omnium humorum contingit, quo vero fœtus non trachea haurit aërem pulmonum veſiculas occupantem, ſed ille ipſi cum nutrimento ſuo per os & venam umbilicalem accepto & per vaſa ſanguifera circumeunte porrigitur. Mihi vera reſpiratio per omne

illud

illud tempus exercenda propterea vel ſaltem fruſtra ſupponi videtur, quia nulla ratio ſuppetit, cur ſingularis illa foraminis ovalis & canalis arterioſi conformatio, poſt partum demum mutationem ſubiens, ratione prorſus admiranda adornata fuerit, ſi pulmones, pectus & ſeptum transverſum ante partum æque, ac poſt illum, ſe movere & ſanguinis per pulmones circuitum, cujus cauſſa reſpiratio potiſſimum fit, promovere poſſent, id quod fuſius expoſui in *diſſ. epiſtolica de differentiis quibusdam inter hominem naſcendum & natum intercedentibus Norimb. a. 1736. typis excuſa, coroll. XI. p. 57. - 102.* Probata autem reſpirationis veræ in fœtu impoſſibilitate, non poteſt fieri, quin inter pulmones, qui nunquam, et qui vel ſemel tantum, liberum aërem hauſerunt, magna intercedat differentia, tum coloris tum ponderis ratione: quam diu enim membranoſa pulmonum ſubſtantia innumeras veſiculas componens ita inter ſe contigua eſt, ut ſola vaſcula ſanguiveha illas intercedant, neceſſario color rubicundus his proprius magis condenſatus & intenſus apparet; e contrario, quam primum veſiculæ ab accedente aëre libero & omnis coloris experte veſiculæ diaphanæ diſtenduntur, color rubicundus vaſculorum rarior & per conſequens dilutior redditur; quouſque vero aër corporibus copioſe immixtus eorum pondus imminuere valeat, res eſt notiſſima. Quantacunque autem ſint argumenta ex colore & pondere pulmonum, vel in ſtatu fœtus integerrimo, ad reſpirationem vel nunquam vel unquam inchoatam probandam petenda, ea tamen ſola non ſufficiunt ad formandum certum judicium, num fœtus jam ante partum, an poſt eum demum vitam amiſerit, id quod celeberr. HEBENSTREIT in *Diſſertatione Lipſiæ 1737. ventilata, qua funiculi umbilicalis humani pathologiam proponit*, per quam ſolide monet his verbis: *Eſt in experimento pulmonum aquæ immerſorum, adſignificandum infantis ante natales obitum, haud levis inſufficientia, ſiquidem, quando illi in aqua fundum petunt, aëris commercio haud uſos fuiſſe, adeoque infantem haud inſpiraſſe, equidem intelli-*

intelligitur; aſt, non vixiſſe poſt partum, id eſt, actionem cordis haud exercuiſſe, iſto tentamine non clare liquet. Vivunt infantes, ſi languidi aut calvaria afflicti naſcuntur, nec reſpirant ſubito, quapropter illos obſtetrices ad inſpirandum vi compellunt, clunibus manu cæſis. Fieri ergo poterit factumque haud ſemel eſt, quo impia mater in ipſo vitæ limine vivum, nec dum reſpirantem, advenam occidat, quapropter occultaretur & impune maneret atrox crimen, ſi pro tali, qui ante partum vivere deſierit, haberetur infans, cujus pulmones demerguntur. Quemadmodum autem vi rationum adductarum dari poſſunt caſus, ubi, infante iam quidem vivo nato, ſed mox enecato, pulmones nondum aerem inſpirarunt, atque propterea nec colorem mutarunt, nec aqua leviores redditi fuerunt; ita forſan e contrario caſus occurrere poſſunt, ubi fœtus ante egreſſum ex matris gremio vitam quidem amiſit, ſed nihilominus jam antea reſpirans pulmones aere replevit, in partu nimirum laborioſo & poſt effluxum omnium aquarum diu adhuc protracto: num enim ſub his quoque circumſtantiis fœtus in utero adhuc commorati reſpiratio vera impoſſibilis ſit, ulteriori adhuc indiget probatione, ex illis caſibus potiſſimum petenda, ubi honeſtis & ab omni culpa liberis uxoribus triſte hoc fatum contigerit. Facilius adhuc idem evenire poſſe videtur, quando, toto capite in liberum aerem jam producto, impedimentum accedit, quo minus reliquum corpuſculum illico ſequatur. His ergo in caſibus partus, ſecundum ſigna ex pulmonibus petenda, vivus natus videri poteſt, qui jam ante partum abſolutum, nulla vi poſt partum illata, vita privatus fuit. Quanquam autem ſub his circumſtantiis fœtus ſuo fato & abſque puerperæ culpa vitam amittere queat, attamen ſi hoc contingat manuum obſtetricantium auxilio poſthabito, puerpera has ſtudioſe negligens non minus infanticidii rea fieret, quam ſi ſuis ipſa manibus miſerum enecuiſſet: in poſteriori certe caſu, ubi caput infantis lucem jam aſpexit, ad partum feliciter abſolvendum manus tantum requiruntur auxiliares

Unicus adhuc caſus ſingularis ſilentio hic prætereundus non eſt, ille nempe, qui in *Fr.* HOFFMANNI *medicin. conſultator. Part. I. p. 10. ſeqq.* relatus legitur, ubi ſcilicet judicatur, pulmones recens nati infantis tum colorem ex rubicundo albicantem, tum ſubſtantiam raram & levem exhibuiſſe, atque præterea, experimento omni circumſpectione inſtituto, aquæ ſupernataſſe, non quia reſpiraverit infans, ſed quia puerperæ mater infanti, jam quidem mortuo, ſed adhuc calenti, ad excitandam reſpirationem ſpiritum inflare annila ſit.

Si vero in integro fœtus examinandi ſtatu vitæ & mortis ſigna ex ſolis pulmonibus petenda ſunt dubia, multo minus iisdem labe quadam præternaturali affectis deprehenſis ſuperſtrui poterit firma ſententia. Præter morboſum ſtatum, cujus varia indicia cl. A. nominavit, & quibus etiam accenſeri poteſt pulmonum inflammatio (utpote cujus vi in recens natis æque, ac in adultis, pulmones tantam gravitatem adipiſci queunt, ut in aquam projecti fundum petant, teſtante iterum *Fr.* HOFFMANNO *l. c. Part. III. p. 69. & IV. p. 154. ſeqq. Conſultation. & reſponſor. med. Tom. I. p. 371. ſeqq.*), accedere etiam poteſt poſt partum fœtus ſani ſtatus præternaturalis ſignum ex pulmonibus tum coloris, tum ponderis ratione dubium reddens. Ita e. c. pulmones officio reſpirationis jam functos ex præcipiti ſuffocatione immutari poſſunt, ut non ſolum valde rubeant, verum etiam fruſtulatim aquæ injecti fundum petant, pariter teſtante *Fr.* HOFFMANNO *locis citatis;* e contrario etiam pulmones fœtus mortui nati, ceterum vero integerrimi, ſub tempeſtate calida, præſertim ſi inſpectio per aliquot dies protracta fuit, ex putrida humorum fermentatione ita immutari poſſunt, ut aquæ innatent æque, ac illi, qui ab inſpirato aere diſtenti ſunt, id quod non ſolum theoria, verum etiam teſtimonium ſæpius citati HOFFMANNI atque inſuper cl. D. D. BOESSELII ſingularis obſervatio probat (vid. *Commerc. litterar. Norimb. a. 1736. p. 3.*), præterea quoque confirmari poteſt ex eo, quod alia pariter viſcera,

etiam

etiam adultorum, v. c. cor a pulmonibus ſeparatum, lien, renes &c., ob ſolidam ſuam ſtructuram ſemper ad fundum aquæ deſcendentia, ſi eadem fermentatione putrida affecta fuerint, aquæ ſe ſubmergi amplius non patiantur, id quod ſub exercitiis anatomicis diu protractis ſæpius contigiſſe, affirmare poſſum. Quousque vero his contraria ſint experimenta a TEICHMEYERO *inſtitut. medicinæ legalis p. 238.* allata (quorum vi pulmones ex vitulis ante partum enecatis per tres ad octo dies putredini relicti & poſtea aquæ injecti equidem tardius, ſemper tamen ſucceſſive, fundum petierunt) repetitis experimentis illuſtrare, operæ pretium foret, cumprimis quia addere haud dubitavit, *quod nulla putredo, ne extrema quidem, pulmones fœtus ad eam levitatem perducere valeat, quæ reperitur in pulmonibus animalium facta prius reſpiratione vel aeris inflatione.*

Hæc ſatis declarant, ſignum vitæ & necis a pulmonibus peti ſolitum ex variis cauſſis dubium & fallax reddi poſſe.

Si reliqua ſigna ſigillatim ſub examen pariter vocantur, eadem ſententia de iisdem ferenda erit. Refertur inter hæc 1) illud ſignum, quod exhibent *ecchymoſes ſeu ſanguinis extravaſationes hic & illic in corpuſculo, præcipue vero*, ut cl. HEBENSTREIT *l. c. p. 40.* annotat, *ſub integumentis capitis communibus, multo magis ſub calvariæ oſſibus, aut intra ventriculos encephali, aut in baſi calvariæ repertæ.* Has extravaſationes derivandas eſſe a ruptura vaſorum ſanguiferorum, orta a quadam vi tunc, quando ſanguis adhuc fluidus eſt, accedente, dubio quidem caret; eaſdem vero tantum contingere in fœtu vivo & poſt partum demum, exceptionem admittit. Non ſolum enim ſanguinem in corpore etiam mortuo, ſed adhuc calente, pauliſper fluidum manere, verum etiam ex partu diuturno & laborioſo, præcipue primiparaum, in capite arctius circa uteri clauſtrum impacto ſimiles læſiones oriri poſſe, nec rationi nec experientiæ repugnat, hac tamen nota ſpecifica, ut tunc ſimul capitis partes vario modo dislocatæ

ſeu diſtortæ, aut ſaltem compreſſæ compareant, ceterum tamen iterum neglectum obſtetricis auxilium accuſandum veniat. Alius præterea caſus attentionem meretur, cujus mentionem facit ſæpius laudatus HEBENSTREIT l. c. p. 43, his verbis: *etiamſi calva infantis fracta depreſſave ſit, ſanguisque ſub tegumentis ſubque calvæ oſſibus collectus violentam mortis cauſſam fuiſſe indicet, hanc tamen a ſe, ne manum violentam intuliſſe videatur, in præcipitem inopinatumque partum infanticida coniiciet, quo, cum gravidam ſe ignoraret, correpta, in ſublimi loco ſtans, infantem de ſe in pavimenta præciciptem habuerit;* ſed addit mox: *cujus præcipitii ſignum ex rupto inque fibras diviſo funiculo clarum ſit atque evidens*, dum contrarium præciſus funiculus manifeſtat. Hæc omnia ad ecchymoſes læſionesve aliarum corporis partium applicari poſſe, unusquisque facile perſpiciet, iis tamen exceptis, quæ a partus laborioſi violentia, vel ex præcipiti lapſu fœtus in pavimentum, deduci nequeunt, quales e. c. ex contorſione vertebrarum deprehendit cl. auctor in caſu propoſito, & quibus laudanda circumſpectione ſuum judicium præcipue ſuperſtruxit. 2) Aliud ſignum depromitur *ex ligatura funiculi umbilicalis poſt partum vel facta vel omiſſa:* propter omiſſam hanc ligaturam letales per eundem funiculum ortas fuiſſe hæmarrhagias, quam plurimæ teſtantur obſervationes, quare multis dictus funiculus non ligatus deprehenſus ſufficiebat, ut puerperam infanticidii ream declararent (conf. *Comm. litt. Nor. a. 1735. p. 368.*). Quum vero alii reperiſſent, non obſtante ligatura intermiſſa, ex funiculo & propius ad infantis abdomen & remotius ab illo vel rupto vel præciſo nihilominus nullam letalem ſanguinis effuſionem ſubſequutam eſſe (exempla reperiuntur in *Commerc. litt. Norimb. a. 1733. p. 159. & p. 377., a. 1734. p. 219. & a. 1735. p. 10. & 403.*), rectius nunc monetur, in diſquiſitione ejusmodi caſus & relatione ſuper illo facienda non ſubſiſtendum eſſe in annotanda funiculi vinctura omiſſa & forſan aliqua ſanguinis per eundem effuſione reperta, ſed ulterius inveſtigandum eſſe, num propter hanc letalis

letalis hæmorrhagia acciderit nec ne, ex vaſis fœtus majoribus, vena nempe portae & cava, itemque cordis auriculis atque ventriculis, a ſanguine vel vacuis vel repletis repertis dignoſcenda: vid. *Actorum horum Vol. II. Schol. p. 116. Commerc. litt. Norimb. a. 1733. p. 395. a. 1734. p. 194. ſeq. & 220. a. 1735. p. 401. 402.* & conf. HEBENSTREIT *l. c. p. 40. 42. 43.* Hæc autem cautela non ſolum circa funiculum non ligatum repertum, ſed etiam circa ejus ligaturam deprehenſam erit obſervanda: quodſi enim mater tam aſtuta, quam crudelis, inſtructa eſſet, partum ſuum ex funiculo non ligato vitam perdere, hoc autem factum eſſe, ex non ligato funiculo cognoſci poſſe; quodſi, inquam, propterea foetum ex tali hæmorrhagia perire ſineret, deinde vero, ad celandum hoc facinus, funiculum ligaret: nonne illud occultum maneret, ſi ex ſola ligatura facta judicium ferretur? 3) Aliud adhuc ſignum ex funiculo umbilicali deſumendum indicat cl. HEBENSTREIT p. 39. his verbis: *eorum fœtuum, qui vivi in lucem ſunt editi, funes vegeti ſunt vaſisque ſuis ſanguine aliquantulum replentur: aſt eorum funes, qui mortui emiſſi ſunt, flaccent, uti in gemellis* (quorum hiſtoriam in citata diſſertatione tradit) *nunc video, quorum, qui vivus lucem aſpexit, conſorte uteri mortuo autem edito, plenum rotundulumque funiculum, alter, qui ante nativitatem demortuus eſt, eundem marcidum ſecum in lucem attulit.* Hoc circa ſignum tamen etiam animadvertendum eſt, num reliquus nati habitus de ſana ejus conſtitutione teſtetur, numque inſpectio mortui fœtus ſtatim poſt partum, an demum poſt putridam fermentationem accedentem inſtituatur. 4) Peculiare adhuc ſignum a *veſica urinaria* petendum indigitavit idem cl. Vir *p. 16.* Poſtquam enim illam controverſiam, num allantoidea ejuſque nexus cum veſica urinaria etiam reperiatur in fœtu humano, examinavit, & illorum ſententiæ, qui negativam tuentur & contra affirmant, tantam in veſica non colligi urinæ vim, quæ retineri & ad partus uſque terminum ſervari haud poſſit, ſubſcripſit; ipſe porro eam veſicæ fœtus amplitudinem cum illa adulti comparatam (quam flatu diſtentam fig. 2. ſiſtit, quamque

ex fœtu ſeptem menſium in naturali ſitu & extenſione etiam delineandam curavi in *diſſertat. de differ. inter hominem nat. & naſc. ſupra citata, tab. V. fig. 71. 72. conf. p. 102.*) invenit, ut continendæ urinæ ad partus uſque terminum par eſſe poſſit; denique ex HENNING. ARNISÆI (*de partus legitimi termino Francof. 1641. p. 258.*) obſervatione monitus fuit, quod ſtatim ac in lucem exivit fœtus, urinam dimittat largiter: concludit, *inter ſigna fœtus vivi in lucem editi illud haud ultimum eſſe, ſi ejus veſica urinaria vacua reperiatur, claro indicio, illum actionem aliquam, quæ tantum vivo homini competit, exercuiſſe.* Quemadmodum autem obſervatur, meconium, cujus æque, ac urinæ, ante partum excretio nulla fit, in partu difficili a vivis etiam infantibus ex nimia abdominis compreſſione nonnunquam dimitti, ita cum urina idem accidere poſſe, vero ſimile eſt.

Atque hæc circa ſigna primaria, ſecundum quæ de fœtu vel vivo vel mortuo in lucem edito in relationibus medico-forenſibus judicari ſolet, allata ſufficiant. Satis ex iisdem patere opinor, 1) unicuique eorum ſuam vim probandi non quidem penitus denegandam, attamen etiam cuivis ſoli ſententiæ ferendæ robur haud facile concedendum, ſed potius plura colligenda & unum per alterum illuſtrandum & confirmandum eſſe; 2) circumſtantias ſingulas accuratiſſime indagandas eſſe, ut diſcerni queant, quæ ex ſtatu præternaturali vel morboſo, itemque ex partu difficili vel præcipiti, contingere, & quæ non, niſi a vi ſcelerate illata, deduci poſſunt. Quam arduum vero negotium, quaque circumſpectione opus ſit ejusmodi in caſibus certi quid pronunciare, & officio pariter ac conſcientiæ ſatisfacere, ultro liquet. Conf. cum his *Actor. horum Vol. II. obſ. XXVIII. ejusque ſcholion.* Accedit præterea, quod fomentatio recens nati ad vitam ſuſtentandam tam neceſſaria ſæpe ſæpius neglecta (de qua fuſius egi in *Commerc. litt. a. 1734. p. 220. ſeq.*) difficilius adhuc cognoſci queat. Intelligitur hinc ratio ſufficiens, cur Perill. Reipubl. Norimb. Senatus conſulto quodam omnes illæ feminæ, quæ graviditatem ad partus uſque terminum celant & clam omnibus fœtum mortuum pariunt, infanticidii reæ declarentur, ſi vel dubium quoddam ſuperſit, num iſte poſt partum adhuc vixerit.

C. J. T.

COMMENTATIUNCULA,

QUA

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI

REGIS SARMATARUM ET ELECTORIS SAXONIÆ,

FRIDERICI AUGUSTI,

JUSSU ET AUCTORITATE,

JUDICIUM & CONSILIUM
OECONOMICUM

SUBMISSISSIME & HUMILLIME EXHIBETUR,

LUEM,

BUBULUM GENUS HUC USQUE CONFICIENTEM,
DEPELLENDI & CONTAGIOSUM MORBUM, QUOCUNQUE FIERI POTEST STUDIO, PRÆSERVANDI ET SANANDI.

AUCTORE

GOTTWALDO SCHUSTERO,

MEDICO DOCTORE, PHYSICO REGIO ELECTORALI SAXONICO CHEMNITIENSI ITEMQUE ACADEMICO CURIOSO.

M. D. C C. X L. V I I.

CELEBERRIMÆ
PER
UNIVERSAM EUROPAM
ACADEMIÆ
IMPERIALI
LEOPOLDINO-CAROLINO-FRANCISCANÆ
NATURÆ CURIOSORUM
JUSTA VENERARIONE

SACRUM.

In luem, boum genus pernitioſe extinguentem, commentaturus, ante omnia curatius indagandum eſſe exiſtimo, an ex contagioſa, an ſporadica, quam vocant, cauſa, ejus origo petenda ſit? Pro quo fine obtinendo, in internam viſcerum ſtructuram inquirere, eorumque nexum, ſitum, colorem, lævorem, mollitiem, duritiem ſimiliaque omnia, & fluidarum partium habitum ſedulo indagare, oculisque inſpicere, neceſſe eſt. Oportet etiam bruta, luis vi enecata, in rerum œconomicarum periti, & prudentis viri, conſpectu incidere, pulmones, cor, & quæ ad hoc pertinent vaſa, cruorem vehentia, ventriculos, rumen nempe, reticulum, omaſum, abomaſum, hepar &c. perveſtigare; Sebum, in calida liquatum, num fœtorem ſpargat, examinare, & alia, quæ infectum corpus produnt, ſpectare. Compertis enim corporum, & rerum naturalium cauſis, tanto præſentiora auxilia medica, quibus furenti morbo ſtimulus excutitur, ferri poſſunt. Homines & bruta, in morbis ferendis, pari ambulant paſſu, dum in utroque genere varii morbi, ex variis cauſis oriuntur. Hinc VEGETIUS: *non minus multa & obſcura valetudines, in internis animalium, quam hominum, exiſtere conſueverunt: imo, ſi verum quærimus, prope pares atque conſimiles ſumus, ſola mente præſtamus: corporis vero natura communis eſt, maxime in doloribus. Art. veterinar. L. I. cap. 39.* De morbi contagio, in vicu *Gahlenz*, nos ſequentia rationum monumenta certos reddunt. Retulit prætor & feudi poſſeſſor in acta publica, luem, quam primum in ſtabulo unum alterumque armentitium pecus invaſit, non remiſiſſe, antequam ad unum omnes boves perdidiſſet. Omnibus vero epidemiis id peculiare ineſt, quod communem cauſam habeant, ſive ab aëris vitio, ſive a corruptis alimentis, aut ab aliquo contagioſo fomite, prognata fuerit, quodq; ab uno corpore in aliud transmigret, & ipſi eandem labem communicet. Exinde igitur perſpicimus, ſubtiliſſimam eamque halituoſam particulam, & tenuiſſimum miaſma eſſe, quod portentoſæ cladi originem dedit &, in modum au-

ræ ſumme noxiæ, ex altero bove in alterum progredi potuit. Quam in rem omnes quoque veterinariæ artis Scriptores, & ſagaciſſimi noſtra ætate Phyſici, LANCISIUS, RAMAZZINUS, HOFFMANN, FURSTENAU, SCHREIBER, GOHL, WAGNER, TEXTOR, ENS & BEHRENS loquuntur, ut plures in Anglia taceamus, qui in variis documentis ſuis de hac re erudite diſſerunt. Confirmant enim iſti viri omnes inconcuſſis ratiociniis, contagioſam boum ſtragem pro cauſa nihil aliud, niſi tale virus agnoſcere, quod erodendi, inflammandi & putreſcendi virtute præditum ſit. Licet autem hoc ipſum manifeſto appareat, ſimul tamen etiam addendum eſt, remotam tantæ infectionis cauſam, noviſſime prodeuntem, quam etiam corporis facultatem ſeu diſpoſitionem, epidemiam talem recipiendi, jam diu, adminimum elabente æſtate, in animalium viſceribus poſitam fuiſſe. *Non enim ſubito*, inquit Patavinus Profeſſor, RAMAZZINUS, *ac bos aliquis venenum iſtud hauſerit, vel quoquo modo illud ſuſceperit, non illico inquam, virulentiam perſentit; ut qui a cane rabido commorſi fuerint, ad longum tempus ſibi ſani videantur, at poſtea, ex improviſo, ad aquæ conſpectum palam faciunt, quam dirum venenum intus geſtarent. Diſſ. de contagioſ. epid. boum.*

Suppetunt hæc verba nobis concludendi argumentum, uno oſcitante bove, alterum oſcitare, uno ægrotante, alterum ægrotare, cumprimis vero ille, cujus corpus, de quo alio tempore retuli, jam ante, quam contactum ſit, ad morbum inclinare videtur. Facillime enim hoc animal in contagium rapi, occultumque venenum, more variolarum, excitari, & in motum fermentationis accendi poſſe, exploratum eſt. Quæ de corporum facilitate ad inficiendum propoſui, ea teſtimonio quodam, ex WREDENII *de hac lue Commentatione* §. 25. petito, evincam; ita enim ille ſcribit: *nullum contagium, quacunque etiam ratione contingat, tam brevi tempore nidum in corpore texit, niſi certam quandam diſpoſitionem in animali ſuppoſueris, quæ illud recipit. Eſt vero hæc ipſa maſſa ſanguinea,*

guinea, ad ſpiſſeſcentiam & putreſcentiam facilis, quæ luem in animalium corporibus generat, quam primum dicta diſpoſitio, per contagium, ad agendum concitata eſt.

Non eſt, quod dubites, carne veſcentes, aliam aliamque malignam particulam, quæ in fibris & villis latet, comedere; ſed Dei ſumma benignitas celebranda eſt, quo minus corpori damnum & perniciem, ſed benedictione purgata, & in ſuccum & ſanguinem converſa, firmitatem adferat. Etenim etiamſi bos, inquit RAMAZZINUS, antequam ad lanienam ducatur, fuerit obſervatus vegetus atque hilaris, ac poſtea, in illo jugulato & excoriato nullæ in viſceribus deprehendantur corruptionis notæ, quæ in ceteris, qui ex hoc morbo intereant, deprehenduntur, attamen certi non ſumus, quod bos ille contagioſum fomitem non geſtaret, quod aliis etiam communicare poſſet. Credibile eſt enim, paucos apud nos eſſe boves, qui adflatum hunc malignum non perſenſerint, licet ſani degant: morboſi enim ſeminii ea eſt ſubdola malitia, ut hominum judicia non raro fallat; perſæpe enim evenit, ut qui illud in ſe continet, & ſecum circumfert, læſionem nullam ſentiat, nec forſitan ſenſurus ſit, in alium tamen ejusdem ſpeciei poſſit facile transferre.

Quidni? Theodoricus SCHENCKIUS *in hiſt. human. gen. cap.* 2. & Fabius PAULINUS, Medicus Utinenſis, in ea ſunt ſententia, carnem infecti bovis eſui adhibitam innoxiam eſſe, ſi, antequam mactetur, fortiter agitatus, aut caro, in cibum vocanda, ſale & aceto probe macerata fuerit. Ad confirmandam ſententiam addunt, quod contagium peculiare & ſpecificum ſit, nulli animali, excepto bove, infeſtum.

Calculum cum RAMAZZINO non adjicio, quamvis hoc fieri poſſe, ex facili dixerim.

Advertes etiam, ſi mentis nervos intendis, putridos vapores, & contagium, nulli armenti progeniei, niſi illi, ex qua profecta

l 2 ſunt

ſunt, jacturæ & detrimento eſſe. Conſule, ſi lubet, HIPPOCRATEM, *libro de flat. edit. Foeſ.* p. 297. Similiter etiam *Comment. noſtr.* ubi *de ſympathica ſecundinarum in corpus actione*, verba fecimus, itemque *Method. medendi noſtr. Part. II. L. V. c. 8. §. 1. & 2.*

Præmiſſis generatim, in hanc rem animadverſionibus, incumbit mihi, ut eo, qui in natura, experientia & ratione poſitus eſt, ordine progrediar, & ſpecialem tractationem peſtiferæ febris, quæ tauros, quæ boves, vaccam & omnem ejus juvencum inficere ſolet, tradam. Prius autem, quam orationem exordiar, de febris genio, ex optimis mulo-medicinæ ſcriptoribus, exponam.

§. I.

Hiſtoria morbi.

De morbo cognoſcendo jam acturus, ante omnia notandum eſſe duco, bovis, ſi lue contaminatus eſt, has eſſe notas: rigore corripitur & toto corpore tremit, pili criſtarum inſtar eriguntur, extremæ partes, pedes, aures, naſus frigent, &, ut multa paucis referam, epidemica ſtrages, quemcunque bovem arripuerit, horrore prehendit, quem paulo poſt, omnibus in partibus, calor ſequitur & ardor excipit. Armentum, venenato morbo pollutum, ſubmiſſo capite ſe ſuſtinere vix poteſt, torpidum eſt, & devorandi cupidine vacat: oculi turbidi ſunt, lacrymant, humor & mucus, natura ſpiſſior, ex naribus defluit: Spiritus celer eſt, halitus fœtet, calet. *Signa febricitantis bovis*, inquit COLUMELLA, *manantes lacrymæ, gravatum caput, oculi compreſſi, fluidum ſalivis os, longior & cum quodam impedimento tractus ſpiritus, & interdum cum gemitu. Lib. de re ruſt. VI. cap. 9.* Conf. VEGET. *de Mulo-medicin. L. I. c. 29.* Lingua, fauces & hiatus oris torrent, ita, ut etiam nigreſcant; in labiis, oris rictu & collo puſtulæ, vel bubones, citius, quam par eſt, accedunt, quæ æſtuant, ſuppurant,

purant, & pus tetri odoris ſtillant. Id, quod periculum alit, maxime eſt alvi fluxus; ſunt & convulſiones. Aliis renes clauduntur, aliis ventriculus, aut ſeptum convellitur: & qui occumbunt, quinto vel ſeptimo die, ex morbi acutie, pereunt. Si quid vero eſt, quod, inciſo poſt mortem corpore, conſpectui ſubjicitur, collum, œſophagum & ventres maximam partem puſtulis, veſiculis & id genus aliis maculis obſita reperiunt. In ventriculo materia fluctuat, quæ peſſime olet: inflammatio & livor inteſtina habet, & ex aliis, rectum occupat ulcus, fere perpetuum. Iisdem ſymptomatibus, ſcilicet inflammatione, ulcere, pulmones tentantur, quemadmodum omnium optime ARISTOTELES obſervavit: indicium morbi in bove eſt, ut demiſſæ aures flacceant, & ut comedere nequeant, brevi moriuntur, adapertisque pulmo inſpicitur putris. *Hiſtor. Animal. Lib. VIII. cap. 23.*

In veſicula fellea plus, quam in naturali ſtatu obſervatur, bilis adeſt: &, præter modo relata indicia, hoc ſingulare eſt, in cerebro & pulmone inſignes veſicas ſero turgidas reperiri, quas ſi incidis, effluit liquamen, quod putet & naſo tetram moleſtiam creat.

Omnia hæc in genere commemorata ſigna ad communem morbi hiſtoriam pertinere videntur, jam vero ea, quæ noviſſime, juſſu Potentiſſimi, indagavi & adnotavi, commemorabo.

In vicu GAHLENZ, præfecturæ Auguſtoburgi adſcripto, intra ſeptem hebdomadas, ſexaginta quatuor capita boum morbo inflammatorio, &, ut exiſtimo, dyſenterico, interierunt, quem haud inepte Darm Röthe vocant. Licet enim hoc nomen non facile in Scriptore Germanico inveniamus, morbi tamen genium ac indolem commode ſatis exprimit.

Ruricolas, damnum rei domeſticæ expertos, ordine producam, & quæ ſinguli de hoc prælio enarrarunt, ſummatim enarrabo.

Prodit molitor, referens, proxime ante feſtum Michaeli ſacrum, bovem biennem ex grege ſua, cum vicini armentario, ad

paſcendum, in agrum miſſum eſſe, qui in ſtabulum rediens, pabulum nauſeat & ægrotat; & cum reliquæ bovinæ pecudes id, quod de pabulo relictum erat, devorarent, uno omnes contagioſo morbo infectæ ſunt, qui eodem etiam tempore morbus in vicini ſui boves impetum fecit.

Prima perniciei nota fuit defectus appetitus & lactis, & ſi quid comederint, parum miſcelæ ex paleis confectæ & ebullitæ, potus quoque, urgente licet æſtu, non niſi parcus fuit. Collum omnibus tumuit, fervuit, caluit: labra ſalivam manarunt, &, vix ſexto die ſuperato, vita defecerunt. Bruta, durante morbo teterrimum fœtorem ſpirarunt, id quod etiam de aura exhalante ipſisque excrementis præter morem obſervatum fuit. Nihil eſt, quod de tremore, de horrore, rigore, aut capitis demiſſione referam, hæc enim relationes tacent; caput aliis potius alacre viſum eſt: ubi vero dimidium diei anhelarent, exſpirarunt.

Inciſis cadaveribus, in omnium inteſtinis cruorem deprehendit excoriator, licet animalia in vita nullum ſanguinem, vel purulentam materiam, per alvum, quæ cita fuit, deponerent. Morticinæ carnes ſanorum haud abſimiles viſæ ſunt.

Alius villicus, quem contagioſa clades viginti & duobus, ex armentitio pecore, orbavit, luem furi, noctu irrumpenti, comparat, quatriduo enim vix elapſo, plurimos boves ex grege vivos & mortuos vidit: tribus exceptis, quorum duo quinque aut ſex, unicus autem novem dies, laborarunt. Initium morbi languor, nauſea & tuſſis fuit, ſed non perpetuo: nunquam enim huic, quod illi, accidit; in eo tamen ægrotantes boves conveniunt omnes, quod angina & diarrhœa ægrotarent. Sed quod obſervatu dignum cenſeo, una ex vaccis ſtatim, cum febris ingreſſu, ſanguinem minxiſſe dicitur; quædam vix conciderunt, quin ob putredinem inflarentur; nullæ tamen ex hac cohorte tremorem muſculorum paſſæ ſunt. Detracta cute, & ventre aperto, in quinque cadaveribus inſignem cruoris copiam, in inteſtina effuſam, conſpexerunt? quo tem-

tempore coriatori deglubendi poteſtas non amplius conceſſa eſt. In reliquis, quæ cum aliis communes ſunt, circumſtantiis, hic nihil moramur. Bos novellus, duos annos vix egreſſus, ex morbo convaluit, &, quod mirum eſt, cibum, quem reliqui neglexerant, comedit.

Deinceps tertius villicus, præter recenſita morbi peſtiferi ſigna, narrat, contagionem in bovili quatuor & decem dies, poſt feſti Michaelis ferias, cum tuſſi inceptam, & lactis exſiccationem ſecutam eſſe. Aliis, bubuli generis, nervi vehementer tenſi ſunt, aliis fauces, ob æſtuantem calorem, torruere, fluxit ex oculis lympha & alvus citatior fuit. Peſtis hæcce, intra triduum, decem capita boum necavit: quam tamen duæ vaccæ, totidemque juvenci feliciter ſuperarunt, quibus nunc pili ex cauda defluunt.

Ea, quæ colonus, ordine quartus, de damno tredecim boum, in re familiari paſſo, retulit, hactenus relatis ad verbum conſentanea ſunt.

Tandem aſſurgit quintus, cui pernicioſa lues decem ex grege armentorum eripuit: duo vero, ex bobus, in periculum non venerunt. Omnia, de quibus conqueritur, eo tendunt, de quo jam prægreſſi conqueſti ſunt. Faſtidioſa, poſt mortem animalium, putreſcentia protinus tanta fuit, ut ſaniem ex naribus ejiceret, cadaverum intumeſcentiam, & abominandum morticinumque fœtorem relinqueret, qui vix & ne vix quidem intra quatuordecim dies, depelli potuit. Sed cum jam de hiſtoria ſatis diximus, nunc de cauſis quædam monebimus.

§. II.

Cauſarum evolutio.

In contagionis cauſam non inaniter inquiſiturus, eam eſſe oportet arbitror, quæ morbi conſentaneis effectibus, producendis, apta ſit atque idonea. Eruenda cauſa ita ſit comparata, ut ex ea omnia ſym-

ſymptomata hujus morbi, nec plura, nec pauciora, convenienter tamen, proveniant, ſcilicet in bubulo jumento labra ſalivoſa, ardor colli, tuſſis, lymphæ ex oculis manatio, ex rei neceſſitate ſequantur. Sit cauſa, quæ comedendi deſiderium cum nauſea commutat, & lactis proventum, ſtatim in principio, depellit uberaque exſiccat. Tantopere penetrare & efficere eam intellexerunt agricolæ, ut, opinione celerius, ſpiritum ex ore exhalantem in putidam auram, & excrementa, quæ cita alvo prodierunt, in putorem fere intolerabilem, & qui in ſanis nunquam deprehenditur, converteret. Nec reticenda vehemens illa virtus, qua ejusmodi veneni indolem geſſit, quæ celerrime pecora tollit, & cadaver putri inflatione deformat.

Quantumvis ex hactenus dictis ſatis perſpicuum eſt, nos contagioſam cauſam, quæ tantos effectus operatur, ſubintellectam velle: noluimus tamen, cum mox in commentationis principio luis cauſam in ſporadicam & epidemicam diviſerimus, quæ ad illius morbi originem conferunt, ſicco pede tranſire.

Refertur proinde inter cauſas in hoc genere, ſi bubulum animal vel fortiori labore agitatum, vel alio motu exæſtuatum, pro extinguenda ſiti, aquam avidius deglutiat; aut ſi nimis deſiccato, & calidiori quidem, pabulo veſcatur, cui plane nulla, aut inſufficiente copia, adfuſa aut intermixta fuerit aqua. Solent enim pecora ex hoc comeſto pabulo, nulla interjecta mora, potum vehementius cupidiusque appetere, qui ſi nimis frigidus datur, lymphæ & ſanguinis motum in glandulis & vaſculis faucium & colli tenerioribus, quæ ſecretioni inſerviunt, vel in tantum inhibet, vel in totum ſiſtit. Ad eandem cauſarum claſſem pertinent paſcua, erodente rore aduſta, vel ſi prata, verno tempore, bruchis, araneolis, aliisque intoxicatis inſectis, & multifaria vermium & vermiculorum progenie, venenata ſunt; ut ne ſepedes, ſpondylas, vulturis pediculos, lampyrides, pyrauſtas, papiliones, gryllos bupreſtes & ſexcenta alia inſecta,

pecori

pecori nocentia, cogitemus. Quo loco etiam illi peſſimus carnificum mos taxandus eſt, cum excoriata, deglubitis pellibus, cadavera, lue quadam demortua, in agris libere exponunt, non defodiunt, quorum tamen morticinus fœtor gramina & auram longe lateq; inficit, atque bruto & homini deteſtabili modo nocet. Eandem cenſuram meretur aer æſtate calidiſſimus, veſpis, muſcis, culicibus & aliis inſectis minimis volucribus plenus, horumque perſpiratione acris, & non raro ſumme cauſticus & peſtiferus factus: quam deinde venenatam auram pecora multo minus, quam homines, ne hauriant, evitare queunt. Conf. noſtr. *Method. medend. Part. I. Lib. IV. cap. 14.* Ac ſi, ex majori inopia & defectu pabuli, animalia exſatiari non poſſunt, hincque loco laudabilis fœni cum aliis inconſuetis frugibus, frondibus, foliis & oleribus aluntur, quod hieme præcoci, & in menſes vernos producta, fieri aſſolet, profecto nemo tum mirabitur, ſi natura boum immutetur, & ex defectu boni cibi pœnam luat. Contrahunt enim, ex omnibus his rebus, pecora plerumque urentes puſtulas, furentia tubercula, &, quæ ſæpius mali moris ſunt, intomata. Similiter accidit, ubi boves, ingrediente autumno, varii generis braſſica, ab erucarum & camparum colluvie depaſta, vel perurente pruina carioſa facta, pabulantur, ut poſthinc ex facili ægrotent. Quodſi vero eodem tempore cœlum interdiu craſſioribus nubeculis circumfuſum eſt, quæ prata & agros nimium humectant, ſane non poſſunt non pecora, paſcendum miſſa, cum frigido & humido gramine cujusvis labis cauſam aſſumere.

Atque hæc ſunt illæ demonſtratæ cauſæ, quæ malum ſporadice, ſive, ut expreſſius eloquar, citra commune contagium, generant, efficiunt, producunt. Non tamen hæc, quæcunque enarrata ſunt, ita intelligimus, tanquam talis morbus vera lues & peſtis vocanda eſſet, ſed tantummodo, ut lui ſeu peſti, in plurimis nonnunquam ſymptomatibus, majorem partem, niſi maximam, æquiparetur. Luem

enim & peſtem, ſtragem vel cladem eum perpetuo nominamus morbum, qui epidemius, pandemius & contagioſus eſt, & per infectionem vel miaſma quoddam commune oriri, vel produci ſolet.

Etſi hoc ipſum per nos quoque liceat, morbum quemcunque contagioſum, concurſu ſupra relatarum cauſarum, ex ſporadica claſſe, tanto facilius, ut alio loco exponemus, ex uno corpore in aliud tranſcendere poſſe.

Quo tamen etiam in miaſmatis naturam paulo interius penetremus, ſcire licet, miaſma nobis vocari materiam fermentativam & corruptivam, quæ motu inteſtino unionem & texturam corporum mixtorum reſolvit & deſtruit, ſimilemque motum & craſin, in qua materia hæc conſtituta eſt, inducit. Equidem non primo & proxime in ſanguinem, ſed potius in ſuccum lymphaticum, qui præ ſanguine ſubtilioris & fermentativæ indolis & præcipue ſalivalis dicitur, miaſma & contagium agere, eique ſimilem motum ac texturam imprimere, adeoque ſimili corruptione eundem contaminare, cum omnibus doctoribus facile conceſſerim: primum, quod nullus humor in univerſo omnium animalium corpore eſt, qui ad fermentationem & intimam partium, quæ corpus conſtituunt, mixtionem diſſolvendam proclivior eſt, quam modo dictus ſalivalis latex: deinde, quod iſte latex admodum ſpirituoſæ & mobilis naturæ eſt, ut ſic citra omnem difficultatem fermentum & miaſma malignum, ſeu virulentum, quod pariter agillimæ naturæ eſt, & in mobiliſſimo vehiculo, aere, vehitur, recipere & propagare poteſt.

Attamen vero, cum fœtida putredo, in quam animalia modo in vita, modo poſt mortem, abeunt, non tam ſubtilioris lymphaticæ, quam potius ſanguineæ, corruptionis ſit, dum purus humor unus omnium humorum vitalium ſulphureus, itemque ſulphur copioſum eminentioris fœtoris & putredinis cauſa eſt: certe, his ex propoſitis argumentis nobis colligere datur: ubicunque, aut in animali ægrotante, aut in cadavere, fœtor nares lædit teterrimus & putida

putida aura, ibi ſummam quoque ſanguinis & ſanguineorum viſcerum corruptionem præſentem eſſe, neceſſe eſt: Q. E. D.

Hæc præmiſimus hoc nomine, ut tanto exactius modum, quo hæc omnia effecta ſunt, inveſtigaremus. Cenſemus enim, contagioſam materiam ſubtiliſſimæ tenuitatis, & tenuiſſimæ ſubtilitatis, atomorum inſtar, & fere halitu adflatuque minorem, eſſe.

Nemo præfeſtinet nos argumento, omnia hæc ideo fieri, quod virus non in quolibet puſtulas, vel tubercula expellat, ſed partibus potius fluidis, quam ſolidis, inhæreat, & longe facilius ſuccos & ſanguinem, quam carnem & muſculos, inquinet: id tantum ponderandum eſſe, arbitror, tenerrimam moleculam, quam ſibi quisque maxime minimam, ut me ita explicem, & tandem indiviſibilem fingat, illi incendio fomitem præbere, a quo fauces, œſophagus & tota trachea inflammantur, & vaſculorum apices, in inteſtinis, ita eroduntur, ut animalia bruta cruorem excernant, & tunc confeſtim pereant.

Non in diſputationem ingrediar, num illa cauſa, de qua ſolliciti ſumus, contagium in abſtracto, an potius cum aere, nubecula, pruina, rore, quæ omnia nunquam non inficiunt, immixtum ſit: hoc enim jam antea conceſſimus, & ſi etiam non conceſſerimus, tamen perinde, & noſtræ indagationi parum fructus laturum eſt. Adſeverat enim *Joannes Herrmannus* FURSTENAU, in Academia Rintelenſi Medicinæ & Oeconomiæ Profeſſor primarius celeberrimus, *in Inſtit. quas de re œconomica & mulo-medicina* compoſuit, non contemnendis argumentis, luem per aliquot annos bobus damnoſam, ſereno aere, & clara luce, mirabili velocitate progreſſum feciſſe; cum e contrario morbus atrociſſimus, nubilo & turbido exiſtente cœlo; & in aere denſo, contagione ſua nullum plane ex brutorum genere pollueret. Equidem diu jam nobis conſtat, miaſma illud, proximam morbi cauſam conſtituens, [ſemel vel aliquoties, a creatione & diluvio mundi, cum FURSTENAUVIO illud productum putes] facili plane negotio, dum in aere vehitur, per os,

per nares, in animalium corpora ſubrepere, & illico ſuccis vitalibus inſertum, eorum diſſolutionem moliri.

Rem autem ut in pauca contraham & cum RAMAZZINO loquar, inquiſitionem in primam originem hujus luis, num ſcilicet bos eam aliunde ſuſceperit, vel in ipſo primum genita ſit, ad rem noſtram parum refert: neceſſario enim tandem ad aliquod animal eſt deveniendum, in quo productum fuerit morboſum ſeminium.

Stat itaque ſententia firma, cauſam, cujus vis pernicioſa eſt, & quæ tam celerrime in venas animalium ſe diffundit, interioresque partes petit, maxime ſubtilem materiam & miaſma malignum, infectivum, contagioſum eſſe, quod in membranas & nervos, quibus corporis machina conſtructa eſt, velociſſime agens, eandem deſtruit, tendit, convellit & inflammat.

Cel. ZINCKIUS cauſas quidem ſporadicas & contagioſas, quas ſupra diſtinctas eloquuti ſumus, inter ſe confundere, in eo tamen rectius ſentire videtur, ubi miaſma virulentum, celerrime, vehementer, & quadam penetrandi vi, in corpora bruta agere pronunciat. *Lex. Oecon. p. 2162.* Quam primum enim venenoſa particula in actum deducta, ſtimulata & commota eſt, pecora bubula [ſicuti in omnibus eorum partibus externis videbis] tremorem, horrorem, rigorem, febris initium, ſentiunt. Hac autem ratione fieri poſſe arbitror, ut ſanguinis maſſa, cute fortiter tenſa, in cordis cameras irruat, ſimulque ingenti celeritate recurrat, & ita pellem modo ſtringat, modo emolliat.

Fluxus iſte & refluxus ſanguinis illo, qui in ſtatu naturali ſuccedit, vehementior eſt, & calori, fervori, æſtui & inflammationi, in collo & viſceribus, nec minus perruptioni ſanguinis in inteſtinis, locum præſtat.

Interrogari me poſſe ab aliquo audio, qui fiat, ſi cauſa una, eaque ſola, contagionis ſit, cur in ſimilibus brutis non conſimiles producat effectus? jumentum enim bubulum alterum atque alterum,

rum, his & aliis ſymptomatibus afflictum, alia cum, alia ſine rigore, a morbo correpta fuiſſe, in ſuperioribus jam notatum eſt. Sed, ut meam opinionem interponam, reſpondeo: Primum animalis diſpoſitio & natura veneni, quod jam vehementer, jam paulo vehementius operatur; deinceps pars aliqua ſingulariter organica, malignam contra auram valenter ſe opponens, & ſeminium, antequam pedem fixerit, extrudens, in cauſa eſſe poteſt. RAMAZZINUS, alias exquiſite in hanc rem differens, effectum, ex contagio prodeuntem, per coagulum, non vero per ſanguinis diſſolutionem, explicat. Nemo tamen mihi vitio vertet, ſi magno viro, in magna re (boves enim, loquente CATONE, maxima diligentia curatos habeto) oppoſuero: omnia, quæcunque ſint, hujus ſtragis ſigna, a lue hodierna ne latum unguem recedentia, de diſſolutione mixtionis humorum teſtari. Hinc mirari convenit, quomodo doctiſſimo viro cauſa, effectui contraria, poterat in mentem incidere. Cum vero nihil recte ſine exemplo docetur, aut diſcitur, exemplum dabo. Quod ſi morbum cum febre maligna, purpura alba, petechiis, variolis mali moris, & aliis, quibus homines adficiuntur, comparaveris, parem rationem habet. In his enim, quo periculoſiores ſunt, & indies fiunt, non niſi ſummam ſanguinis colliqueſcentiam, &, ſi ad mortem perventum eſt, ſeri diffluentiam, notabis. RAMAZZINUS ipſe, dum ſanguinis ſpiſſeſcentiam tuetur, luis ſeminium in ſubjectis conſimilis naturæ, ex mumiali conſenſu, infinite ſeri poſſe, confirmat. Secundo, pro diverſa organorum & partium ratione, peſtifera materia jam ſolidas, jam fluidas partes, ut ſupra retuli, prehendit, corripit, & nunc citius, nunc tardius, putridum fermentum diffundit, ſicuti ex fœtida exſpiratione, tumeſcente cadavere, ſanie & lympha, quæ per fauces & nares defluxerunt, colligere licuit.

Pariter etiam ex obſervationibus compluribus quam maxime confirmatum habemus, naturam miaſmatis contagioſi, in pago *Gablenz* tantopere ſævientis, neque in ſpiſſo, neque in coagulo, ſed

tantummodo in memorata efficacia, qua humores ex craſi liqueſcunt & diffluunt, fundatam eſſe. Id quod poſt hæc, de quibus hactenus diſputavimus, modus transmigrandi declarat, liquidiſſimum nempe aeris vehiculum, quo medio, ut ſupra monuimus, contagioſus hoſtis in corpora vehementer invehitur. De hoc qui dubitat, Phyſicorum experientiam de aere!, & inter omnes *Herrmanni* BOERHAAVII, Profeſſoris Lugd. Bat. poſitiones, in *Elementis chemiæ*, tandummodo legat. Contagium ipſum, improbante licet D. D. FURSTENAU, tanto certius in animalia irrepere eaque aggredi ſolet, quanto magis aer ſqualore, putri vapore & inquinata irroratione infectus, aut impuris nubeculis denſus, corporibus imbecillitatem contraxit.

At vero quis, quæſo, poſt torridam æſtatem aera, tali mephiti corruptum, non reminiſcitur? hanc inquinationis ſpeciem, pratis illapſam, armentaria pecora cum pabulo legerunt. Contagium vero illud ita inſinuatum, indolem & genium ſpecifici veneni aſſumſit, & nulli animali, niſi ejusdem generis, exitioſum fuit.

Facillime enim ejusmodi venenum, contagium, miaſma, aut quocunque nomine illud impertire velis, per res poroſas, veſtem, lanam, crinem, pellem, corium, homines, canem, felem, capram, & ovem communicabile exiſtere, omnes Phyſici & Oeconomi, quin & ruſtici, jam dudum cognovere.

Ex quibus omnibus hactenus peroratis eluceſcere opinor, miaſma malignum duplici via, ſcilicet contactu mediato, & immediato, per animalium corpora propagari poſſe.

Dum hactenus pro cauſarum evolutione capiunda molitus ſum, nunc ad curam devolvor: *nihil enim eſt*, ſcribit CATO de re ruſtica, *quod magis expediat*, *quam boves bene curare.*

§. III.

§. III.

Curatio.

Curandi rationem hanc habemus. Invocata divini Numinis gratia, primum præſumendo remedia genus bubulum muniamus, deinde, quæ in ipſo morbi initio profectura ſint, præcipiemus. *Melius enim eſt*, inquit VEGETIUS, *diligenti ſtudio cuſtodire ſanitatem, quam ægritudinibus præſtare remedia.*

Quod itaque

I. *ad præſervandi rationem*

attinet: ea tunc in pecore ſano & incolumi locum invenit, ſi vel jam inter boves ægros quoddam degit, id quod tamen vix unquam concedi ſolet: vel ubicunque, ſalubri etiam exiſtente tempore, prudentis œconomi & villici cura eidem præcavetur. Muniendi intentio præter ea, quæ in mandato indulgentiſſimo, die VI. Octobris MDCCXLV. juſſa ſunt, his nititur monumentis:

1.) Primum omnium ſanum jumentum ab ægroto ſeparetur, & in ſpatioſo ſtabulo commoretur: illi vero, qui veterinariæ incumbunt, & ſanando bovi operam locant, de ſtabulo ſanorum recedant. Monente COLUMELLA, de re *ruſt. Lib. VI. cap. 7.*, *cum peſtilentia in gregem incidit, confeſtim mutandus eſt cœli ſtatus, & in plures partes diſtributo pecore, longinquæ regiones petendæ ſunt, atque ita ſegregandi a ſanis morbidi, ne quis interveniat, qui contagione ceteros labefaciat. Itaque cum ablegabuntur, in ea loca perducendi ſunt, quibus nullum impaſcitur pecus, ne adventu ſuo etiam illis tabem afferant.*

2.) Tempore luis epidemicæ totus armentorum grex paſcendo prohibetur, cumprimis, quando ager acri & denſa pruina irroratus eſt. *Boum enim armenta*, autore ARISTOTELE, Hiſt. animal. Lib. VIII. cap. 24. *laborant vehementius pruina ſolicitata, quam nive*:

nive: præſtat, quam diu noctis humor prata humectet, boves ad præſepia alere.

3.) Pratenſe fœnum probe aſſiccatum, vel aliud pabulum, ex quo PLINIUS ervum bubus jumentisque utiliſſimum cenſet, *Hiſtor. natural. Lib. XXII. c. 25.* prout ubertas regionis ſubminiſtrat, ſano pecori præbendum, neque minus clara limpidaque aqua, ex flumine vel fonte, potanda, exhibenda eſt: de impura enim & turbida, quæ ex piſcinis, ſtagnis & palude hauritur, nemo dubitat, quin peſſima ſit. Hinc ARISTOTELES: *Bos, niſi aqua ſit clara, frigida, atque limpida, bibere nolit.* Hiſt. Animal. Lib. VIII. cap. 24. PALLADIUS *aquæ*, inquit, *ſalubritas ſic agnoſcitur. Primum ne a lacunis, aut a palude ducatur: ne de metallis originem ſumat; ſed ſit perſpicui coloris, neque ullo & ſapore, aut odore, vitietur, nullus illi limus inſideat, frigus tepore ſuo mulceat, æſtatis incendia frigore moderetur;* de re ruſt. Lib. I. tit. 6. Conferas, ſi lubet, noſtr. *Hydrologiam mineralem medicam p. 101.*, ubi ex Poeta notas bonæ aquæ proſequuti ſumus. RAMAZZINUS tempore luis, præcipue hiemis, modicam pecoris corporaturam obtinendo, paucitatem pabuli perhibet, magisque ad incolumitatem corporis, quam corporaturam ipſam, nervis muſculisque robuſtam, & adipibus obeſam, reſpiciendum jubet. Quod etiam COLUMELLA jam dudum præcipit, *non proderit*, inquiens, *cibis ſatiari pecora, niſi omni adjuventur diligentia, ut ſalubri ſint corpore, viresque conſervent.* l. c. Lib. VI. Cap. 6.

4.) Expedit quoque, opportune præſervandi fine, in aqualiculum, ex quo boves bibunt, nitrum & fungos tiliarum trunco adhærentes injicere: præſtat tamen, arbitror, bubus interdum ſales lambendos dare. Quantum PLINIANA prophylaxis proficiat, videndum. Ita ille: *Anguina pelle & ſale, & farre cum ſerpillo contritis uno die, dejectisque cum vino in fauces boum uva maturescente, toto anno eos valere*, ſcribit Lib. XXII. cap. 25. *Hiſtor. Natural.* Nos quidem ſali plus efficaciæ, quam anguinæ pelli, cum

cum reliquis, tribuendum cenſemus. Retulit mihi quidam, tam in rebus œconomicis, quam phyſicis & medicis, peritiſſimus vir, matrem familias in uſu habere, bobus, quam primum ruminari intermittant, largam lactis ebutyrati copiam ori infundere. Id quod ſane non ſpernendum remedium eſt: effectu enim leniendi, obtundendi, obviſcandi, nec minus temperante & antiſpaſmodica virtute, multis aliis præripit palmam.

5.) Stabula quotidie ſtercore & excrementis purgato, recens ſtramen ſubſternito, ceterum pecus, oves, ſues, arceto: corticem caſcarillæ, ſuccinum, juniperi baccas prunis in teſta caute adſpergito, & fumigato. Sunt, qui juniperum, ſulphur commune & pulverem pyrium laudant. *Suffimentorum enim compoſitio*, autore VEGETIO, *faſcinum pellit, luſtrat animal, fugat dæmones, ſubmovet morbos. Odor namque fumi ac ſpiritus, per os ac nares ingrediens, penetrat ad viſcerum omnes receſſus, ac curat ſæpius loca, quæ potiones non poterunt curare. Denique deſperatos & periculoſiſſimos morbos, auctores mulo-medicinæ adſerunt, non ex pabulo, aut aquarum vitio, ſed aeris corruptione deſcendere. Et ideo facilius languorem, quem peſtilens morbus ingeſſit, ſuffimenti ſalubris hujus curat afflatus.* Art. veterinar. Lib. IV. cap. 12.

6.) Hæc, cum ita curaverimus, tum & ſacculos ex aſa fœtida, allio, camphora, præparabimus, collo alligandos. Firmum amuletum, quo caſum ſurripientis incendii evadere poteris, conficies, ſi lauri & juniperi baccas, ſemen fœnigræci, radicem angelicæ ſingulorum unciam, aſæ fœtidæ, itemque & camphoræ unciam ſemis, recipis. Species groſſe inciſas, contuſas, & duabus drachmis olei cornu cervi fœtidi conſperſas, in partes dividito æquales, & unam ex his in linteolo ad cornu alligato. Quodſi in ſtabulo quartum, quintum, vel ſextum caput, talem ſacculum geſſerit, locum perpetui ſuffitus tenebit.

7.) Veteres prudentioresque auctores, ſcribente VEGETIO, *Lib. I. cap. 22.* quotannis veris tempore, abſque neceſſitate depleri

 anima-

animalia quidem vetuerunt, ne conſuetudo imminuendi, ſi tempore aliquo facta non fuerit, ſtatim intra corpus morbum ac valetudinem generet. *Rectius ergo*, inquit, *eſt*, *minoris ætatis animalibus*, *& bene valentibus, ex nulla parte corporis ſanguinem detrahi*, *absque palato: de quo aſſidue tam minoribus*, *quam maturis*, *detrahendus eſt humor*, *ut caput*, *oculi*, *cerebrumque releventur. Maturis vero animalibus*, *non incommodum eſt*, *pulſare venam*, *cum mittuntur in paſcua.* Quibus fundamenti loco poſitis, ſtatuimus, graſſante boum lue, rectius providendi fine, & antequam ægrotant, animalia depleri, quam infecta, & morbo jam correpta.

8.) Si quod jumentum contagio propius, vel lue jam correptum ſit, & verendum, ne pereat: rationi & experientiæ congruum eſt, ſecundum Sereniſſimi edictum, ſetaceo uti. Ne unum quidem invaletudine ex bobus interemtum, qui ſetaceum geſtaret, RAMAZZINUM & FURSTENAVIUM atteſtor. Contagioſam enim materiam cum ſanie defluere & abſcedere poſſe, nequaquam dubito. In hac per ſetaceum cura multum fiduciæ pono, inprimis cum eandem jam in COLUMELLÆ Lib. de re ruſt. VI. cap. 5. de peſtilentia boum lego: *Ænea ſubula pars auriculæ latiſſima circumſcribitur, ita, ut manante ſanguine, tanquam O literæ ductus, appareat orbiculus. Hoc & intrinſecus, & ex ſuperiore parte auriculæ cum factum eſt, media pars deſcripti orbiculi eadem ſubula tranſuitur, & facto foramini radicula, quam paſtores Conſiliginem vocant, inſeritur; quam cum recens plaga comprehendit, ita continet, ut elabi poſſit: in eam deinde auriculam, omnis vis morbi, peſtilensque virus elicitur, donec pars, quæ ſubula circumſcripta eſt, demortua excidit, & minimæ partis jactura caput conſervatur.*

9.) Animalis rictum diducito, os contemplato, linguam & totum oris hiatum remedio, quod Fridericus HOFFMANNUS commendavit, defricato, abluito. Aceti vini menſuræ duæ, cum totidem manipulis herbæ rutæ coquuntur: coctum & colatum cum nitri ſemiſſe, ſalis communis una, & recentis olivarum olei quatuor

unciis

unciis miſcetur. Deinde laudat pulverem, qui componitur e chamæmeli, millefolii, teſtarum ovorum, ſingulorum ſex, lauri baccarum tribus, radicum cichorii & leviſtici, baccarum juniperi, ſeminum fœniculi & aniſi, herbæ ſcordii, nitri, ſtibii, pari pondere, ſingulorum duabus partibus. Pulveris ita conflati & probe miſti, uncia una vel altera, per biduum, per triduum, vel ingruente ſtrage quotidie, cum pabulo comedenda datur. Quidam imperatoriæ & leviſtici radices, pulmonariæ herbam, & radicem, abſinthium, omnia pari pondere, incidunt, & ſale culinari conſpergunt, mane & veſperi danda. Alii ſolum abſinthium conciſum, multo & largo ſale miſcent, & jumento in fauces manu ingerunt: bubulo generi ſalia ſuccedere, & carnem palato gratam purare, experientia certum eſt. Ex omnibus placet remedium vetuſtiſſimum, quod, præeunte VEGETIO, adverſus univerſas infirmitates & morbos boum, ubi primum cœperint ægrotare, habemus: *Radix ſcillæ, radices populi, quæ græce appellatur rhamnos (nam eſt magis fuſca & rubellula) & ſales communes, quantum ſufficit, mittes in aquam, eamque animalibus, uſque ad ſanitatem, dabis in potu. Quodſi deſperatas valetudines præoccupare volueris, ne unquam accidant animalibus tuis, incipiente vere hanc illis præparabis potionem, & per quatuordecim dies continuos dabis in potu.* Lib. III. cap. 75. Gargilius MARTIALIS in Curis boum: *bos aut aſinus ſi in morbos inciderint, ſumito ſcillæ aut rumniſæ radicem* (legendum eſt rhamni) *id eſt, ſpinam albam, quam tenerrimam, & in aquam infundito. Ex qua per dies quatuordecim bibat. Unde expurgabuntur & ſanitas conſequitur.* Remedium VEGETII & GARGILII illo antiquius litteris & memoriæ prodidit CATO Cap. LXX. *de re ruſtica.* De quo exiſtimandum: ſi etiam non ex toto illud componere, & quæ ſubintelligat PORCIUS ille antiquiſſimus, plenarie capere poſſis, unum tamen alterumque vel plura, ex horum ingredientium compoſitione delegere, & in ſatis proficuum medicamen redigere tibi conceſſum eſt.

Ita ſe habet: *Si morbum metues, ſanis dato ſalis micas III. folia laurea III. porri fibras III. ulpici ſpicas III. allii ſpicas III. thuris grana III. herbæ ſabinæ plantas III. rutæ folia III. vitis albæ caules III. fabulos albos III. carbones vivos III. vini S. III. Hæc omnia ſublimiter legi, teri, darique oportet.*

Jejunus ſiet, qui dabit. Ter triduum de ea potione unicuique bovi dato. Ita dividito, cum ter unicuique dederis, omnem abſumas. Bosque ipſus & qui dabit, facito ut uterque ſublimiter ſtent. Vaſe ligneo dato.

II. *Curatio in ipſa morbi invaſione.*

Delapſo, ex bubulo pecore, animali in pandemium morbum: eidem, quantum fieri poteſt, medicinam adhibeamus. Quum vero tam multi auctores, veterum & recentiorum temporum, de veterinaria arte & mulo-medicina commentarios ediderint, qui, ſola theoria ducti, longam remediorum ſeriem proponunt, & tantum non omnes agricolas & villicos confundunt, e re eſſe arbitror, duo totius curæ formare ſegmenta, primumque oſtendere, quæ jubentur, deinde quæ prohibentur.

A.) *Ea, quæ morbum tollunt.*

Luem variis comitari ſymptomatibus, quæ remediis exquiſitis tollenda ſunt, niſi ad interitum celeri greſſu tendere debeant, conſtat. Id tamen ſimul fiat, oportet, ut commune quoque contagium peſtiferi morbi ſuperetur. In hunc proinde ſcopum intendemus, ſi ſubtiliſſimum venenum contagioſum, quacunque fieri poſſit ratione, e corpore depellimus, neque minus viſcera, quæ nobiliora ſunt, ab imminente periculo & putreſcentia præſervamus. Omnia quam primum fiant: caſſa eſt enim medicina, quæ ſera eſt. Commoda via, qua ducente, indicationi ſatis fit, tranſpiratio eſt; ſiquidem contagium hoc modo procul a corde projicitur.

Hunc in finem pecus, lue preſſum, in ſtabulo tepide conſervandum,

vandum, & variis fomentis ex ſtramine, ſaccis & tegumentis laneis contegendum, vel calefaciendum eſt; ſæpius fricandum, ſtrigili pectendum, præcipue dorſum panno aſpero detergendum. Potus ſit aqua tepida. Alia parari poteſt potio, ſudationem movens, ſi ſtibium, pondere quatuor unciarum, vel ejus loco eadem ſulphuris caballini quantitas, in aquæ amphoram immittitur, & turbida bobus datur.

Alii aquam cum argilla alba coquunt, & tepidam, in alvi fluxu, copioſe exhibitam laudant. Quidam de paſtis lineis, ex ſemine poſt olei expreſſionem reſiduis, quidam de tritici, alii de hordei farina, boves bibere, volunt. CATO de *re ruſtica* cap. 103. amurcam, ut boves valeant, commendat. *Boves uti valeant, & curati bene ſient, & qui faſtidient cibum, uti magis cupide appetant, pabulum, quod dabis, amurca ſpargito primo paululum, dum conſueſcant, poſtea magis, & dato rarenter bibere mixtum cum aqua æquabiliter, quarto, quinto quoque die. Hoc ſi facies, ita boves & corpore curatiores erunt, & morbus abierit.* Amurca eſt recrementum expreſſum olivarum, quæ in Hiſpania, Languedocia & Italia naſcuntur. RAMAZZINUS polentam, potiones farinaceas, &, trito pane, ptiſanæ in modum coctas, adhibet; quæ potuum genera acres humores temperant & demulcent. Mandato Sereniſſimi nobis commendatur aqua picea, Theer-Waſſer, ex Anglia oriunda; quæ beneficio virtutis balſamicæ modicum ſudorem ex animalium corpore prolicere valet. Medicinæ loco, vix tamen unquam pro ordinario potu, hanc aquam bobus inſervire putaſſem. In alio mandato, de die XXIX. Nov. MDCCXLVI. quod, hoc noſtro judicio fere ad finem perducto, in conſpectum venit, duæ pulverum compoſitiones, certe mirabiles, & ſumme efficaces, Potentiſſimi auctoritate confirmantur. Sunt autem iſtæ. Rec. Florum ſulphuris libram unam, dein cum dimidia libra ſalis nitri, & uncia ſemis camphoræ ita inter ſe commiſce, ut nitro ſtudioſe tuſo ſulphuris flores, & his inter ſe mixtis tandem camphora adjiciatur.

Altera hæc eſt: Fuliginem ſplendentem & contuſam cum pulvere pyrio, pari pondere, miſceas. Horum pulverum uſus promiſcuus, non vero alternativus eſt. Illius enim, qui arridet, uncia, ſingulis ſex vel octo horis, cum aqua picea, vel furfurum tepida exhibetur & ſudor expectatur.

Chirurgus & cuſtos externus corporis Regis Britanniæ, WREDENIUS, qui haud inepte hactenus graſſatam contagioſam luem Scripto aliquo illuſtravit, quam primum unum vel alterum morbi ſignum, vel cuncta obſervantur, extemplo os ſale & aceto fricare, & ex cauda ſanguinem mittere ſuadet: hac tantum interpoſita cautela, ne jam in morbo tentatis id fiat. Hoc autem facto, aſæ fœtidæ drachmam unam, baccar. lauri contuſarum & ſulphuris caballini triti unciam unam (magna doſis, mihi dimidia pars ſufficere videtur) cum cereviſia calida adipata, ſemel de die potanda præbet, & per ſex pluresque dies continuat; duabus vero a potione horis, aquam farinaceam, tepide calidam, ſuperbibere jubet. Horum remediorum uſu ſperare licet, inquit WREDENIUS, ſanguinis ſpiſſeſcentiam, & hanc ſequentem putridam corruptionem, luemque ipſam impediri, & convaleſcentiam, ex imbecillitate exſpectatum iri.

Oris frictio, nulli dubitamus, putredini adverſatur: ſanguis ſi detrahitur, maſſæ copiam ſolvit, vaſa, ſpiſſo ſanguine farcta & tenſa, ad vim redeunt elaſticam (†), &, adepto elatere, curſus liber

(†) De ſpaſmo, ſanguinis detractione remiſſuro, inter omnes VEGETIUS optime ſentire mihi viſus eſt. Ille enim de *Arte veterinar. Lib. I. cap. 21.* hunc in modum dicit. *Cum vita virtusque animantium conſiſtat in ſanguine, rurſus tempeſtive detractus ſanguis corpori præſtare adſolet ſanitatem, cujus rei talis redditur ratio. Sanguis ciborum humorumque in digeſtione corruptus, per membra diſcurrit, & languorem doloremque, aut univerſo corpori, aut certis quibusdam partibus, conſuevit inferre. Nam per conſtrictionem nervorum venarumque tenſionem, inſlatio indigeſtioque generatur: qua tenſura (ut ita*

ber eſt. Propinata medicina ventriculum roborat, humores corrigit & concoctionem mirum promovet. Hæc WREDENIUS.

Nihil ſane eſt, quod mihi hac quidem in cura diſpliceret, quin probarem, dummodo commentitium ſanguinis coagulum excipiamus, quo, re vera occurrente, tanto magis ſera adhuc venæ inciſio locum inveniret. At vero WREDENIUS, cum, apparentibus jam luis ſignis, ſanguinem, inciſa vena, exſolvere vereatur; deinde id, quod putre eſt, in ſanguine proſerpere poſſe, ipſe confirmet; putris vero natura & eſſentia cum minime in ſale acido coagulante, inſpiſſante, condenſante, ſed potius in alcali attenuante, incidente, reſolvente, unanimi Phyſicorum conſenſu conſiſtat: profecto comprehendere nequeo, quem in modum ſanguinis ſpiſſitudo, aut coagulatio, a miaſmate putrido contagioſo effici, & tunc proxima interitus cauſa fieri poſſit?

Quod ſi vero ille morbus inteſtinorum cruentus, qui boum gregem infeſtare ſolitus eſt, dyſenteriæ, ut ovum ovo, ſimillimus eſt, proficuum & ſalubre erit, ſi quis linguam, os & fauces, quæ partes primum miaſmate virulento contactæ ſunt, vini aceto, cum baccis juniperi & ſale gemmæ ebullito, confricet & detergat. Quem in finem pauperiores acerrimo tritici aceto, cum juniperi baccis & ſale culinari, utuntur. Poſt hæc, quæ prius in uſum vocata ſunt, expeditiſſimum eſt, alvum lotione ducere, quæ ex aqua illa picea & lacte, ſive pulvere pyrio cum aqua chalybeata fabrorum, & oleo olivarum, vel lini, vel alio communi, paratur. Alvi lotioni, alios inter pecuariæ rei Scriptores, D. D. FURSTENAU calculum adjicit, &, emol-

ita dixerim) corporis aliter laxari, niſi per detractionem ſanguinis, non poteſt. Item ille, cap. 27. epiſtomicis, vel qui morbo ſubrenali læduntur, vulſis etiam, colicis, & quibus venter frequenter dolet, de cauda ſanguinem mittere ſuadet. Similiter cap. 28. per minutionem ſanguinis conſtricta laxari ſcribit. Ex quibus VEGETIANIS verbis argumentari liceat: V. S. in ſpaſmo & dolore colico, a ſanguine orto, jam diu apud veteres auctores remedium fuiſſe.

&, emolliendi leniendique cauſa, injectionem ex ſimilibus herbis adprobat. Corpus hoc modo corrupta bile levatur, acrimonia obtunditur, tormina, ſpaſmi, inflammationum cauſa, conſopiuntur, tonus inteſtinorum inſtauratur, &, ſi quod aliud, ſane tale remedium, in hoc morbi genere præſentiſſimi effectus eſt.

Quod ſi vero quæras, quo potiſſimum medicamento in alvi profluvio utendum ſit, cum inter multa ſimilia remediorum genera certum eligere difficile ſit? Reſpondeo, ſi talis caſus incidit, medicus aliquod ſeligere debet, quod, licet non ſemper fortaſſe, ſæpius tamen, voto reſpondeat. Itaque ratione omnino fulciri, & experientiæ non abſimile eſſe videtur, ſi quis ex multis auxiliis pecudi bovinæ, vel tauro, nimia alvi excretione laboranti, pulverem, contra inteſtinorum difficultatem, in potu daret ſequentem: Rhabarbarum, caſcarillæ corticem, nitrum & cancrorum lapides, pari pondere miſcebis, hujusque pulveris unciam, ut præcepimus, quotidie præbebis. Si etiam naturam ducem ſequimur, eidem non repugnat, talem pulverem, homini commodum, & in diarrhœa cum ſanie arcani inſtar habendum, bruto animali exhibere, niſi quis, ex amore nummorum, tantum pecuniæ perdere nolit. Namque ſpaſmum mulcet, æſtum extinguit, humores acres temperat, fermentum tollit, evacuat & alvum ſolutam firmat.

At ſi vero pulveri ſumtus impendere pœniteret, vel res anguſta domi prohiberet, gregem armentorum ſæpius ſal nigrum lambere curato. Illud vero amarum nigrumque intelligo, quod, poſt culinaris coctaram, ex ſoda conficitur, & facile liqueſcit. Abſtergit, purgat, mundat. Dum vero ex ſimilitudine febris catarrhalis malignæ, hominem prehendentis, compertum ſit, venenoſam febris cauſam ſanguinis craſin ex toto evertere, corrumpere, eumque putrem & ſalinum efficere; putri vero ſanguinis ſtatui nullum, in univerſo remediorum ambitu, certiori efficacia obſtet, eundemque inhibeat, quam omnia acida, acidulaque medicamenta, (ex his enim ſimilibusque ſæpe curandi nova ratio ducenda eſt): certe, per intamina-

minatam rationem concludimus, ex uſu eſſe, ſi villicus aliquot cochlearia aceti vini, vel tritici, cum lapidibus cancrorum, vel teſtis ovorum, lacte lunæ, bolo rubra, lithomarga Rochlicenſi, vel alia, commixti, ægroto bovi potanda porrigeret.

Cuncta hæc calorem ſedant, dolorem placant, tumorem reprimunt, ſicque omnes inflammationis notas leniunt, & ad tranquillum ſtatum conferunt: ſudorem eliciunt, & contagioſum miaſma in modum porriginis, furfurum vel cruſtæ, ad ſuperiorem cutis habitum ferunt, emittunt.

Aut ſi curam mutare, aliaque curandi via incedere animus ſit, id habeto. Fauces quidem, ut ſupra dictum eſt, depurare & alvum lotione eluere poteris: ſi vero ad alia progrediendum eſt, in hactenus dictorum locum ſubſtitues potionem, quæ maxime utilis eſt. Unciam pulveris, quem ſupra ex HOFFMANNO deſcripſimus, ſambuci roob ad duo cochlearia admiſceas, & magma ſemi menſura aquæ & aceti vini, cujus in locum vinum Miſenenſe, vel aliud, ſubſtitui poteſt, diluas, ita tamen, ut liquidi menſura ſit. Dimidium ebulliti & tepefacti decocti, ſemel per diem dabis. Potionis vires ſunt morbum levare, id, quod acre eſt, delinire, mitigare, a corde pellere, corpus, ut bene perſpiret, mollire, & contra putrem corruptionem certare.

Inter pharmaca, quæ venenum pellunt, extra dubium omnium optimæ herbæ & radices temperatæ ſunt, ſcilicet radix ſcorzoneræ, angelicæ, pimpinellæ albæ, vincetoxici, leviſtici, herba veronicæ, chamæmeli & millefolii, qua ſola boum nervos, vomere abſciſſos, ſolidari rurſusque jungi affirmat PLINIUS, *Hiſtor. Natural. Lib. XXIV. cap. 16.* itemque cichorium, ſcordium, allium, baccæ lauri, ſemen fœniculi, aniſi; cum quibus teſtas ovorum, ſulphur caballinum, ſtibium & nitrum miſcemus, atque vel pulverem, vel potum cum aqua præparamus, de quo tum valenti, tum valetudinario animali, per alterum vel tertium diem, quan-

tum ſufficit, damus. Si quis vero formam ſiccam amaverit, uncia in uno pabulo ſufficit.

Dum æſtus incanduit, bobus, quos vis morbi adorta eſt, alius pulvis commodus eſt, quia humectat & refrigerat: Cornu cervi uſti, & teſtarum ovorum, duas partes tere, & iis paulo poſt nitri, & pulveris pyrii, unam partem immiſce, dimidium, in aqua, doſis eſt. Pulvis, qui juxta mandatum Sereniſſimi adverſus æſtum præſcriptus eſt, tantummodo in pondere differt. Nam ex ſemi libra teſtarum ovorum, quadrante cornu cervi uſti & ſalis nitri, componitur, & bene miſtus quibuslibet octo elapſis horis in aqua picea, vel furfurum, ad cochlear pro doſi, devorandus datur.

Si vero puſtulæ & tubercula fœtida in ore eruperint, eadem pertundere, integrum eſt; ſaniem & ulcus topicum abſtergit, mundat & ſanat ſequens: Plantaginis itidemque ſedi majoris, manipulus, cum aqua, quam duæ menſuræ capiunt, ebulliant. In decoctum, fervide colatum, quatuor mellis, duas aceti vini, & unam ſalis, uncias, cum ſemiſſe nitri, admiſceas. Inſervit lotioni oris. Prodeſt etiam hoc aliud: Cineres, ſulphur & ſal, quod ad manus eſt, ſingulorum duas uncias, in una aceti menſura, coque (menſura plerumque libras duas civiles habet) utere, ut dictum eſt. Quodſi vero fauces tuberculis, puſtulis, vel cruſta obſeſſæ ſunt, & porta patens non eſſet, baculum ſalignum, butyro oblinitum, ulnæ dimenſione, ſæpius per diem intrude, ut animal auram & potum tanto commodius capiat.

Alii Phyſicorum miaſma in corpus ingreſſum, proxima via, ſive ſalivæ ſputo, velut in homine, exterminari credunt; id quod GOELICKE inter alios, in quadam diſſertatione, demonſtrare anniſus eſt. Hanc in curandi intentionem extollunt acetum, allium, ſcillam, rutam, ſalviam, ſulphur, ſal commune, nitrum, juniperi baccas; quæ omnia, vel unum & alterum, aqua coquunt, cujus menſuram quotidie tepide in collum infundunt. Hanc ſalivandi viam,

viam, in peſte jam tot ante ſecula, COLUMELLAM preſſius ſecutum eſſe, ex ejus *Lib. de re ruſtica VI. cap. 5.* ubi *de remediis in peſtilentia* tractat, perſpicere licet. *Tunc panacis*, inquit, *& eryngii radices, fœniculi ſeminibus miſcendæ, & cum defruti & moliti tritici farina, candentique aqua conſpergendæ, eoque medicamine ſalivandum ægrotum pecus.* Quæritur autem merito, num hæc ſalivandi intentio etiam mercuriali cura interne promovenda & exſequenda ſit? alia, an in hoc morbi genere proficua ſit? itemque, an neceſſaria ſit? porro, qua via particularis inſtituenda ſit? qua de re paulo inferius quædam adhuc ſubjungemus: id tantummodo breviter, ad ultimam quæſtionem animadvertentes, pro muco, & cum eo miaſmate, ex naribus educendo, ſecundum mandatum, noviſſime præſcriptum, unguentum illud mercuriale omnino locum habere poſſe. Et ne ſilentio tegam, tale eſt. Pinguedini porcinæ, ad quatuor uncias, una argenti vivi uncia probe immiſcetur, tandem olei terebinthinæ uncia ſemis addi jubetur. Hoc unguento, præcavendi & curandi cauſa nares jumentorum inungendæ ſunt, donec mucus, aut ſpiſſior, aut fluxilior demanat. Quo effecto, ter in die pulveris pyrii doſis ad unciam, in roob ſambuci, vel aqua picea, vel furfurum, ad comedendum, vel potandum datur. Utrumne ſatius ſit, ex mente ASTURCCII, *Lib. de Morb. veneris*, terebinthinæ oleum omittere?

Si boves ſanguinem cum lotio mingunt, eosdem aquam, mazis lineis vel tritici farinæ infuſam, vel laudatam aquam piceam, bibere ſinas: Si mictus cruentus juſto citius ſupreſſus eſt, potus proficit, quem œconomus ex petroſelino & baccis lauri, conficiat. Regia Boruſſiæ ſcientiarum Societas in ſanguinis per veſicam, pariter & alvum, effluxu dyſenterico, pulverem ſequentem efficacem, de meliori commendat & tradit: ſumantur Boli armenæ ſex unciæ, cum duabus nitri, una ſuccini, & croci ferrei, probeque miſceantur. Exhibeatur mane & veſperi ejus cochlear unum.

B.) *Ea, quæ prohibentur.*

Prohibentur in cura peſtis, quæ in boves graſſatur, plerumque ea remedia, quæ adverſus morbum parum, vel minimum, valent, aut eidem penitus contraria ſunt. Sanguinem mittere, raro vel nunquam, in morbi acceſſu, prodeſt; qua in re FURSTENAVIUM conſentientem lego: ille enim in pecore & bove, qui morbo æger eſt, ſanguinis detractionem plane negligit. Neque etiam leviter hæc operatio inſtituenda eſt, ubi armenta ex conſilio moderate paſcuntur: quodſi enim ſanguis non abundat, ſcalpello parcendum eſt. Aliter vero ſe res habet, ſi boves pabuli ubertate pinguefeceris: in his enim, monente RAMAZZINO, providendi gratia, inciſa vena, ſanguinem fundere licet.

Sic etiam VEGETIUS expoſite de ſanguinis detractione diſſerens, *ideoque*, inquit, *pluribus membris ac morbis generale remedium diligenter oportet exponi, quod præcipue in ſanguinis detractione conſiſtit, ſi rationabiliter, pro tempore & viribus animalium, & pro ætate, perfecti mulo-medici adhibeatur induſtria. Qui ſi ignarus fuerit hujus rationis, non ſolum per detractionem ſanguinis non curabit, verum etiam periculum jumentis frequentiſſime generabit.* Art. veterinar. Lib. I. cap. 21. It. cap. 35. præcipit: *jumento, ex pletura febrienti, copioſus ſanguis emittitur de cervice.*

Quam in ſententiam fere omnes, quot quot de veterinaria commentati ſunt, auctores, loquuntur, ſcilicet ut mulo-medicus in ipſo contagioſi morbi impetu, niſi ſanguis magna copia in venis exundet, ſcalpello ſuperſedere debeat. Cauſa hæc eſt: quoniam non commodum remedium eſt, quo ſubtiles & contagioſæ particulæ evacuantur.

Sanguinem vero in venis abundare, VEGETIUS ita tradit: *animal ſanguine laborare hæc ſigna declarant: oculi tumebunt, frigidum erit corpus & cervix, triſtitia faſtidiumque jungetur, difficileque*

ficileque curabitur. l. c. L. 1. cap. 55. Forſitan COLUMELLA, de ſanguine demittendo dubius, febricitanti bovi, & jejuno quidem, exiguum modo ſanguinem ſub cauda emittere ſuadet. *de re ruſt. Lib. VI. cap. 9.* In quo remedio alios excedere audias, artificialem hæmorrhagiam ad duas tresve libras definientes. Ita de vena ſecanda in utramque partem diſſeri poteſt.

Quinam, quæſo, erroris arguendi ſunt? quinam probandi? Sed plane, niſi ad providendum, & conditione integra, emittendam putamus, ex hoc etiam fundamento. Sanguinis evacuatio corpus, ad minimum ægrotum, debilitat, & perſpirationem per cutem impedit. Miaſma per cutis excernicula plurimam partem exſpirare debet, &, pro hac excretione ſuſtinenda, vires corporis in pecude quoque bubula neceſſariæ ſunt. Quid exiſtimas itaque fieri poſſe? attende, ſi ad inſignem copiam ſanguine depauperetur? Hinc etiam ſanguinis detractio, quæ ad imminuendam totius maſſæ copiam, juſſu & auctoritate Sereniſſimi Principis, ſapienter præcepta eſt, ita determinata eſt, ut ſtatim in primo morbi initio, quam primum ſcilicet pecudes minimum adverſæ valetudinis ſignum prodere ſoleant, cum minus ruminent, aut pabulum faſtidiant, vel nauſeent, & ſic ſine ullo temporis diſpendio, & absque omni moræ jacturæ, ſanguis ad duo, triave pondo, mittatur. Et quid putas, hiſce literarum monumentis, quæ ad verbum latina reddidi, dictum eſſe? Aut citius, aut nunquam: ſatis aut nihil.

Neque hoc loco inflammationi curandæ ſanguinem exſolvere putarim, cujus rei talis redditur ratio: quoniam inflammatio, hoc in morbo contagioſo, neque a ſanguinis coagulo, neque ex vaſorum obſtructione, ſed tantummodo a contagioſo miaſmate, accenditur:

quo videlicet miaſmate craſis ſanguinis & humorum diſſolvitur, colliqueſcit & remolleſcit. Quicquid enim contagium agit, id penetrando, corrodendo & putreſcendo efficit: cujus rei effectum vel toties videmus, quoties in cadaverum ſectorum cavitate lympham & ſerum, inſigni in copia, deprehendimus, quæ colliquatione a ſanguine ſeparata ſunt. Tum etiam illa remedia, quæ alvum purgatione acriter evacuant, & ſudore vehementer digerunt, in ſanitatis detrimentum eunt. Medicina enim, admodum ſudorem movens, particulas illas ſumme ſubtiles, contagioſas, quæ lento & critico motu ad corticem corporis tendunt, & ut res ſalutariter eveniat, tendere debent, turbat & confundit, æque atque miaſma, ad agendum incitat, ſtimulat. Acceleratus vero alvi fluxus contagium ad intimiores viſcerum receſſus venasque ipſas revocat, neque minus coercet, ad minimum ſuſpendit. Nolim itaque, amice œconome, quam ſubtiliſſimum miaſma tibi tam craſſum fingas: neque imagineris, illud primas vias, ventriculos, & inteſtinorum canalem, adeo materialiter occupare, ut medicamento, Græcis catharctico vocato, ſimiliter ac ſtabulum expurgari queat: minime.

At vero ſi mihi, ut tibi quidem viſum fuerit, jam in pharmaca invehenti, objeceris, tu ipſe ad extergendas bilioſas ſordes rhabarbarum comprobaſti: ſcire te etiam, benevole moneo, oportet, rhabarbarum meum, tribus mixtis adjuvantibus, ita cicuratum eſſe, quo minus febri & bruto, ea capto, noceat: eſt enim aliud movere alvum, aliud perpurgare; quin potius, ſi hoc remedium per triduum mane exhibeatur, orgaſticam & fermentatam, putridam materiam, difficultatis inteſtinorum proximam cauſam, educat, ut ne prætercam, quod ſine ullis ſpaſmis, torminibus & ſtricturis opituletur. Si enim ſimilitudo aliquid confert, & ſi quando confert, id ipſum rationabile eſt,

eſt, non dubito fore pleroſque Phyſicos, & patres familias, qui hoc genus remedii, pro pecoribus ac jumentis non leve, ſed virtute ſatis proficuum & efficax judicent, inveniant.

Itaque, ut ad propoſitum meum redeam, nemo a me exſpectabit, ut medicamenta chymica, ex mercurio paranda, magnis laudum encomiis exornem, vel methodum cum cel. quodam Medico & Phyſico, ſalivatione medendi, ad imitationem Jo. Frid. SCHREIBERI, Medici & Phyſici Moſcuenſis celeberrimi, *Obſ. de Peſte in Ucrain. graſſata* bobus adhibendam, ſuadeam: omnium ego potius mercurialium uſum ſive illa cum, ſive ſine camphora miſceantur, in arte veterinaria, interne adhibitum repudio, faſtidio, damno: neque mihi perſuaderi unquam patior, ab uſu mercurii in morbis chronicis venereis, quorum venereorum omnium morborum cauſa in miaſmate, lympham ſpecifice craſſiorem, ſpiſſiorem viſcidioremque efficiente, conſiſtit, ad uſum in acutis & peſtilentibus febribus, quarum e contrario indoles & natura, ut ſæpius monuimus, in celeriorem craſeos & mixtionis diſſolutionem tendit, inferri poſſe. Et profecto, ſi ſpeculari licet, ego ſane, aliusve, una veſpera plures medendi vias excogitabimus, atque tot remedia inveniemus, quæ tertius, vel quartus, vix intra viginti annorum ſpatium tentaturus ſit. Mira res eſt. Utamur in ſimplici animali, ſimplici quoque remedio, & quidem tali, quale cum natura, & exſpectando effectu cohabitare conſuevit, inde fiet, ſpero, ut in experientia tanto magis magisque confirmemur.

In peſte Gahlenſi etiam alienum ſit, calidum & empyrevmaticum cornu cervi, vel tartari, fœtidum oleum uſurpare, id quod tamen tali in caſu, in extranea quadam ſchedula, ad ungenda colla præceptum eſt. Æſtus enim & calor, qui collum habent, incremen-

tum

tum inde ſumunt. Ob quam cauſam ego etiam, pro depellendo contagio, eoque ope perſpirationis ad exitum movendo, nec laudo, nec probo ſpiritum cornu cervi. Magna enim cum vehementia iſte ſpiritus urinoſus ſanguinem ad ebullitionem usque commovet, ſed raro, vel nunquam, contagium emovet: miaſmatis enim cujuslibet excretio potius lento, eoque repetito motu, ut ſupra demonſtratum eſt, ad corporis peripheriam vult expelli. *Tempore ebullitionis*, inquit RAMAZZINUS, *erit caute utendum remediis calidioribus, ne intendatur calor febrilis, & plus æquo effervescat maſſa ſanguinea, cui facile ſuccedit perturbata coctio, quam natura rectrix intendit, qua in re non leviter peccatum eſſe cenſeo, cum, hujus febris initio, ad calidiora cardiaca ventum fuerit, & præcipue ad vina meraciora cum multa theriaca.*

Vitriolum virtutis adſtringentis eſſe, lippis atque tonſoribus notum eſt: per quam etiam adſtrictoriam vim, trepidante licet natura, anxius ſudor exprimitur. Sed, quæſo, daturus ne es, ideo potandum, bono jure, vitriolum album bovi, animali bruto? Sunt qui faciunt, quanquam de hoc conſtrictorio remedio aliæ obſervationes proſtent, boves ex grege periiſſe. Medicina, quæ necat, nulla mihi medicina eſt. Quodſi tamen effectum vitrioli albi vomitorio ſimilem notaveris, & ſeroſi humidi ex oculorum glandulis defluxum hac ex nova medicina obſervaveris: erras: hic enim effectus emeſeos operationi penitus abſimilis eſt: hoc vero ſtillicidium potius ſignum, ſi rem ad amuſſim examinas, acceſſuræ febris contagioſæ eſſe, deprehendes. Alia quoque, pariter adſtrictorii generis, remedia ex vegetabili regno petita, ſcilicet radices tormentillæ & ſerpentariæ, exulent. Pollent quidem alvi fluxum compeſcendi efficacia, quod me non fugit, attamen id ſaltem mihi concedes, cum

alvo

alvo ſecretiones & excretiones, in bovino corpore, quod ſuperato morbo firmum degere debet, ſalutares reprimi & omnibus modis impediri.

S C H O L I O N.

Theoria luis epidemicæ cornigerorum, cujus indolem cl. A. hujus commentationis perſcrutatus eſt, valde convenit cum illa, quam nuper admodum quidam, litteris J. S. G. tantum notus, in epiſtola cl. D. D. *Franc. Ern.* BRUCKMANNO inſcripta & germanico idiomate typis excuſa expoſuit, utpote qui 1) pariter luem hanc pro morbo acuto, & quidem pro febri maligna, nunc ſine exanthematibus, nunc cum illis, ſe manifeſtante declarat, atque cum febribus acutis malignis homines invadentibus comparat; 2) cauſſam vero primariam non a contagio ex pecore quodam infecto in ſanum translato deducit, ſed ab aere noxiis effluviis impraegnato, quatenus illæ impuritates non ſolum cum aere inſpirantur, verum etiam cum rore & nebulis in paſcua hinc inde cadentes gramen inquinant illudque noxium & letiferum reddunt; 3) ad obtinendum effectum optatum remediorum, tum præſervandi tum curandi cauſſa adhibitorum, potiſſimum urget regimen conveniens, quo non ſolum tranſpiratio neceſſaria conſervetur & promoveatur, ſed & omne pabulum a rore vel nebulis malignis inquinatum removeatur. A cl. D. D. SCHUSTERO citatus D. D. *Joannes Nicolaus* TEXTOR, Sereniſſ. Marchionis Durlaco-Badenſis Conſiliarius Aulicus & Archiater, in tractatu, quem a. 1739. Carls-Ruh typis impreſſum hoc evulgavit titulo: Vernunfft- und Erfahrungs- mäſſiger Verſuch, wie die gifftig anſteckende Vieh-Seuchen unter dem

Horn⸗Vieh und Pferdten wohl erkannt, præſerviret und curiret werden können ꝛc., ſect. I. varium hujus luis ſtatum ex variis relationibus fide dignis collectum explicans iis quidem pag. 5. non refragatur, qui luem hanc febrem malignam acutam nominant, attamen monet, hanc appellationem nimis generalem eſſe, & indolem ejus haud ſatis exprimere, quare illam 1) nomine germanis uſitato, der giftig⸗anſteckenden Ubergälle/ diſtinguit, quum, præter nimiam & corruptam bilem, gangrænoſam putredinem ita dicti omaſi nobiliorumque viſcerum producat, 2) pag. 5. definit, quod ſit venenata & contagioſa putredo gangrænoſa, partium præcipue bilioſarum, eine giftig⸗anſteckende Brand⸗Fäulnus, beſonders in den gallichten Theilen. i. e., ut p. 6. addit, penetrantium partium oleoſarum & ſalinarum ſanguinis omniumque humorum, 3) p. 12. cum dira illa hominum peſtilentia, quæ a. 1721. in Galliæ pronvinciis, præcipue Maſſiliæ, graſſata eſt, comparat. Quoniam vero & ſymptomata & effectus nec omni tempore, nec omnibus in locis, quid quod ne quidem in omnibus individuis eodem modo occurant: hinc p. 11. provide monet, caſu exiſtente relationes aliorum, vel alio vel eodem tempore aliis in locis evulgatas, ſollicite quidem colligendas, ſed, quatenus lues deſcripta cum præſenti conveniat, atque propterea etiam remedia commendata ſecure adhiberi poſſint, non minori cura inquirendum eſſe.

C. J. T.

JOAN-

JOANNIS GODOFREDI BUCHNERI,

ILLUSTRISSIM. COMIT. RUTHENOR.
CONSILIAR. ET AB ARCHIV. SECRETIOR.
ACADEM. IMPERIAL. NATUR. CURIOSOR. ADJUNCTI,

MEDITATIONES

DE

LIBRO

USUM AC PRÆSTANTIAM NUMISMATUM IN
MEDICINA AC SCIENTIA NATURALI
EXHIBENTE,

ADHUC DESIDERATO.

Equidem Poeta olim ita cecinit FRANCISCUS:

Innumeri toto venduntur in orbe libelli,
Optima de multis, qui legit, ille ſapit;

Cui haud pauci non minus adſtipulantur eruditi, quos abunde in medium profert *Autor* quidam *obſervationum miſcellanearum* a) ſub titulo: Einige Bücher, welche die Gelehrten noch verlangen, ubi vario ſimul ſermone eorum de multitudine librorum miſcet querelas. Hincque perſonatus iſte ſecreto pariter dicit GIOVANNI b): *Utinam ergo, quam inhumanus etiam hic videar aliis, utinam! libraria res publica tempeſtivum naufragium, vel fauſtum incendium pateretur, quo numerus ac moles contraheretur librorum, qui doctis hominibus tam noxius tamque moleſtus eſſe videtur.*

Ad me vero quod attinet, in eo quidem rectiſſime nonnullos omnino ſentire, nec tamen, tot gemitus ad ſidera ut tollerent, opus habere alios, exiſtimo. Prudenter enim judicat SENECA c): *Multum egerunt, qui ante nos fuerunt, ſed non peregerunt; multum adhuc reſtat operis, multumque reſtabit, nec ulli nato poſt mille ſecula præcludetur occaſio aliquid adhuc adjiciendi;* ſiquidem in omnibus eruditionis partibus ſemper ac ubivis ſuperſunt lacunæ, quibus rite explendis atque exornandis quilibet ſuas ingenii, ſi velit, intendere poteſt vires.

Hocque ut unico ſaltem probarem exemplo, dabitur mihi, ceu ſpero, venia, ut in aliena aliquando excurram vireta, paucaque *de uſu & præſtantia Numiſmatum in Medicina*, hiſtorice ſaltem, cum intima ſcientiæ hujus ſalutaris adyta non penetrarim, hic moneam: quemadmodum enim artes omnes communi quaſi vinculo & cognatione quadam inter ſe continentur; ita dubitare etiam non licet, quin & ex vetuſtis nummis permultum Medicinæ accedere poſſit lucis, ſi modo quis id cum cura agere vellet.

Equi-

a) *Tom. I. p. 890.* b) *in Germ. Princ. p. 70.* c) *Epiſt. 64.*

Equidem non ignoro ſplendidiſſimum *Ezech.* SPANHEMII, *de uſu & præſtantia Numismatum*, opus, quod modico antea volumine, nunc autem integris diſſertationibus multisque acceſſionibus locupletatum, in lucem prodiit, quo mirificam Vir ille Illuſtris veterum Numiſmatum per omnes fere eruditionis partes utilitatem oſtendit. Aſt, multum adhuc abeſt, ut omnem hunc doctrinæ exhauſerit oceanum: Superſunt potius, quæ inventis jam addi poſſint, quam plurima, quæque res ipſa ab eo docuit tempore, quo primum in illo eruditiſſimus SPANHEMIUS elaboravit opere, quod egregiis ſane, in re chronologica, licet non pari omnes ſucceſſu, probarunt ſpeciminibus, *Henr.* NORISIUS, *Joh.* HARDUINUS, *Joh. Petr.* RIGORDUS, *Ant.* PAGIUS, HEINECCIUS, *Phil. à* TURRE, *Virgin.* VALESCHIUS, *Joh.* VIGNOLIUS, & *Eman.* SCHELSTRATENUS. De uſu autem Numiſmatum geographico uberius egerunt laudatus modo *Joh.* HARDUINUS & *Jo. Foy* VAILLANTIUS. Permultas etiam Virorum Illuſtrium ac doctrina celebrium imagines, ex nummis gemmisque expreſſerunt, *Laur.* BEGERUS, *Jac.* GRONOVIUS, *Iſaac* SPONIUS, *Gisb.* CUPERUS, *Joh. Car.* SCHOTTUS, *Chr. Gottl.* JOECHERUS & *Corn. Dietr.* KOCH.

Similiter de uſu & præſtantia Numiſmatum in Jurisprudentia, Præfationem *Jo. Gottl.* HEINECCIUS *Nic. Hier.* GUNDLINGII Exercitationibus academicis præmiſit, in qua priores duos Pandectes libros ex illis illuſtravit reliquiis: Ac tandem antiquorum Numiſmatum intelligentiam interpreti Scripturæ ſacræ neceſſariam eſſe, prolixe contenderunt *Ægidius la* CARRI, *Val. Ern.* LOESCHERUS, BARONIUS, *Ant.* PAGIUS & TILLEMONTIUS; quibus permulti adhuc addi facile poſſent ſcriptores, uſum Numiſmatum in his & aliis diſciplinis plenius exponentes, ſi inſtituti id permitteret ratio, quorumque haud paucos enumerant celeberrimus Dn. BRUCKMANNUS d), necnon *Aug. Frider. de* ZANTHIER e), *Jo. Chriſt.* OLEA-

d) *Bibliothec. Numiſmat.* e) Einleitung zu den Quellen der Hiſtorie, S. 46.

OLEARIUS f), *Anſelm.* BANDURIUS g), & *Burc. Gotthelf* STRUVIUS h).

Ad Medicinam vero, quod attinet, SPANHEMIUS i) quidem ſollicite in naturali ſcientia, ad hiſtoriam animalium & plantarum fuit occupatus; cui addi quoque poteſt *Ludov. de* HEMMER γλαυκογραφία *variis antiquitatibus & nummis illuſtrata*, qua cultum noctuarum apud Veteres religioſum, & earum imagines in nummis Athenienſibus explicat. Exſtant etiam Nummi quidam medici, nec non CRATONIS, & WEDELII in Ephemeridibus Academiæ Naturæ Curioſorum, Medicinæ non k) minus aliquam affundentes lucem.

Sed quis crederet, in illa quoque parte, quam φυσιογνωμονικὴν appellant, aliquam adferre poſſe utilitatem antiqua numiſmata? Et tamen hic quoque ingenii periclitatus eſt vires citatus antea SPONIUS, qui libro eximio, quem lingua patria: *Recherches curieuſes d'antiquitè* inſcripſit, diſſertationem, *de arte, multiplicem hominum naturam atque indolem ex vultuum in nummis expreſſorum inſpectione cognoſcendi*, inſeruit, quamvis ludicrum id argumentum eſſe cenſeat *Anſelmus* BANDURIUS l). Sic quoque Vir elegantis doctrinæ, *Mich. Frider.* LOCHNERUS, Medicus Norimbergenſium celeberrimus, Hiſtoriam Medicorum ex nummis minatus eſt illuſtratam. Et ALDROVANDUS in ſcriptis ſuis phyſicis permulta numiſmatibus pariter probavit, quare ipſe tandem fatetur m): *Multa ſub numiſmatum cortice latent myſteria Naturæ, quæ maxime & perſcrutantium palato arrident, animumque oblectant. Fateor equidem, me ex hiſce ſtudiis maximum ſemper fructum percepiſſe;* cui etiam aſſenſum ſuum largitur multis in oris memoratus WEDELIUS n).

Nec tacendum, eadem pariter ratione & alias ſcientiæ naturalis, & Me-

f) *Specim. rei nummar. Sect. I.* g) *Bibliothec. nummar.* h) *Bibliothec. numismat. antiqu. Cap. I. Sect. I.* i) Diſſert. III. & IV. k) Vid. KELLNERI *Synopſ. Obſervat. Ephemerid. Acad. Nat. Cur.* ſub vocabulo *Nummus.* l) *l.c. p. 103.* m) *Ornitholog. Lib. II.* n) *Polymath. med.*

& Medicinæ partes, atque doctrinas numiſmatibus explanari poſſe ſpeciales. Hæc enim plus interdum loquuntur, quam ipſi Auctores, & repræſentata in iis picta rerum hiſtoria harum indagatores maxime juvat, id quod teſtantur adhuc tot imprimis Nummi ex auro chymico confecti, de quibus *Samuel.* REYHERI extat diſſertatio. Pleniorem autem eorum collegit catalogum *Dn. Dr.* KUNDMANNUS o), pleraque ſuppeditant ſcriptores alii, ab Eo partim allegati. Cumque permulti eorum falſo pro talibus agnoſcantur, facile inde apparet, in Chymia veros ſaltem aliquod transmutationis metallorum præbere argumentum, ſicque tandem poſſibilem experimentorum chymicorum reddere rationem p).

Pertinent huc etiam Nummi ex auro & argento per labores metallicos acquiſito, confecti q); utpote præcipuarum metallifodinarum præbentes notitiam. Sic nemo etiam neſcit, *nummos* dari *magicos*, quibus vis quædam miraculoſa, ad curandos morbos, ſæpius ab imperita tribuitur plebe r); aſt horum ſuperſtitionem ipſa refutat experientia; hincque explicatio illorum Therapiæ maxime poterit inſervire; quo nimirum remedia ſincera diſcernere diſcamus a fictitiis & ſuperſtitioſis; quibus jungere, ſi placet, licebit, *futura præſagientes monetas*, quæque ideo dicuntur wahrſagende Münzen, de quibus a SEYLERO peculiarem habemus Tractatum, nummos quosdam malorum, & ipſius mortis exhibentes nuncios.

Similis eſt, & magis etiam fabuloſus effectus, quo vulgo ea parte terræ, quam Iris ſuis attingat cruribus, auream deponi credunt patellam, virtute gaudentem antifebrili, cujusmodi circumferuntur plurimæ, & hæreditario quodam a familiis ad familias transferuntur jure, quas tamen re vera nil niſi rude quoddam antiquorum, forte Gothorum populorum, numiſmatum concavorum eſſe genus, nuper diſqui-

o) *in Nummis ſingular. p. 121. it.* Thaler=*Bibliothec. Confer. quoque Commerc. liter. Norimb. A. 1731. Spec. 43. 44. it. A. 1732. p. 209.* p) Vid. WEDELII *Analect. ad Ephem. Nat. Cur.* q) Vid. Thaler=Bibliothec. it. *Dn.* OETTER *de ſectur. ærar. Goldcronac.* r) Confer. BUDDEI *Theſes de Atheiſmo & ſuperſtit. p. 657. item* RICHTERI *Diſſ. de conciliat. ſpirituum.*

diſquiſivit *Jo. Alex.* DOEDERLINUS s), & olim etiam obſervarunt *Roſinus* LENTILIUS, *Lucas* SCHROECKIUS & *Jo. Paul.* WURFBAINIUS t), ſimulque ſpecioſis probarunt argumentis, credi quidem vulgo, illas patellas reperiri, ubi Iris ſe potet, h. e. alterutrum crus in rivulum, aut lacunam aliquam demiſerit, ſi quis, quod addunt alii, celeri pede illum aſſequatur locum, antequam Iris inde diſceſſerit; id quod autem non fieri, niſi ad Calendas Græcas, h. e. nunquam poſſe, demonſtravit etiam STURMIUS u), ſicque totam hanc traditionem una cum Iride fugiente ſimul fecit evaneſcere.

Ad Phyſiologiam autem medicam ſpectant præcipue exempla illorum, qui vitam & plerique etiam integram ſanitatem ad terminum haud quotidianum, cum partu produxerunt numeroſo, qualia per plura in nummis Eorum leguntur jubilariis, qui vota ſecunda cum prima celebrarunt conjuge, & in aliis in memoriam Principum cuſis, quos ideo Sterbe-Thaler vocamus x).

Tandem vero dubitare non licet, huc etiam iſta aliquid facere numiſmata, in quibus ÆSCULAPIUS, vel etiam baculus ſerpente; conſpicitur involutus. Humani enim generis fuiſſe ſervatorem, ac equorum etiam geſſiſſe curam ÆSCULAPIUM, hincque Niceæ fuiſſe cultum, Medicorum probe norunt filii. Crederem ergo, æque in iis Medicinæ, ac in aliis, cum juſtitiæ ſymbolo, Jurisprudentiæ, contineri definitionem, ceu id de poſterioribus clare per omnes ejus partes demonſtravit HEINECCIUS *l. c.*

Sed pedem jam hic figo, reliquaque quæ hac in re uberiorem accendant facem, exercitatioribus potius Medicis, qui & ſcientiam medicam & rem numiſmaticam rite habent perſpectam, relinquo. Herbam igitur nunc iis lubens porrigo, nec purpuræ Eorum viliorem meum aſſuam pannum; rapiantque iſti, per me palmam in medio adhuc poſitam. Ceterum certiſſime ego ſum perſuaſus, exiguum etiam, in re gravi conatum, faciliori venia indulgentiaque, quam inveteratam negligentiam, dignum fore.

MERCU-

s) *Diſſ. de patellis iridis, earum veris auctoribus, materia, forma, figura & fine denique potiore.* t) Confer. KELLNERI *Synopſis Obſervat. quas Ephemertdes Academ. Nat. Cur. continent*, ſub vocabulo *Iridis patina.* u) *Diſſ. de Iridis admirandis p. 93.* x) Confer. Thaler-Bibliothec.

MERCURII SOPHICI DELARVATI

EX

PHILALETHÆ

INTROITU APERTO

AD

OCCLUSUM REGIS PALATIUM
IN CONSPECTUM CHYMIATRORUM PRODIENTIS,

SIVE

COMMENTARII

DECEM PRIMA OBSCURISSIMA ILLIUS
AUCTORIS CAPITA

DE

MERCURII SOPHICI PRÆPARATIONE PERSPICUE
PER IGNEM DILUCIDANTIS,

LIBER I.

AUCTORE

J. H. C. H. S. M. D.

Opuſculi Protophyſici
LIBER PRIMUS
Caput I.

De
Mercurii Sophici neceſſitate ad Opus Elixir.

Priuſquam ad ipſum PHILALETHÆ textum commentando progrediar, ipſe explicandus eſt titulus. *Mercurius Sophicus* totius Philoſophiæ Hermeticæ eſt baſis, primum artis mobile, & unicum illud agens, a quo in confectione Elixir, ſive aurifici, ſive medici, dependent omnia. Ille enim ad Tincturam aurificam aurum reddit ſubtile (neque enim corpora a corporibus, ſed a ſpiritibus penetrationem accipiunt,) ut ingreſſum habeat ad metallorum imperfectorum centra, quæ ſi non ingreditur, non transmutabit. Oportet namque ut a metallis impuris ſeparetur omnis adnata imperfectio, quod fieri nequit, niſi ipſas eorum radices inſtar fulguris trajiciat Elixirii fixa ſubtilitas. Ad Elixir quoque medicum, quod alii *Lapidem medicinalem* vocant, ſola & unica, ſi liquorem alcaheſtinum excipias, clavis eſt, quatenus aurum, ceu Medicinæ univerſalis ſupremæ ſubjectum materiale, in ſummum gradum volatilis ac potabilis liquiditatis deducit. Utrumque enim Elixir, licet perfectione, ob præparationis differentiam, longiſſime differat, non eſt, niſi ſuccus ſalino-ſulphureus ipſiusmet auri in aqua mercuriali ſoluti, optime cocti & exquiſitiſſime digeſti. Etenim hoc ipſum dicit *Elixirii* vocabulum. Adeptorum namque labor omnis elixationis & cocturæ eſt, unde Philoſophi ſe libenter *coquos* fatentur, & multoties clamant: *coque, coque!* opusque ſuum appel-

appellant *opus mulierum*, quarum eſt coquere. Coctio vero non fit ſine aqua, unde BERNARDUS *Comes Treviſanus* dicit, Elixir nil aliud eſſe, quam *Corpus in aquam mercurialem reſolutum;* aliique proin ab *E* id eſt *ex*, & *lixis*, id eſt *aqua*, ejus Etymon derivant. Hæc ipſa autem aqua, *a qua* in arte dependent omnia *Mercurius* eſt *Sophicus*. Etſi vero Elixirii nomen paſſim ab Adeptis diverſo ſubjecti philoſophici ſtatui in opere tribuatur, nam & in prima compoſiti præparatione nonnulli ſic appellarunt, quia in hac magis, quam in confectione ipſius lapidis, res crudæ elixantur & coctione maturantur. PHILALETHA tamen hoc loco per *Elixir* intelligit *Tincturam philoſophorum*, ſeu *lapidem completum*, de quo igitur ſic incipit diſſerere:

Quisquis aureo hoc vellere potiri cupit, ſciat aurificum noſtrum pulverem, quem lapidem noſtrum nominamus, eſſe aurum ſolummodo digeſtum in ſupremum gradum puritatis & ſubtilis fixitatis, ad quam per naturam ſagaxque artificium poteſt deduci.

Etſi vellus aureum apud occultioris Mythologiæ antiſtites ſignificet illam agni, vel arietis membranam, in regione Colchide olim ſervatam, in qua lapidis conficiendi conſignata erat methodus, & quam cum Argonautis JASON ſibi rapuit; (confer. F. 2. PICI *Mirand. Com. Tr. de auro L. 3. c. 1.*) PHILALETHA tamen cum pluribus aliis ſcriptoribus per hanc Phryxi pellem ipſum intelligit Elixirium, ſive excoctum iſtius oviculæ aureæ ſuccum & ſanguinem. Tondere quidem imo potius deglubere hanc tentant innumeri; ſed proh ſuperi! quantum clamoris, quam parum lanæ hactenus ovicula hæc tribuit iſtis lanionibus! Hæc ut AUGURELLUS eleganter canit conſuevit quidem

aurea ſæpe
cornua, ſæpe ungues oſtendere, verſicolorque
motare interdum varium latus;

ſed ex Myriade vix uni JASONIS fortuna contingit,

aurea felici rapuit qui vellera Colcho.

Incipit mox PHILALETHA inſpergere ſcripto ſuo *aurificum pulverem.* Quid ergo mirum, quod illud tot legentium oculos fulgore ſuo faſcinarit, qui tamen conſiderare debuiſſent, illum ab eo cœterisque omnibus Philoſophis appellari *Lapidem noſtrum*, caventibus nempe, ne ad illum pedem offendant, & duras cervices imo cerebrum impingant. Sophicum illud *noſtrum*, Tinctura noſtra, mercurius noſter, ſulphur & ſal noſtrum, & quid non noſtrum? modus loquendi illis ut uſitatiſſimus, ſic obſcuriſſimus eſt, quo tamen dicendo neſcio quid, nihil ſane dicunt, cum τὸ *noſtrum* naturam & quidditatem rei non explicet. Certe *noſtrum* appellant id, quod nolunt etiam eſſe *tuum.* Si noſtrum intelligis, omnia in idiomate ſophico facile intelliges.

Præmiſſis his, ipſius Elixirii, ſeu lapidis aurifici, ponit definitionem, quod ſit *aurum ſolummodo digeſtum in ſupremum gradum puritatis & ſubtilis fixitatis.* Definitio hæc petitur ab ipſa lapidis forma, quod eſt ſulphur auri: ex fine enim cujusque operis reſultat principium; meſſis ſignat ſementem & fructus aureus ipſum principium aurificans, ſcilicet auri ſemen, cujus medium eſt digeſtio, inſtrumentum, natura & ſagax artificium, finis, ſupremus puritatis & ſubtilitatis gradus, in quo per Mercurium philoſophicum, quem ceu alteram Elixirii partem conſtituentem materialem, merito definitioni inſerere debuiſſet, aurum ita redditur exuberans, ut forma ejus metallica, cum debitam ac neceſſariam ſuæ ſubtilitati extenſionem corpoream non habeat, in alienis ſubjectis, nempe mercuriis metallicis, hanc facile acquirat, unde ſe dilatando in projectione eo usque diffundit, donec,

donec, tota vi ſpirituali exhauſta, ad terminum ſibi naturaliter debitum, id eſt, auri ſpeciem, redeat; in quo ſolo tota conſiſtit metallicæ transmutationis ratio, licet alii aliter, minus tamen ad captum, explicent. Patet igitur extra omne ænigma, vulgare aurum, ſed puriſſimum, præbere arti materiam, ex qua ſophorum ſulphur transmutans paratur. *Quemadmodum enim*, notante RIPLÆO, *ignis eſt ignificandi principium, ita certe principium aurificandi eſt aurum.* Unde & aurum in ſupremo gradu digeſtum & pulvis aurificus ſunt ſynonyma. Cum enim lapidis forma ſit de natura Solis, neceſſario ſequitur. quod ſit fermentum convertens omnia metalla in Solem juxta HERMETEM, qui ait in ſeptimo: *Scias, quod fermentum paſtæ non ſit niſi ex ſua natura, ita ſimiliter & fermentum auri.* Verbo, in Elixirio verum ſpirituale ſemen auri eſt, quid mirum & fructus inde provenire aureos?

Aurum vero in eo in ſupremum gradum puritatis & fixitatis eſt digeſtum. Etſi enim aurum vulgi ex natura ſua jam ſatis purum & fixum ſit, non tamen illa puritas fixitasque aliis metallis eſt communicabilis, quia illi deeſt ſubtilitas, per quam fit penetratio & perfectio. Unde a ſimplici & ordinario perfectionis ſuæ ſpecificæ ſtatu ad ſublimioris plusquam perfectionis gradus exaltandum eſt, & quidem beneficio & virtute agentis cujusdam univerſalis mineralis, etiam prius ad ſupremum virtutis multiplicatæ gradum deducti, quod *mercurium* appellant *Sophorum.* Elegans itaque eſt definitio Elixirii aurifici, a SENDIVOGIO *Epiſt. 26.* allata: *Lapis philoſophorum eſt aurum multiplicatum, non ſecundum quantitatem, ſed ſecundum ſemen, & virtute intrinſeca, ſeu activitate ſuæ formæ ſubſtantialis maxime intenſum, agente natura, miniſtrante arte, cujus una pars minutiſſima, propter exuberantem tincturam, ſeu ſemen, quo pollet, ingenti cujuslibet metalli quantitati formam auri ſubſtantialiter communicare & ipſam ſibi aſſimilare poteſt velociſſima actione.*

Quod aurum eſſentificatum aurum noſtrum (non amplius vulgi) nominatum eſt, naturæ perfectioniſque periodus.

Quod Elixir philoſophicum non ſit niſi aurum eſſentificatum, id eſt, ipſa auri eſſentia, anima & tinctura, in gradum millies ſubli-miorem exaltata, perpendant, obteſtor, illi, qui circa rerum cortices duntaxat verſantur, neſcientes illud, quod ex auro facit merum ſpiritum & eſſentiam. Illud, inquit PHILALETHA, eſt aurum noſtrum, nil ergo alchymiſtarum vulgo cum illo eſt commercii. Verum corrugant hi frontem, novimus hoc inquiunt, nec noſtrum aurum vulgare eſt: hoc enim ex varii generis lutis, argillis, bolis, terris adamicis, & quidem juxta COSMOPOLITAM, ex fovea ad genua usque foſſa, elicimus. Reſpondeo, volutari in luto, in variis rerum quisquiliis, ac ſordibus ſcrutari *aurum noſtrum*, fimarium potius decet, quam Philoſophum. Eſto, Sophos ſcripſiſſe, materiam illorum, ſeu aurum, calcari pedibus, reperiri in ſterquiliniis, projectum eſſe in fimeta; hæc tamen alio collimant, &, præter putrefactionem philoſophicam, ubiquitatem materiæ univerſaliſſimæ, in eorum quoque mercurio reperibilis, deſignant. Longiſſime igitur a vero auri eſſentificandi principio & ſubjecto aberravit *Gabriel* CLAUDERUS, dum illud in Marga, vel quacunque alia terra ſalina, inveſtigantibus obtrudere voluit. Certe non illa eſt minera, non metallum virgineum, non aurum noſtrum, quale deſiderant & occultant artis magiſtri, ſed aurum commume, a ſpecie ſua metallica præparatione phyſica, mediante *mercuriali ſpiritu*, ut eum appellat Fr. BASILIUS VALENTINUS, alienatum, ſubque forma ſulphureo-ſalina artificiali comparens, aurum eſt genuinum Sophorum, quamvis etiam auri ſophici prædicatum ipſi quoque mercurio philoſophico quandoque tribuatur, ut infra oſtendemus.

Poſſem

Poſſem omnes de hac re citare Philoſophos; at teſtibus non egeo, quia ipſemet Adeptus, & lucidius ſcribo, quam ante hac ullus.

Difficile quidem creditu eſt illis, qui non ſunt Philoſophi, dari poſſe tale aurum eſſentificatum, nam & Adeptorum plurimi ipſimet fatentur, ſe, niſi illud vidiſſent, vix credidiſſe. TOLETANUS in Roſar. Phil. *niſi ſolem*, ait, *& lunam viderem, pro certo dicerem, quod magiſterium non eſſet verum; ſed quia ſolem & lunam video, certiſſime ſcio, quod magiſterium eſt verum.* PHILALETHA igitur ad propriam quoque provocat experientiam, probationum omnium probatiſſimam. Fidem autem & aliis conciliare intendit; rurſum repetens, quod lucidius ſcribat, quam antehac ullus, de quo jam ſuperius attuli meam epicriſin, & nunc ingenue dico, illud de PHILALETHA verum eſſe, quod de ſe GEBERUS fatetur, nempe ubi magis aperte locutus eſt, ibi magis artem ſuam occultaſſe; unde non ſine cauſa, nec absque felle ſubjungit:

Credat qui volet, improbet qui poterit, carpat cui libet, hanc certe mercedem, reportabit, altam ignorantiam.

Quisquis mercurium Sophorum & cum eo paratum ſupremæ illud perfectionis ens aurificum dari negat, inde eſt quod non dari poſſe credat, unde quod neſcit, improbat, quod non capit, carpit. Ignoti namque apud talem nulla cupido, nullum ſtudium oritur. Quis enim, niſi ſub montibus aurum reperiri ſperaret, tellurem longo & periculoſo labore ad tot ſtadia perfoderet; & quis, ſi Adeptis infirmam ac inſtabilem fidem adhibet, tam ſtolidus foret, ut pro non ente tot labores, ſumptus ac vigilias ſuſciperet? nil ergo mirum, quod incredulum non niſi alta maneat ignorantia. Ut quis non credat, voluntatis eſt, ut improbet, potentiæ intelle-

ctualis,

ctualis, ut carpat, phantaſticæ libidinis, omnium vero mater eſt ignorantia. *Oportet diſcentem credere*, inquit ARISTOTELES, & quidem cuilibet in ſua arte, neque decet naturæ & artis potentiam ſua ignorantia metiri, aut etiam tot Philoſophorum veraciſſimorum ſcripta penitus in dubium vocare & falſitatis arguere. Tu, qui rerum ignotarum cenſor es, an quæ carpis, intelligis? an noviſti, quid improbas? an occultiſſimæ ſcientiæ arcana elementa, quia vidiſti nunquam, negas exiſtere? quid de Sole cœcus? an odiſſe liceat, quo potiri non licet? Hæc igitur non morantur PHILALETHAM, quin, neglecta ignorantium & pervicaciter negantium turba, artis candidatis citra culpam ſub nocte errantibus facem accendat.

Subtilia fateor ingenia chimæras ſomniant; at in via naturæ ſimplici veritatem ſedulus reperiet.

Ab idiotis ad ſubtilia digreditur ingenia, nam & hæc parturiunt chimæras. Subtilis eſt phantaſiæ deceptio, tam activa, quam paſſiva, unde in artificum ergaſteriis non crebrius auditur axioma, quam illud: *non putaram*. Ad generationem mercurii ſophici copulare naturas ſpecie diverſas, quid aliud eſt, quam producere hirco-cervum, aut vulpanſerem? Chimæras ſomniare tranſeat, ſed iis fabricandis vigiles impendere horas, imo oleum & operam perdere, an ſat ſubtilis ingenii ſit, PHILALETHÆ judicent. Et tamen fatendum eſt, infelicem in hac ſcientia eſſe nimis ingenioſorum ſortem, quos laborioſa intellectus ſubtilitas per varios ſubtiliſſimarum operationum anfractus a ſimplici & regia naturæ via & luce veritatis diſtrahit & obducit, ad quam nonniſi candido comitati Achate fide bona & ſincera doctrina reducuntur. Exemplo ſit vel unicus *Edmundus* DICKINSONUS, proh quanti talenti, eruditionis & ingenii *Roſcius!* tranſcendens ingenii ſubtilitas, quas illa non finxit in aëre ſcalas verſatiles, per quas univerſalis ille mundi

mundi mercurius ad Solem perpetuo aſcendat, in terram decidat? quam ingenioſa Mercurio talaria induxit, & ex ſubtiliſſimis tam vegetantium, quam animalium ſtaminibus quoddam quaſi ſubtegmen pro toga Sophici regis finxit, imo tam lata, quam ipſa natura eſt, Chryſopœiæ jecit fundamenta, illa contra omnium Philoſophorum mentem etiam in regni animalis, præſertim hominis, ſubtiliſſima eſſentia, & in ipſo regno vegetantium, & in cœlo, materia nempe quadam cœleſti, per magnetes ex Solis ac Lunæ radiis phyſice, vel per vitra mechanice detracta, & in metallorum ac mineralium omnium ſpeciebus tum via univerſali, tum particulari methodo collocans, ita, ut iam e quovis ligno, vel e re quavis (cum ſint ejusdem quaſi ſtipitis omnia) fabricari poſſit mercurius Philoſophorum, modo res iſta reddatur pura, fixa & ſubtilis. Prôh! quos conceptus cudit ſubtilioris ingenii ſagacitas! Hos tamen omnes *Theodorus* MUNDANUS, Philoſophus Gallicus perſonatus, in Epiſtola ad DICKINSONUM modeſte, ſed argute ſatis reprobat, additque, illam ingenioſe erectam ſcalarum machinam potius præcipitium, quam rectum aſcenſum, efficere, & eſſe ſtructuram quo ad multos gradus male cohærentes fabricatam, &c.

Poſſem hoc innumeris ſubtiliſſimorum Chymicorum ſpeculationibus penitus vanis & inutilibus, imo, ut verum fatear, etiam olim propriis confirmare, ſi opus foret. Vere dixit NORTHONUS: *In magno acervo imaginationis non eſt exiguus ſcientiæ manipulus.* Naturæ via ſimplex eſt, quod hic monet PHILALETHA, & *ſigillum veritatis*, ut SENDIVOGIUS ait, *eſt ſimplicitas.* In ſimplici naturæ via ſponte occurret, quod in ſubtilitatum aviis fruſtra quæſiveris. Omnes pyrotechnicæ operationes, quo ſimpliciores, eo ſunt nobiliores. Meditetur ſubtilis Philoſophus, quomodo ſit colendus ager, quomodo tractanda vinea; colonus interim, in ſimplicitate naturam ſequens & adjuvans, meſſem faciet & botros colliget, nempe, ut LULLIUS ſcribit in Codicillo, *ſemper in agilibus cognitio ſterilis reperitur tunc, quando non ſequitur rectum opus.*

Verum nolite hic tripudiare ſimpliciſtæ: Naturæ via ſimplex eſt, ſed non reperiunda facile a ſimplici. Ad palatium regium non intromittuntur Bœotæ. Philoſophi requirunt doctrinæ filium, qui habeat ingenium naturaliter profundiſſimum. AVICENNA in artifice exigit cogitationem ſubtilem, vehementem & longam. Rex GEBER diuturnitatem meditationis immenſæ, ſine qua ars non inveniatur: *Artificem*, inquit, *hujus ſcientiæ oportet eſſe ſubtiliſſimi ingenii* Et rurſum: *Non autem ad ipſam indagandam accedat artifex groſſo ingenio & duro repletus. Hic* enim, ut VILLANOVANUS ait, *cæcus procedit ad practicam, ſicut aſinus ad cœnam, neſciens ad quid porrigat roſtrum ſuum.* Verum una requiritur, ut, ſicut LULLIUS in *Theor. teſtamenti Cap. 12.* inquit, *non ſit multum ſubtilis in diſcernendo entia realia, eo quod convertetur in rebus phantaſticis, de quibus ars aut natura non habet curam.* Potiſſimum autem per viam naturæ ſimplicem hic quoque innuere intendit PHILALETHA tum laboris ſeu proceſſus ſophici, tum ipſius materiæ ſimplicitatem: *Res enim,* ut Philoſophi docent, *una, vas unum, coctio ſola.* Ex uno oriuntur & in unum recidunt omnia, cujus una & ſimplici natura nihil eſt ſimplicius. Ingenioſi vero ſubtiles, meditantur materias ſubtiles, compoſitiones ac præparationes ſubtiles, de quibus nihil novit natura. Unde dum portentoſos fabricantur furnos, miras componunt vaſorum ſtructuras, mirasque conjungunt materias, mirum & merum nihil acquirunt, quorum omnium cauſa eſt perverſa imaginatio. Hoc igitur ſerio a PHILALETHA paucis verbis inculcato: jam tranſit ad artis principium.

Aurum igitur purificandi verum unum ſolum principium eſto.

Pauca hæc & ſimplicia verba ſunt, ſed magnis plena myſteriis. PHILALETHA aliud in mente habuit, aliud in calamo. Si purificatio verum, unum & ſolum eſt principium, ergo eſt illa auri

ſumma perfectio & felicitas. Nam felicitatem definit PICUS *Mirandulanus*, *quod ſit reditus uniuſcujusque rei ad ſuum principium.* Felicitas enim eſt ſummum bonum; ſummum autem bonum (de terreſtri non niſi eſt ſermo) auri, eſt ejus perfectio, quæ in ſumma depuratione conſiſtit. Et hæc ut principium artis eſt, ſic & ejus finis, quies & abſoluta felicitas. Adeptionem itaque hujus principii unius commendat PHILALETHA, ut ſumma terreſtris boni acquiratur poſſeſſio, quæ tamen etiam eſt tranſitoria & vanitas, niſi ſe ipſum ſumma depuratione homo ita perficiat, ut ad veram felicitatem, & verum, unum, ſolum illud principium, Deum nempe, perveniat. Hac una & ſolum bona intentione prævia, jam dicam de auri purificatione Philalethina, ſub qua nemo ſibi imaginetur intelligi auri vulgaris proletariam depurationem qualemcunque, vel ipſis Mechanicorum filiis notiſſimam. Noverunt hanc aurifabri & metallorum defæcatores, an proin dices, illos poſſidere verum, unum, ſolum artis principium, quod in purificatione conſiſtit? Verum equidem eſt, & ipſum vulgi aurum eſſe alterum lapidis ſophici in ſua cruditate materiale, in plusquam perfectione formale principium; ſed illud haberi poteſt ſatis natura purum, aut levi artificio tale reddi, id quod ipſe PHILALETHA *Cap. XV.* his verbis voluit indicare: *Aurum perfectum in terræ viſceribus aliquando in fruſtulis arenaque reperitur. Si hoc ſincerum habere poſſis, purum ſatis eſt; ſin minus, purga per antimonium, vel cineritium, vel bulliendo in aqua forti, auro prius granulato, poſtea funde igne fuſionis ac limato, & paratum eſt.* Sed datur & aliud aurum, cujus prævia & præliminaris depuratio verum eſt artis principium, a quo unico & ſolo opus inchoatur. Quapropter & Fr. BASILIUS pro prima clavi auri vulgaris depurationem ſat manifeſte ponere viſus eſt, licet philoſophicam intellexerit; quam differentiam & ipſe PHILALETHA verbis infra pone ſequentibus ſatis exacte monet.

Per aurum igitur hic non intelligit illud vulgare metallicum,

ſed illud duplex *elementale & aſtrale*, ceu artis principia, quæ cum aperta ſint, & partim fixa, partim volatilia, liquida tamen & unguinoſa, ad præparationem ipſo auro aptiora ſunt, & cum in ſua productione, inter elementa plurium particularum inutilium ac ſuperfluarum miſcellam contraxerint, neceſſario depurationem requirunt, priuſquam ex iis verum illud unum & ſolum principium reſultet. Clariſſime & eleganter id docet ESPAGNETUS, *Canone 47.* his verbis: *Intrinſecum & occultum in natura radicem habet, quod, niſi per præcedentem mundationem & ingenioſam ſublimationem, evocari non poteſt. Extrinſecum extra naturam & accidentale eſt. Separa ergo purum ab impuro, ſubſtantiam ab accidentibus, & fac occultum manifeſtum per viam naturæ: ſecus ſiſte gradum. Hoc enim eſt totius artis & operis fundamentum.* Ex quo colliges, vulgaris auri depurationem hic non intelligi, quod clarius adhuc capies ex verbis SENDIVOGII, *Epiſt. 51. Fit ut aliquando principium diſſolvens non diſſolvat totam ſubſtantiam auri, hoc autem rarum eſt. Sed nihil eſt hoc momenti, id eſt, non eſt opus tam purum aurum quærere, quia quidquid eſt purum, diſſolvitur, nihil vero præterea. Hæc enim ſolutio non fit vi ſalium corroſivorum, ſed unice homogeneorum, homogeneitate principii, proindeque heterogenea diſſolvi non poſſunt.*

Ex his ergo patet, mechanicam auri vulgaris depurationem pro vero & uno iſto principio non eſſe habendam, ſed ſubjecti primaterialis, quod eſt aurum vivum & viride, auri virtutem ſeminalem continens, præparationem intelligi, qui actus eſt labore, tædio & periculo pleniſſimus, quod *Theodori* MUNDANI malo verbis, quam meis confirmare: *Purificatio eſt res adeo difficilis: totidem tantæque inter purificationem & fixationem ambages, ut illi etiam, qui ſingula tam apte explicata ad reddendum opus probabiliter facile & perſpicuum intelligunt, tandem confiteri cogantur, quod absque præceptoris adminiculo aut ſpeciali Numinis gratia perfici non poſſit.*

Eſt

Eſt autem aurum noſtrum duplex, quod ad opus noſtrum expetimus, maturum, puta fixum latonem flavum, cujus cor ſive centrum eſt ignis purus, quare corpus ſuum in igne defendit, in quo depurationem recipit, ut nihil ejus tyrannidi cedat aut ab eo patiatur.

Confirmantur hiſce, quæ jam ante diximus. Etſi enim hæc intelligi poſſint de auro vulgari, cujus centrum totum ſulphur eſt, totum ſal, totum homogeneum, ut non cedat ignis tyrannidi, ſed in eo quaſi cum jubilo quieſcat; notandum tamen, quia ante de auri depuratione dixerat, hic non niſi *latonem fixum philoſophicum* intelligi, cujus quoque fixum ac igneum eſt centrum: quomodo enim alias auri metallici ſulphur per illius ignem poſſet extrahi, coqui & ad ſummum perfectionis gradum digeri? Attende porro PHILALETHÆ *aurum noſtrum duplex*, ut rurſus præter vulgare adhuc aliud philoſophicum dari indicet. Fatale ſane eſt pronomen illud *noſtrum*, quoniam, ut in mundo *meum* & *tuum*, infinitas ad fores palatii regii turbas & lites excitat. Utriusque tamen differentiam ſpecificam hic ſatis inſinuat: incipit enim hoc capite jam tum agere de mercurii principiis conſtituentibus. Vulgaris autem latonis flavi depuratio eſt, ut majori citrinitate fulgeat: ſophici, ut majorem conſequatur albedinem, unde & ipſe PHILALETHA, in *Manuductione ad Rubinum cæleſtem*, inquit: *Totum tuum intendatur ſtudium in hoc mercurio comparando, id eſt in latone noſtro rubeo dealbando, quo facto tu, quod tuum eſt, feciſti;* hoc ipſum autem mox clarius pateſcet.

Hoc in opere noſtro vires maris gerit, quare auro noſtro albo crudiori ſpermati fœmineo

 con-

conjungitur, in quo ſperma ſuum emittit, tandemque vinculo indiſſolubili utrumque coit, ſic fit noſter hermaphroditus, utroque ſexu pollens.

Chymiſtarum vulgus textum hunc de conjunctione auri vulgaris, quod revera etiam vices maris in opere gerit, cum Mercurio Philoſophorum explicat, erronee tamen. Inprimis enim Sophorum mercurius, tot menſium digeſtione excoctus, (circa hunc hallucinatur artiſtarum vulgus,) ut vel ipſum aurum maturum magis excoquere & in ſummam perfectionem deducere poſſit, male appellaretur *aurum album crudius*; dein ex mercurii ſophici & auri connubio oriens proles inepte diceretur *hermaphroditus*, cum ens ſit totum homogeneum, naturæ duntaxat ſolaris in lapide aurifico, ob ſulphur ſpecificum. Nihilominus parum refert, ſi quis ita explicet, modo non neſciat, duplex in Philoſophia adepta dari connubium, cujus ignorantia tot hactenus peperit confuſiones: duo nempe ſpermata, vinculo indiſſolubili coëuntia, ad generationem mercurii ſophici in opere primo, in quo regnat fœmella, duo itidem in opere ſecundo ad productionem Elixirii completi, in quo ſol dominatur, qui vices maris gerit. Et horum ignorantia, ob materiarum & operis affinitatem, analogiſmum & homonymiam, multis eſt labyrinthus inextricabilis, dum longe ſeparatas Sophorum intentiones, in gemina operatione, ſub iisdem fere *mercurii* & *auri*, ſeu *latonis* terminis propoſitas, non comprehendunt; unde plures deſinunt, ubi incipere deberent. Qui vero ſagax eſt, facile colligit, hic a PHILALETHA indicari connubium illud ordine prius primi maſculi, quem *Gabricium* vocant, id eſt corporis fixi primaterialis, ſeu auri centralis, latonis philoſophici, & fœmellæ, quam *Beiam* appellant, nempe ſpiritus volatilis mercurialis, ſeu auri albi crudioris. In hanc enim

ille

ille mas emittit ſperma ſuum, id eſt vim generativam, ſeu potius ſeminis metallici multiplicativam, ex quibus naſcitur proles utroque ſexu pollens, quæ ad fermentum ſeu ſemen, tam aureum, quam argenteum ſuſcipiendum, ſicque diverſo hujus reſpectu ad lapidem vel ſolificum, aut lunificum generandum, apta evadit. Connubii itaque ſui compoſiti primi fœmella, ſeu principium fœmineum, appellatur *aurum album crudius*: de quo ſenior ZADITH inquit: *Nominavit* HERMES *aquam Philoſophorum album aurum, ideo quod anima tingens latet in anima illorum;* unde nata eſt ingenioſa aquæ acroſtiche: *Album Quæ Vehit Aurum.* Compoſiti quoque ſecundi fœmella, quæ non eſt niſi mercurius Philoſophorum jam perfectus, *aurum* & quidem *album* vocatur. *Aurum*, quia jam auro vulgari convenit homogeneitate principii; *album*, tum ob colorem, eſt enim inſtar mercurii puriſſimi ſplendens, unde & *æs album* dicitur, de quo illud in Turba Philoſophorum: *Scitote omnes ſcientiam quærentes, quod nulla ſit tinctura, niſi ex ære noſtro albo.* Tum quod ipſum aurum ſibi unitum, priusquam colore Tyrio exuberet, albedine tingat. Hæc dealbatio *latonis rubei*, maximum ſecretum eſt, de quo Philoſophorum axioma valet: *Dealbate latonem & rumpite libros, ne corda veſtra rumpantur. Et* ALFRIDUS *in Turba: Scitote, quod toties operis initium eſt dealbatio, cui ſuccedit rubor, poſtquam eſt operis perfectio.* Auri itaque albi denominatio tam primi compoſiti materiæ fœmineæ, quam mercurio philoſophico tribuitur, de quo poſteriori *Senior*, ita ſcribit: *Commiſce aurum cum auro;* & alii: *Tinge aurum cum auro, non enim tingit niſi tingatur;* & ROSINUS: *Tu niſi aurum in auro ponas, nihil habes.* Porro propter hanc albedinem idem aurum album alii Philoſophi *Lunam* vocaverunt, & ſatis proprie; eſt enim ſperma fœmineum, teſtante ipſo PHILALETHA; unde MORIENUS: *Non pervenitur ad effectum, donec ſol & luna in unum corpus redeant.* *Senior* dicit: *Sol eſt*

oriens

oriens in luna creſcente. Alii aſſerunt: *Sol eſt occultus in luna*, rurſusque alii: *de ventre lunæ ſol extrahitur.* Sexcentas ejusmodi parabolas ſilentio prætereo. Unde ſatis candide & bona fide enunciat ESPAGNETUS, integrum opus perfici duobus ſolis corporibus, ſole & luna, ex quorum veluti maris & fœminæ copula fiat, arte miniſtrante, vera generatio prolis parentibus longe nobilioris. Ex quibus jam abunde intentio noſtri Philoſophi elucelſcit. Pergit igitur ad ſecundum connubium.

Mortuum eſt itaque aurum corporale, priusquam cum ſua ſponſa conjugatur, cum qua ſulphur coagulans, quod in auro eſt, extraverſum invertitur.

In hoc paragrapho proponitur totius operis philoſophici fundamentum, quod igitur ut paulo fuſius explicemus, neceſſitas omnino poſtulat. Primum autem exponam auri corporalis mortem, dein vivificationem, quæ utraque philoſophice intelligenda eſt: Non enim metalla vivunt per formam viventem in lumine animato, ſed per materiam & vim ſeminalem ceu diſpoſitorem & motorem internum, unde dictum Philoſophi: *Cum componitur ſol cum ſuo ſimili, erit germen prægnans.* Auri itaque mors & vita aptius explicari non poſſunt, quam exemplo ſeminis vegetabilis, e. g. tritici, quo & ipſe Magnus LULLIUS uſus eſt in *Theoria Teſtamenti, Cap. 13. & 26.* Semen tritici in granario jacens pro mortuo cenſetur, actu non exſerit intrinſecum vitale principium, neque virtutem prolificam, in interiori receſſu occultam, manifeſtat, quia corporeo cortice quaſi cărcere ligata tenetur. Quando vero rurſum terræ mandatur, ſuccus terræ nitroſus illud penetrat, (en! univerſalis humidi, ceu fœmellæ cum ſpermate maſculino connubium) & penetrando dilatat, & dilatando quaſi in materiam pri-

mam aqueo-viſcoſam convertit, calore nempe Solis non ceſſante operari, unde mox incipit vegetari & vitales actus edere, id eſt, humor incipit inſpiſſari & mutari in ſpermatis naturam, corpus & duritiem accipit cum plantæ totali virtute & configuratione juxta ſpecificam ſeminis ideam; imo non tantum ſic adoleſcit, ſed ad ulteriorem ſpeciei ſuæ propagationem & multiplicationem incredibili fœnore procedit. Summum profecto naturæ miraculum, licet quotidianum & ruſticis notum. Pari quoque ratione aurum corporale mortuum eſt, id eſt, ejus vita, ſeu virtus ſeminaria, (nam & in auro ſemina ſunt auri juxta AUGURELLUM) per liquefactionis ignem quodammodo extincta, ſeu potius introverſa eſt, latitatque ſub carcere corporeo ita profundiſſime abſtruſo, ut, quia in vulgi oculos inſtar ſeminis vegetabilis non incurrit, etiam a viris prudentibus in dubium vocetur. Dum vero cum ſua ſponſa conjungitur, id eſt cum humido ſuo radicali metallico, id eſt ſophorum mercurio, non tantum reanimatur & quaſi vivificatur, ſed ejus quoque virtus & poteſtas ſeminalis ita mirum in modum augetur, ut aliis metallis extra ſe ſit communicabilis. Imo, quod magis eſt, auri anima, ſeu ſpiritus, tali actu ita excitatur, ut eum fere vitalem ac quodammodo ſenſitivum faciant Philoſophi: *Quoniam*, verba ſunt HELMONTII, Tr. Formar. ort. *§. 21. univoce tradunt, ſi ſemen lapidis Chryſopæi ſemel in ovo illorum fotum poſtmodum infrigidetur tantillum, deinceps deſperatum fore conceptum & progreſſum ad lapidem.* Quod repetit Tr. *Arbor vitæ,* ubi ſcribit, lapidem illum vitæ Zoophytæ in ſuis initiis eſſe participem; eamque habere diſtinctam a vegetante & ſenſitiva, quæ ſit vita hactenus anonyma: Vitam autem eſſe veram, quam mors vera teſtatur. Principia enim ſemel plene refrigerata ita emoriuntur, ut nulla ſpes reſtitutionis relinquatur. Quod ita ſit, conſentiunt omnes; ſed quare, nemo hactenus explicavit. Confirmat tamen idem ſua experientia RIPLÆUS Port. 4. *Quiſquis cocto crudum ſemper adjicit, vas ſuum aperiens, materiamque dixit frigeſcere, non*

ille ſperma receptum nutrit, ſed illudit ſibi ipſi, opusque ſuum omne confundit. In quo autem vita metallorum conſiſtat, difficile admodum eſt explicare. Per eam, juxta Philoſophos plures, nil aliud intelligitur, quam ignis ille inſitus, qui a Sole genitus, vapido metallorum fumo & univerſali ſpiritui infuſus, una concreſcit & mixto metallico alligatur, tamque diu incarceratus detinetur, donec a ſpiritu ſimili igneo in mercurio Philoſophorum juris liberi, qui etiam Solis eſt filius, & illius mixti metallici frater, excitetur & evocetur. Hinc ergo ſpiritus a fratre ſpiritu evocari dicitur, juxta aphoriſmos ingenioſiſſimos MAXVELLI.

Explicandum nunc alterum eſt, quomodo auri mortui fiat revivificatio. PHILALETHA dicit, id fieri, ſi ſuæ ſponſæ conjungatur, & cum ea ſulphur coagulans extraverſum invertatur. Quod rurſum ſimili illuſtrabimus: In ſemine vegetabili ad vegetationem promoto per putrefactionem, durus, ſolidus, compactus, clauſus ſiccusque cortex per ingreſſum proprii humidi, ex quo olim erat concretus, panditur & aperitur, unde interior vis ſeminalis, ſeu ſulphur coagulans, ut id apte appellat, extravertitur, quod, ſuccum proprium radicalem coagulando, rurſum una invertitur & abſconditur, ut ſolutione & coagulatione tota abſolvatur vegetatio, manetque ſulphur ſic introverſum, donec alia vice in reſolutionem & putrefactionem abeat. Pari ratione dum aurum a ſucco mercuriali, qui ex principiis auri radicalibus conſtat, penetratur ac reſolvitur, intrinſecum ejus ſulphur, mercurium coagulans, ſalva auri poteſtate ſeminali foras prodit, quæ auri extraverſio dicitur *reductio in primam materiam*, non ſecus ut terræ leſſas, (quæ non niſi menſtruum eſt, ſeu ſolvens, ſale terreſtri nitroſo acuatum,) tritici corpus ex eodem compoſitum & compactum reſolvit, illæſa quoque & integra ſeminis multiplicabilis poteſtate, quæ quoque dici poteſt reductio ejus in primam materiam. Cum vero ſulphur illud auri cum mercurio ſuo per minima & radicaliter miſcetur, tum vere appellatur *aurum vivum*, de quo SENDI-

VOGIUS

VOGIUS ſcribit: *Ne accipias aurum & argentum vulgi; accipe noſtra, quæ ſunt viva.* Tandem hæc duo invicem coagulantur & perfecte fixantur, per projectionem vero in metalla imperfecta ſulphur auri rurſum introvertitur, perpetuoque clauſum & incarceratum manet, donec novo humido mercuriali primigenio recludatur, ut de ſemine vegetabili diximus.

PHILALETHA denique illum mercurium Philoſophorum, cum quo vult aurum copulandum, *ſponſam* vocat, tum, quia matrix ſive vas naturæ eſt, quod Solis, ceu maſculi, activum & informans ſemen excipit ac fovet, tum ut quoque indicet mercurii ſolventis cum auro homogeneitatem, non quidem homogeneitate principali, ſed principiorum, ut eleganter explicat in Epiſtola SENDIVOGIUS. Si quis enim in acetum, ſpiritum vini, aliumve liquorem heterogeneum, ſemen quoddam vegetabile projiceret, tantum abeſt, ut germinationem & multiplicationem promoveret, ut potius eam penitus extingueret. Idem contingit per eos, qui aurum in corroſivis variiſque menſtruis, ab ejus humido radicali prorſus alienis, inepte diſſolvunt. Et hæc clariſſime explicata ſunt ad captum etiam ſimplicium; pergamus nunc cum Autore noſtro.

Sic abſconditur altitudo & manifeſtatur profunditas. Sic fixum ad tempus fit volatile, ut nobiliorem poſtea ſtatum hæreditario poſſideat, in quo fixitatem præpollentem obtinet.

Auri altitndo eſt, eſſe compactum, ſolidum, fixum, citrinum. Hæ qualitates abſcondi, id eſt introverti debent, & manifeſtari ejus profunditas, quod eſt eſſe fluidum, liquidum, volatile, purpureum. Corporea ejus quantitas attenuari debet, id eſt, deponere formam ſuam metallicam, quod fit, quando mediante mercurio in minimas atomos naturæ poſſibiles diſcerpitur ſicque volatiliſatur. Evocatur ſic ejus ſulphur & ad perfectionem longe ſublimiorem evehitur, in qua fixitatem priſtinam non amittit, ſed in immen-

ſum auctam obtinet, recuperato ſuper mercurium ſophicum dominio.

Sophiſtarum quidem turba id imitari laborat, aurum vero non ad tempus, ſed potius, absque omni regreſſu ad ſtatum priſtinum, reddit volatile, dum ei mercurii vulgaris addit alas & talaria, quibus per caminum in chaos avolat, non reducendum cum falconibus. Ut ſic quoque illis manifeſtatur ſtupiditatis altitudo & ignorantiæ profunditas, meditantur quidem adeptione artis nobiliorem in mundo ſtatum hæreditario, in quo fixitatem fortunæ ac felicitatis præpollentem obtineant, ſed metamorphoſin, quam in auro exſpectant, in ſe ipſis experiuntur, ex ſanitate, quam perennem optabant, in morbos, per fumos mercuriales & arſenicales, conjecti, ex fortunarum qualicunque copia ad inopiam, ex viris vulgo ſapientibus pene ad ſtultitiam redacti.

Patet igitur, quod totum ſecretum in mercurio conſiſtat, de quo Philoſophus: In mercurio eſt, inquit, quidquid quærunt ſapientes. De hoc GEBER: Laudetur, inquit, Altiſſimus, qui mercurium noſtrum creavit, eique dedit naturam cuncta ſuperantem. Certe enim niſi hic eſſet, glorientur Alchymiſtæ utut volunt, vanum eſſet opus alchymiſticum.

Communis hæc eſt Philoſophorum cantilena vel millies repetita: *Eſt in mercurio quidquid quærunt ſapientes*, adde, & quidquid quærunt inſipientes. Inveniunt in eo ſapientes rerum naturalium cognitionem: Inveniunt inſipientes ſupremum ſtoliditatis ſuæ gradum. Mercurius ſapientibus morem gerit, ut laudent & glorificent Altiſſimum. Inſipientes vexat eosque variis larvis ludit, quovis Vertumno inconſtantior, omnes inſtar Protei vultus ſubiens,

excepto

excepto eo, qui regem deceat, unde ipſam naturam, ut ille apud SENDIVOGIUM Alcumiſta, execrantur, quod filium tam immorigerum genuerit, impotentiæ arguunt, & arcanæ Philoſophiæ primicerios falſitatis & impoſturæ.

Interim tamen eſt in mercurio, ſcilicet illo, qui univerſi entelechia eſt, quidquid quærunt ſapientes, quod in mercurio vulgi, alchymiſtarum idolo, fruſtra quæritur; unde non omnes, qui utuntur hoc axiomate: *Eſt in mercurio* &c. ſunt ſapientes, *neque omnes* ut dicit ROSARIUS, *qui clamant Recipe! Recipe! intrant in artem, quia unum tantum eſt Recipe, unum corpus non intrat alterum.* Notate hoc, qui mercurium creditis eſſe ſpiritum. Cavete hunc furem, qui depeculatur burſas; cavete latronem, cujus technæ fere ſunt inevitabiles. Vos Argemiſtæ, Lauchimiſtæ, & Lacrymiſtæ, (ſic Sophiſtas appellat ROSARIUS) arrigite auriculas & inclamantem audite LULLIUM: *Nos dicimus, quod argentum vivum vulgare non poteſt eſſe argentum vivum Philoſophorum, quocunqne* (notate bene hoc, qui vulgi mercurium methodo Philalethina cum ſulphure & mercurio reguli antimonii martialis animatum indubitate pro genuino philoſophico habetis,) *artificio præparetur.* Perpendite ſapientiæ ſtudioſi, qui artis tramitem facilem ac planum quæritis, quid ejus Auctor (quem inſpicite in *Bibliotheca chymica* MANGETTI, *Tom. II. Lib. III. Sect. 3. ſubs. 9.*) ſerio moneat: *Dico cum Ripleo & manuductionis ad Rubinum cœleſtem authore* (hic quoque PHILALETHA eſt,) *quod mercurius communis eſt omnium Alchymiſtarum deceptor, quodque veram ſapientiæ ſemitam inſequi cupienti impoſſibile ſit, optatum finem adipiſci, quamvis in eo ſuam operam ad extremum usque diem impenderet.* Non itaque diſſimulandum, in perſonato iſto PANTALEONE (cui egregie larvam detraxit BECCHERUS) iniquo nimium PHILALETHÆ noſtri judice, qui quidem mundo ſe obtruſit adeptum, & tamen abſurdam illam fovet ſententiam, dum in *Examine Alchymiſt. Cap. I.* non veretur aſſerere: *Doctiores, nauſeam*

ſuper mercurio metallico contractam palliare neſcientes, ſe toti poſteritati proſtituerunt & literis evulgarunt, quod mercurius vulgi, quocunque artificio tractetur, non poſſit fieri philoſophicus, quod ridiculum & plane falſum eſt. Judicet nunc phyſicæ veritatis amator, cui potius, an LULLIO, RIPLÆO, aliisque innumeris adeptis, an vero huic Philalethæ ſimiæ (qui mercurii vulgaris animationem cum regulo martis antimoniali, ceu horrendum ſecretum, ab *Alexandro* SUCHTENIO tamen, imo ab ipſo PHILALETHA in experimentis ſuis mercurii ſophici ingenue & verbis ſane claris deſcriptum, Magnæ Britanniæ Regi aliquot ducatorum millibus vendendum obtulit,) fides ſit habenda. Jure meritoque hi omnes exclamant: Laudetur Altiſſimus, qui *mercurium noſtrum* (non dicunt vulgi) creavit. Etſi enim propter res quaslibet, vel viliſſimum etiam vermiculum, laudandus & adorandus ſit Creator, tamen magis & maxime, quod poſt rationalem animam ens aliquod condiderit pretioſiſſimum, in triplici naturæ regno eminens, quod, ut TOLETANUS inquit, operis philoſophici baſis eſt, & non eſt, niſi aqua limpida omnibus obvia & inſerviens, ut ESPAGNETUS ſcribit *Canon. XI.*, qualem nemo prudens mercurium vulgi dixerit.

Liquet proinde, quod non vulgaris hic ſit mercurius, at ſophicus. Quia omnis mercurius vulgi eſt mas, id eſt corporalis, ſpecificatus & mortuus; at noſter eſt ſpiritus, fœmina viva & vivifica.

Statuit PHILALETHA, nullum vulgi mercurium eſſe ſophicum, quia omnis vulgi mercurius (notate, omnis) mas eſt, ſophicus autem fœmina. Bene! hoc eſt quod audire volebant Mercurialiſtæ. Maſculinam enim naturam & robur mercurio ſuo attribui lubenter audiunt, ſed frontem caperant, dum PHILALETHA addit,

dit, eum eſſe mortuum. Quæ enim in Hercule aut leone mortuo vires? Mercurium vulgi ita mobilem, ita fluidum appellare mortuum, eum ita fugitivum dicere duntaxat corporalem, duræ digeſtionis eſt hujus patronis. Specificatum pronunciare eum, quem omnium metallorum ſemen eſſe credunt, & in quem, ceu primam materiam, metalla omnia reduci & aurum pro fructu millecuplo inſeminari volunt, hoc eſt quod invitis eorum dicitur auribus. Vera tamen ſunt hæc omnia. Unde eleganter ſcriptor anonymus libro, cui titulus: *Radius ab umbra* Cap. 2. *Noſter*, inquit, *Mercurius ſpiritus eſt puriſſimus, omnium metallorum verum ſemen. Mercurius vero vulgi corpus eſt, ab iſto ſpiritu factum, ut a ſemine. Noſter, propter activitatem ſui ſulphuris congelatus, eſt humidum radicale metallorum: Mercurius vulgi fluidum corpus eſt metallicum, absque ſulphure activo, quod eum congelet.* Intellexiſti hæc Mercurii vulgaris hyperaſpiſtes? Solus Mercurius Philoſophorum eſt ſpiritus & a proprio activo ſulphure coagulabilis, & a ſulphure perfecti metalli penitus fixabilis. Fœmina enim eſt, cui maſculinæ naturæ aurum pro marito deſponſatur. Quid ad Regis connubium ſervus natus aſpiret? maſculorum nefariam copulam exhorreſcit natura. Nolite huic & ejus creatori facere injuriam. Mercurius veſter mas maneat, cujus vos ſexum nunquam immutabitis. Mercurius Sophorum fœmella viva eſt, quod argentum vivum veſtrum momento occidit. Stupeſcite! baſiliſci oculos hæc fœmella habet plenos igne, qui frigidas maris veſtri medullas protinus congelat, uterum habet plenum armis. Servus quidem veſter fugitivus etiam hanc deperit, ſed ſolo ejus attactu miſer interficitur. Ite nunc & de ejus poteſtate voce ſtentorea gloriemini. Fœmella denique viva eſt & vivifica, dum aurum mortuum, id eſt virtutem ejus ſeminalem, reſuſcitat & novam quaſi vitam inſpirat. Video jam vos anxios, & ipſo argento vivo veſtro mobiliores fluctuare, neſcios, quid tandem cum eo vobis ſit incipiendum. Non capitis eum corpus eſſe, eſſe marem, eſſe

ſpeci-

ſpecificatum, eſſe mortuum, quorum nihil cadit in mercurium ſophicum. Non aliud vobis dare poſſum conſilium, præter hoc: Abjicite mercurium iſtum: Eligite illud, quod & ipſius ſemen eſt: ſumite materiam primam argenti vivi veſtri. Hæc quid ſit, inferius clare percipietis. Nunc aliquas mercurii ſophici proprietates attendite.

Attende ergo, quæ ſim de mercurio dicturus, quia, ut ait Philoſophus, Mercurius noſter eſt ſal Sophorum, ſine quo quicunque operatur, eſt ſicut ſagittarius, qui ſine chorda ſagittat. Et tamen nuſpiam ſuper terram eſt reperibilis.

Noſter Mercurius eſt ſal noſtrum, & ſal noſtrum noſter eſt mercurius, perpetua apud Sophos eſt Ode, ad quam nunc attentionem exigit PHILALETHA, quaſi hæc ſola chorda ſit, qua poſſit ſagittari ad ſcopum. Modulatus ita jamtum eſt ante aliquot ſecula RUPECISSA, auctor ad decipiendum natus, qui proceſſu ſophiſtico ad longum deſcripto tandem §. cui titulus: *de ſale, ignoſcat mihi Deus*, ſic intonat: *Et ego juro per Deum, ſine quo non eſt Deus, qui eſt ſciens, abſens, præſens: Vir, qui ignorat ſecretum ſalis, non comprehendit parum vel multum ex eo, qui conceditur ei comedere, quoniam cum ignorat naturam ejus, eſt, ſicut qui ſagittat ſine chorda.* Eundem arcum tendit etiam cum juramento *Johannes* GARLANDUS, Anglus, Lib. I. Mineral. Cap. 23. *Juro ego per nomen Dei cuncta ſcientis, quod qui ignorat ſalem abſconditum, nihil adeptus eſt illius rei, quam erat adepturus.* Verum (quæ interponenda eſt parentheſis) gravis hic eſt tonus. Indignum homine chriſtiano & inprimis religioſo, citra neceſſitatem juramento tam emphatico corroborare rem obſcuriſſimam. Major Creatoris majeſtati debetur reverentia, quam ut in creaturæ exiſtentiam teſtis invocetur. Merito ille addidit, conſcientia monente: *ignoſcat mihi Deus*

hi Deus. Eadem ſalis chorda ad ſcopum collimat ROSARII auctor: *Qui ſcit*, inquit, *ſalem & ejus ſolutionem, ille ſcit ſecretum occultum antiquorum ſapientum. Pone ergo mentem tuam ſuper ſalem, nec cogites de aliis. Nam in ipſo ſolo occultatur ſcientia & arcanum præcipuum & ſecretiſſimum omnium antiquorum Philoſophorum.* Ita inter adeptos, ut alios innumeros prætercam, de ſale eſt concordia. Verum quando indicandum eſt, quale ſit illud ſal mercuriale, pauſam faciunt Cantatores, & magnum oritur poſt clamores ſilentium. Qui antea in ſale videbantur ſymphoni, in ejus determinanda ſpecie ſunt intricatiſſime diſcordes. RUPECISSA, ut ſaltem allegatos repetam, de ſale loquitur, qui conceditur comedere, quod certe non erit aliud, quam culinarium, quod omnibus Indiæ aromatibus præfert Fr. BASILIUS. GARLANDUS ait: *Invenient autem ſalem in omnibus cineribus vegetabilium & in calcibus lapidum & in oſſibus animalium.* Sed hæc redolent ſophiſma. Sincerius multo auctor ROSARII: *Omnia ſalia cujuscunque generis arti noſtræ ſunt contraria, dempto ſale noſtræ lunariæ.* Quid ad hæc vero noſter PHILALETHA? *Nuſpiam*, inquit, *ſuper terram eſt reperibilis.* O grandem diſphoniam! quis has ſententias conciliabit? in ſale marino, juxta RUPECISSAM, quærere mercurium, offenſionis lapis eſt, quem vitandum monet *Bernardus* TREVISANUS, exantlatis in ſale ab eo tot annorum curriculo fruſtraneis laboribus. Sal vegetabilium, lapidum, animalium GARLANDI, impertinens eſt & plane extra rhombum. Si juxta PHILALETHAM nullibi ſuper terram reperiatur, ubi ergo quæſiveris? an forte ex Solis & Lunæ radiis, unde ſal dicatur lunariæ? an capiendum in aëre, nam terram ſuam ſupra capita noſtra volitare perhibent Philoſophi? Verum viri boni nolite errare. Senſum myſticum, non literam attendite. Ego aliquam caliginem ab oculis veſtris removebo.

Mercurius Philoſophorum ſal dicitur, ob varias rationes: Primo, quia inſtar ſalium ſolubilis ac coagulabilis eſt, & ad nutum

quidem artificis, ut vel in forma terræ foliatæ ſalinæ coagulatus, vel forma liquoris unctuoſi ſolutus compareat. Cum enim totum ſophiæ opus in ſolutione & coagulatione conſiſtat, primum & maxime neceſſarium eſt, ut mercurius, circa quem verſantur operationes, ſolubilis & coagulabilis ſit, adeoque naturam ſalis habeat. Sola enim ſalia & alumina ſolvi, liquari, & coagulari poſſunt, monente id expreſſis verbis Rege GEBERO; unde artificibus nil magis in voto eſt, quam *ſal fuſile*, quo quidem liquabilitatis & ſolubilitatis reſpectu & ipſe Philoſophorum lapis ſal appellatur, unde illud: *Sal metallorum eſt lapis Philoſophorum.* Non quod ex metallis more ſophiſtico extractus ſit, ſed quod aurum ipſum mediante intima & radicali conjunctione cum mercurio Sophorum naturam ſalis fuſilis induerit: Niſi enim & ipſe ad lubitum artificis ſolvi poſſet, fruſtranea ſpes omnis foret ad virtutis multiplicationem, quæ ſola ſolutione & coagulatione phyſica peragitur. Conſiderate jam vos Mercurialiſtæ, num eo poſſitis diſponere vulgi mercurium, auro nuptum, ut ad nutum veſtrum jam revera corpus ſit fluidum, ſeu potius ſpiritus fluens unctuoſus, in ſicco coagulabilis, & rurſus ſal fuſile ſolidum in humido calore ſolubile. Conſiderate hoc obteſtor in operis primi limine, & mercurii veſtri ineptitudinem, niſi aut cœci, aut bardi, aut pertinaces eſtis, haud difficulter agnoſcetis.

Altera hujus appellationis cauſa eſt, quod mercurius Sophorum proprie, ut ipſe monet PHILALETHA Cap. XI., *ſalium ens primum eſt, qui quodvis metallum diſſolvit & mercurium coagulat.* Nempe quia ex humore unctuoſo & ſubtili terra, ſeu, quod idem eſt, ex ſpiritu ſeu fluore aſtrali, (ut infra explicabitur) & ſalis fixo ſemine, id eſt, ex duabus ſalinis ſubſtantiis ejusdem radicis generatur, ſicque principium & ſolutivum & coagulativum formaliter in ſe continet, propter quod a mercurio quocunque vulgi ſpecifice differt, prout hanc differentiam quoque *Theodorus* MUNDANUS, Philoſophus candore incomparabilis, Tr. de *Quinta eſ-*

ſent.

ſent. Philoſoph. his verbis indicat: *Mercurius vulgaris, niſi prius putreſcat & in primam reducatur materiam, ab ejus corpore nullum ſalem præbebit: Noſter in viſceribus ſuis tum album, tum rubrum ſalem continet, & realiter totus eſt ſal a ſalinoſo fonte profluens.* Ex quibus patet, quare dicatur nuſpiam ſuper terram reperibilis, nempe quia, etſi materiæ iſtæ, quæ omnium metallorum ſunt radicalis humor, reperiantur, ſubtilis tamen earum, nempe humidi unctuoſi, & terreſtris ſubtilis compoſitio, & in argentum vivum Philoſophorum elaboratio, per ſolam naturam, absque ingenii & humanarum manuum adjutorio, non perficitur, ſed magna induſtria, & arte, naturæ ductum & potentiam ſequente, e rebus, quibus ineſt, miro modo ſagaciter educitur, unde SENDIVOGIUS: *Eſt, ſed non videtur, donec artifici placeat*, & VANNUS *Philoſophus* ſcribit:

Res inviſibilis tecta eſt, quam quærere debes.

Sal autem lunariæ appellatur, quia mercurius, ceu alterum compoſiti ſophici ingrediens, paſſim *luna* dicitur, ille vero, ut jam oſtendi, naturæ & originis ſalinæ eſt.

Dedi jam hujus ſalis perfectiſſimam tibi theoriam; ut vero in praxi ſcopum ferias, inſpice Fr. BASILII emblema octavum, in quo meta, cui impoſita eſt clavis, depingitur, ad quam duo ſagittarii non infelici chorda jam ſex ſagittas jaculati ſunt, & ſagittam dirigunt ſeptimam, quæ ipſum metæ punctum tangit. Scilicet ex duobus per ſepties repetitam jaculationem (ſeptem Philalethæ aquilas intellige) obtinetur iſta clavis ſalino-mercurialis, quæ omnium Sophorum meta eſt. Vide nunc ut & ipſe arcum bene tendas, quo ſcopi præfixi *nigrum* feliciter attingas.

Filius autem eſt a nobis formatus, non creando, at ex iis rebus, in quibus eſt, extrahendo,

cooperante natura, modo miro, per artem ſagacem.

Mercurius Philoſophorum tres patres habet: Naturam, ſive Solem, unde *filius Solis* dicitur, nec non ignem & Philoſophum, unde quoque *natus ignis & Philoſophi* appellatur. Natura artem ducit & adjuvat; ars ſagax veluti obſtetrix opitulatur naturæ, & ſic Vulcani, ſeu ignis adminiculo producitur. Sol cauſa eſt ejus generationis, ignis cauſa perfectionis, artifex cauſa compoſitionis & multiplicationis. Et ſic producitur, non creatur. Semina enim creare ſolius Conditoris eſt, eadem promovere in actum generationis & multiplicationis, ad artificem pertinet. Extrahitur igitur ex rebus præexiſtentibus. Si jam quæras, quænam illæ ſint? reſpondet PHILALETHA, *res illæ, in quibus eſt.* Reſpondet *Guido de* MONTANOR: *Dico, quod ex illis elicitur per artem, in quibus habitat potentialiter per naturam.* Et *nos reſpondentes*, inquit GEBER, *dicimus, quod in quibus eſt, ex illis elicitur;* & rurſum: *Extrahere ipſum e re, in qua non eſt, hoc ſtultum eſſet cogitare & vanum.* Reſpondet GRATIANUS: *Accipe hoc & hoc, & fac ſic & ſic, & habebis hoc.* AVICENNA autem concludit: *Qui accipit quod debet & operatur ſicut debet, procedet inde, ſicut debet.*

Verum quid hoc aliud eſt, quam ludere ſciſcitantem, quam indagatorem naſo adunco ſuſpendere? non diffitentur hoc ipſum Sophi, unde MERCULINUS:

Et ſic transponunt, quod ſtultis pandere nolunt.

Imitantur illi omnes ſuum HERMETEM, qui & ipſe inquit: *Ipſe eſt a radice materiæ ſuæ, quæ in eodem & de eodem.* Sed permittite ſophi: Si perconter, quæ via Romam ituro tenenda ſit, & reſpondeatis, illa quæ eo ducit; ſi interrogem, ubi ſint colligendæ uvæ & ficus, & dicatis, ex iis arboribus, in quibus creſcunt, nunquid id eſt ludere? nunquid idem eſt cum dicitis: *Subſtantia, quæ quæri-*

quæritur, eadem eſt cum ea, ex qua depromi debet. Verum rident illi, & omnium loco reſpondet Rex CALID : *Qui ipſum ſciverit, ſciat, & qui neſcierit, neſciat.* Exiguum profecto ſolatium! Subtilia illa tantum ſophiſmata ſunt, quæ qui non capit, quid pro quo arripit, recipit neſcio quale & obtinet neſcio quid, nec enim invenit quod quærit, qui quid & ubi quærat, neſcit. Non invenit finem, qui ignorat principium. Sic itaque hoc primum caput finit PHILALETHA, & ego, pro majori explicatione hujus paragraphi, luſu allegorico-ſatyrico-philoſophico finiam ſuper PHILALETHÆ thema.

Filius autem eſt a nobis formatus modo miro.

Quis noſtrum eſt, qui connubio junctus non affectet parentis nomen, & filios deſideret ad magna natos? Quid ergo mirum, Alchymicos quoque artiſtas anhelare paternitatem filiæ mercurialis, quæ ad thalamum Solis regium admittatur? Sterile ſane conjugium admodum contriſtatur Sophiſtas, & tantum non eorum oſſa præ amaritudine animæ exſiccat. Jure conſulti *Sempronium* & *Cajam* pro individuis vagis habent, eorumque nominibus in occultorum caſuum deciſione utuntur. Philoſophi *Gabritium* & *Bejam*, proh quam vaga nomina! connubio jungunt, ut ex iis regia proles progignatur, quæ quæritur a multis millibus & rariſſime invenitur, ut docet experientia. Sophiſtæ ſervum fugitivum, vulgi mercurium, exterius varie adornatum, ſub larva fœmellæ ſophicæ Regi deſponſare conantur. Hic tamen adulter eſt, non maſculos, ſed fœmellas quærit, a quibus mox divortium facit, lenones ſuos relinquens improles. Quæ ſtoliditas viri prudentes! expetitis a Rege ſolari prolem, quæ patris naturam & nomen geſtet, & negligitis illi debitam ſponſam jungere. Laboratis eam quidem reperire, ſed incaſſum, quia paranympham neſcitis, *cooperantem naturam.* Quæritis, ſed non invenitis, quia non quæritis in domo parentis, id eſt, ***in iis rebus, in quibus eſt***, nempe deficit vobis ***ars ſagax***,

quæ inſtar prudentiſſimi emiſſarii, ubi ſponſa habitet, expiſcatur. Hæc certe non ſponte ſequitur ſuos procos, extrahendam eſſe monet PHILALETHA, quod vim & laborem denotat. Extrahenda eſt fœmella philoſophica ex domo paterna, quam invita deſerit, & quidem *modo miro*, *quia unicum illud eſt in regno metallico originis miræ*, ut *Cap. 19.* noſter inquit Philoſophus, propter difficultatem artis, tam eam ſpeculative inveniendi, quam practice educendi mirabilem modum. Dicitur eſſe in regno metallico, ſed cave tamen, ne in metallis perfectis, multo minus imperfectis, eam quæras; meditare igitur, ubi alias ſit invenienda. Felix eſt, cui ad ſponſum patet acceſſus felici hora (quam Galli l'heure de Bergere vocant). Etiam Sophorum nympha horam ſuam habet, in qua quærenda. Sed quænam illa? mira ſane, quam PHILALETHA noſter indicat his verbis: *In hora ſuæ nativitatis eam quæras.* Sed quæ paradoxa? Quis infantem neonatum deſtinat, aut potius jungit matrimonio? ita eſt, inquit PHILALETHA. Etiam in hora nativitatis *in mercurio liqueſcit, ut glacies in aqua tepida;* ita infans amore ſuum ſponſum complectitur. Et nunquid hic modus eſt mirus? Sed ex imperfectis quæ naſcetur ſoboles perfecta! infans ille in hora nativitatis nunquid imperfectus? nil refert, inquit PHILALETHA Cap. 18., *ſi aurum noſtrum*, id eſt hanc prolem, *quæris, in re media inter perfectum & imperfectum quære, & invenies.* Etiam infans jam natus perfectus homo eſt natura, imperfectus agendi potentia. Infans philoſophicus inter perfectionis & imperfectionis ſtat confinia. Perfectus eſt, quatenus jam puriſſimus & plane organizatus ad exercendas actiones potentia proxima: Imperfectus, quatenus ſuo ſponſo, auri nempe marito, ſulphure deſtituitur. Quicunque igitur inter patres Philoſophiæ conſcriptos paternitatis nomine lætari geſtitis, hæc noſcite. Diſputate primum apud vos pro & contra, & pro licentia inter patres adeptos conſidendi ad ſequentes quæſtiones philoſophicas, per Academiæ Hermeticæ Profeſſores propoſitas, reſpondete.

Quæſtio I. Quæ ſit mater virgo & pater qui nunquam concubuit?

— — II. Quæ ſit mater, intemeratæ virginitatis gloria remanente, gravida, juxta ESPAGNETUM?

— — III. Quomodo Beja, ante fidem datam Gabritio, citra crimen imprægnari poſſit?

— — IV. Quomodo Gabritius, cum Beja concumbens, protinus mortuus ſit, Beja autem eum in partes dividat uteroque includat, ut nihil prorſus de eo videatur?

— — V. Quis juxta LULLIUM ſit iſte maſculus appropriatus tali fœmellæ, ut generet puerum, qui nunquam morietur, imo faciat mortuos vivere, & poſt mortem vivat cum illis?

— — VI. Quæ juxta COSMOPOLITAM ſit illa regio, in quam vir perduxit uxorem, cujus nuptiæ in domo naturæ celebratæ ſunt?

— — VII. Quæ ſit mulier meretrix, quæ per artem intemeratæ virginitati reſtituitur?

— — VIII. Quæ ſit mulier, quæ in uxorem datur marito, cujus tamen tam ſoror, quam mater eſt?

— — IX. Qui ſit infans, qui in ipſamet hora nativitatis ſuæ deſponſandus?

— — X. Quis ſit iſte Hermetis filius, cujus Sol pater & Luna mater, nutrix terra, & quem ventus in utero portavit?

— — XI. An proles hæc animam habeat, ſi ſecus, quomodo illa mediante vento ſit inducenda?

Quæſtio

Quæſtio XII. Quis ſit myſticus ille natus ſapientis, qui in aëre ſapienter naſcitur?

— — XIII. Quomodo juxta RIPLÆUM intelligendum ſit, nunquam fore generationem nati philoſophici, niſi fœminam viduo jacere lecto permiſeris?

— — Quomodo juxta TOLETANUM ligandæ ſint mulieris lactantis manus poſt tergum, ut non fugiat virum, & apponendus filius, quem genuit, ut lactet eum?.

— — XV. Qui ſit juxta eundem natus ille, qui perſecutor matris ſuæ factus eſt, priusquam ab illa acciperet volatum?

— — XVI. Quæ mulier concipiat & imprægnetur a ſe ipſa & pariat ſe ipſam?

— — XVII. Quomodo tandem hæc omnia, pater & mater, pater & filius, ſenex & puer, ſponſus & ſponſa, ſint omnino unum & idem?

Ex his quam difficile, quam arduum, quam occultum, quam mirabile ſit Sophorum conjugium, facile quis colliget. Obſcuriſſima illa quidem ſunt, ſed tamen non ignota eſſe debent artifici, qui intendit, Sophiam Hermeticam ſibi connubio jungere ſtabili propriamque dicare. Qui vero hæc juxta ſenſum myſticum noverit reſolvere, poterit gloriari cum PHILALETHA: *Filius autem eſt a nobis formatus miro modo per artem ſagacem;* eumque dignum cenſebit, pater Hermes, qui inter purpuratos palatii regii proceres ſublimi loco collocetur.

Caput

Caput II.

De
Componentibus principiis Mercurii Sophici.

Acutiſſimi GEBERI monitum eſt: ***Expedit artificem hujus artis principia & radices principales, quæ ſunt de Eſſe operis, non ignorare, quoniam qui principium ignorat, finem non inveniet.*** Bene igitur PHILALETHA incipit a principiis mercurii ſophici componentibus, per quæ intelligenda non ſunt principia principiantia, quæ ſunt elementa, licet his Philoſophi illa metaphorice deſignent, ſed principiata ex elementis compoſita. His enim ſola utitur natura, illis ars, unde & *elementa elementata* dicuntur, qualia ſunt Chymicorum illa tria, ſal, ſulphur & mercurius, quæ tamen nondum ſunt principia Philoſophiæ adeptæ, licet remotiſſime in ſingulis latitet id, quod conſtituit eorum ſulphur vivum & mercurium, & illa quoque analogice ſic dicta pro mercurii ſui principiis componentibus agnoſcat PHILALETHA, ut hoc capite dilucide oſtendemus. Sic igitur incipit:

Intentio quorundam in hac arte operantium eſt hæc; ut mercurium diverſimode purgent. Nam per ſalia adjuncta ſublimant, nonnulli a variis fecibus, alii per ſe tantum vivificant. Sic repetitis operationibus Mercurium Philoſophorum factum autumant & errant, quia non in natura operantur, quæ ſola in ſua natura emendatur.

Ut Philoſophiæ ſtabilem baſin ponat, fluxile & inconſtans illud in Mercurio vulgi erronee ſuppoſitum fundamentum removet, & ſicuti ſuperius eundem penitus rejecit, ſic & hic diverſimodas in eo Sophiſtarum operationes, per ſublimationem vel cum ſalibus, vel per quascunque feces (ad quas merito ſquamas ferri, teſtas ovorum, calcem vivam &c. quibus nonnulli utuntur, referas), inſtitutas, poſt RIPLÆUM *Porta 8.* aliosque veros adeptos reprobat. Eſto, a Mercurio vulgi iſtis quidem laboribus admixtas forte ſcorias & impuritates heterogeneas ſeparari, non tamen proin evadit philoſophicus, utpote qui non ſeparando, ſed componendo conficitur. Etenim vulgaris mercurii centro induci nequit ſulphur, quod illi deficit, activum, quia totus eſt indiviſibilis, nihilque ad principia ſui radicalia intromittit jam coagulatus, licet in forma compareat fluida, niſi totus invertatur ac deſtruatur, quod tamen teſte *Bernardo* TREVISANO ad opus penitus eſt inutile. Totius itaque Orthochymicæ, omnisque naturalis transmutationis fundamentum in eo conſiſtit, *quod natura in ſola ſua natura emendetur*, quod celeberrimum illud axioma eſt, quod præfatum Comitem errantem, aliosque miſere in devia ſeductos, ad rectam ſemitam revocavit. Natura enim naturam attrahit, concipit, amplectitur, retinet, aſſimilat, perficit, quod vel ſexcentis ejusmodi Sophorum aphoriſmis innuitur, unde jam ipſe HERMES dixit: *Nihil convenit rei, niſi quod propinquius eſt illi in ſua natura.* Si, quid natura ſit, interroges, nulla hic aptior definitio, quam illa ARISTOTELIS, quod ſit *principium motus & quietis*. Duplex enim in protophyſica eſt natura, quarum una eſt principium motus, unde fluiditas & volatilitas in ſolutione, altera principium quietis, unde firmitas & fixitas in coagulatione dependent, quæ licet natura diverſa videatur in agendo & patiendo, unius tamen eſt originis & eſſentiæ & ad unum finem tendit, ut ſequentibus indicat PHILALETHA:

Sciant itaque, aquam noſtram componi ex multis,

tis, eſſe tamen rem unam ex diverſis ſubſtantiis unius eſſentiæ concretis factam.

Sunt, qui volunt videri magni Phyſici, nec tamen credunt, in mari philoſophico exiſtere aquam, licet in *Roſario Philoſophorum* ſcriptum legant: *Argentum vivum noſtrum eſt aqua clariſſima noſtra.* Quod etiam toties totiesque Fr. *Baſilius* VALENTINUS citra metaphoram ſimpliciter appellat *liquoroſam ſubſtantiam*, de qua ſenior ZADITH inquit: *Fluit, quod videntes dicant;* ſcilicet hoc poterunt teſtari, qui viderunt. Singulari igitur candore etiam PHILALETHA hic præliminariter compoſitum Mercurii ſophici appellat *aquam*, quod aſteriſco notent artis ſtudioſi. In aliis enim capitibus videtur res plane ſiccas in ſcenam adducere, ex iisque componere Mercurium, quod tamen, qui naſum habet, facile ſubodorabitur, de rebus vere liquidis ac fluidis, etiam in primo ſtatu manus madefacientibus, intelligi. Impoſſibile namque foret, in rebus aridis & ſiccis aut operationes ab eo deſignatas peragi, aut phænomena deſcripta conſpici. Etenim ſemper in forma aquæ & non in forma mercurii currentis fit circulatio.

Quæ quidem aqua una eſt, nam non niſi una tangitur & videtur, intrinſece tamen ex diverſis conſtat ſubſtantiis, quod confirmant præſtantiſſimi Philoſophi. Antiquiſſimus ZADITH id expreſſe monet: *Sophiſmata* inquit *ſapientum accedunt, veluti cum dicunt, quod res noſtra eſt ex una re; non opinetur aliquis, quod ſit in una re, ſed ex diverſis, quæ præparatæ factæ ſunt unum.* EXIMERUS *in Turba philoſophica* ait: *Moneo igitur vos, argentum vivum, quod ex pluribus rebus confluxit, congelare, ut duo tria faciant, id eſt, maſculus & fœmina faciunt aquam vitæ, in qua ſunt tria, aër, ignis, & aqua.* Autor *Fontis chymici* idem verbis paulo mutatis dicit: *Aqua licet ſit una, non tamen eſt ſimplex, ſed compoſita, nempe ex vaſe & igne Philoſophorum, quibus tertium additur, nempe vinculum.* Et addit, hæc omnia eſſe unum in

uno eodemque genere, virtute autem in opere, ut & numero diverſificari, quæ proin PHILALETHA hic vocat *diverſas ſubſtantias unius eſſentiæ.* Omitto ſexcenta alia teſtimonia, & unum addo LULLIUM, qui in *Compendio* ait: *Hæc principia non ſunt naturaliter in una re individuali producta, ut plures errando putant, dicentes, quod una res individualis erat in orbe, quæ virtutem habeat ad transmutandum omnia metalla ſuper terram, quod falſum eſt. Principia autem illa mercurii conſtituentia ſunt unius eſſentiæ, non poſſent enim alias in ens plane homogeneum ullo artificio reduci.*

Perpendite nunc vos Mercurialiſtæ, quomodo hæc omnia de Mercurio veſtro vulgi, quomodocunque depurato, ſublimato, aut cum regulo antimonii martiali amalgammato & abſtracto, verificari poſſint. Poteſtne ille dici aqua compoſita, ex multis & diverſis ſubſtantiis unius eſſentiæ concreta? non ſeducite vosmet ipſos nimium ſubtili hujus textus detorſione. Omnia compoſiti veſtri mercurialis ingredientia eſſentialiter differunt.

Eſt nempe in aqua noſtra requiſitus primo ignis, ſecundo liquor ſaturniæ vegetabilis, tertio mercurii vinculum.

Diverſas jam indigitatas ſubſtantias unius eſſentiæ, ſeu principia Mercurii conſtituentia, denominat PHILALETHA verbis plane metaphoricis, *ignis, liquoris vegetabilis & vinculi.* Recenſet autem tria, licet a maxima Philoſophorum parte duo duntaxat allegentur ingredientia, unde & compoſitum iſtud paſſim *Rebis*, ſive res bina dicitur, de qua ALBERTUS M.: *Omnes concordant in uno, qui eſt bifidus.* Quam rem binam Sophorum quilibet aut pro ſua ſpeculatione, aut ad captum Lectoris, diverſis parabolis & ænigmatibus indicare ſtuduit. Nam pro varia materiæ iſtius duplicis primitivæ conditione & ſtatu, aut in operatione, effectibus ac

phæ-

phænomenis, diverſas excogitarunt deſcriptiones: Ita qui utriusque in una ſpecie homogeneitatem deſignare voluerunt, eas *virum* & *fœminam*, *mulierem candidam* & *ſervum rubeum*, *Gabritium & Bejam* appellarunt, & conſequenter totum artis proceſſum copulæ, imprægnationi, graviditati, partui ſimilem fecerunt. Qui attenderunt unius principii fixitatem & volatilitatem alterius, *duobus draconibus*, uni *alato*, implumi alteri compararunt, ſicque peculiare inter illos duellum, ſtragem, victoriam & tandem inimicorum pacem finxerunt. Qui principii unius in alterum influxum, actionem & alterationem obſervarunt, utrumque *ſuperius* & *inferius*, *cœlum* & *terram* appellarunt, unde tot ingenioſa nata ſunt problemata: An terra facta ſit ex cœlo & contra? an cœlum ſit incorruptibilius terra, an contra? quodnam prius ſit tempore, cœlum an terra? quo vinculo utrumque conjungatur? quod ſit majus ex illis quantitate? & ſic conſequenter de aliis allegoriis, quas brevitatis cauſa omittimus, quæque ſatis oſtendunt, duo duntaxat ab illis eſſe habita mercurii ſophici principia, ſive, ut alii loquuntur, *duas ſubſtantias mercuriales*, aut alii, *mercurium duplicatum* ita, ut omnes ſubſtiterint in binario. Antiqui enim cuncti, quotquot ſunt, inprimis etiam poſt LULLIUM SENDIVOGIUS pluresque alii ex mercurio & ſulphure ens illud, quod proprie *ſuum mercurium* vocant, componi, uno ore fatentur. Nonnulli tamen Neoterici, licet eadem via plane incedant, tertium aliquod præterea huic principiorum bigæ attexere videntur, inter quos & PHILALETHA, tres recenſendo ſpecies; qui nodus ut ſolvatur & probe intelligatur, attende. Doctrina Philoſophorum eſt, ex uno debere fieri duo, ut ex duobus, ſeu re bina, iterum fiat unum & tertium. Jam vero ex tribus nequeunt fieri duo perfecte in natura ſymbolizantia: Ideo non tria, ſed tantum duo individua mercurii matrimonium conſtituunt, amor namque neſcit tertium, quod CALID, *Lib. 3.* acutiſſime voluit innuere, quando ait: *Hujus longitudinis duo & unum. A tribus duo intelliguntur, a duobus vero*

ro tria non intelliguntur: Et hæc ſunt verba pretioſa, occulta & aperta; quaſi diceret, per illa tria, quæ Philoſophi ponunt, tantum duo, & per illa duo, quæ alii requirunt, non tria realiter diſtincta intelligi. Hinc quoque eleganter ESPAGNETUS Canone XXV.: *Nemo itaque decipiatur, duobus tertium addendo. Tertium enim amor non admittit, & binario numero terminatur conjugium. Amor ultra quæſitus adulterium eſt, non matrimonium.* Trigam illam principiorum poſt Fr. BASILIUM introduxit inprimis PARACELSUS, & duobus principiis, mercuriali & ſulphureo, ſal addidit, quod vinculum dicitur, quia alia connectit, quamvis a ſulphure, in quo virtus eſt, coagulans, realiter non diſtinguatur.

Pari igitur ratione PHILALETHA per *ignem in aqua noſtra*, id eſt mercurio ſophico, ſulphur; per *liquorem ſaturniæ vegetabilis* ipſam partem compoſiti mercurialem proprie ſic dictam; per vinculum autem ſal, indicat. Audiamus jam ſingulorum modum. Ignis non eſt niſi illud ipſum ſulphur naturæ, quo animatur, ſive acuitur primaterialis mercurius, ſeu liquor ſaturniæ vegetabilis, ut ex eo fiat aqua ſophica, id eſt verus mercurius. Qui quidem ignis adhuc duplex cenſeri poteſt, ille nempe, qui jam ipſi aquæ ineſt naturaliter, tanquam ſubjecto inhæſionis, & *innaturalis* dicitur, & alter, qui valde activus illi additur, idque ex ipſo tertio principio, nempe vinculo, ſeu ſale, a quo nonniſi intentionaliter ſulphur differt, ita, ut quocunque vertas, mercurius Philoſophorum duntaxat ex duobus, nempe ex aqua mercuriali & ſulphure, ſive, quod idem eſt, ſale conſtet. Hinc SENDIVOGIUS Tr. 6. Novi luminis: *Tibi dico verum fili mi, non creatur ex uno unum, quia hoc ſolius Dei eſt proprium; ſufficiat, te poſſe ex duobus creare unum tibi utile.* Animadvertendum vero, hic non eſſe ſermonem de ſulphure illo, quod mercurio ſophico jam completo additur, & nil aliud eſt, quam ipſum aurum. Hoc namque intuitu tria lapidem ingrediuntur, quæ HERMES & MORIENUS appellant *fumum album*, ſeu *aquam cæleſtem; Leonem viridem*, & *æs*

Herme-

Hermetis, id eſt *ſpiritum mercurialem; ſal*, ſive *ſulphur* & *aurum*, de quibus axioma: *Fiducia in duabus rebus conſiſtit, quibus & tertium jungitur*, quod de integro opere, & non de compoſitione mercurii ſophici eſt intelligendum. Per leonem autem viridem ſal, ceu vinculum, deſignari, etiam ex RIPLÆO patet, qui illum vocat medium conjungendi ſolem & lunam.

Hæc quidem in Philoſophia Hermetica non plane hoſpiti ſat clara ſunt; pro incipientibus tamen haſce quoque principiorum allegorias detegam. Notetur igitur, a PHILALETHA requiri *aquam, in qua primo ſit ignis*, id eſt aquam igneam: niſi enim ineſſet ignis, non poſſet evadere aqua groſſa unctuoſa. Explicat hoc eleganter ESPAGNETUS Canon. XCVII. : *Aquam ſuam ignem vocant Philoſophi, quia ſumme calida & igneo ſpiritu imbuta eſt. Propterea ab illis aqua-ignis dicitur, quia corpora perfectorum metallorum cremat & comburit plus, quam ignis communis. Illa enim perfecte diſſolvit; ignis autem ille in ventre aquæ occultatur.* Animadvertite hoc, qui in fonte humido-frigido, aqua pure elementali, pluvia, rore, &c. mercurium quæritis, qui tantum petendus eſt ex corpore & ſubſtantia calide humida, propter aëris congelati dominationem. Hinc etiam bene monet SENDIVOGIUS, multaque dixit intelligentibus *Epiſt. 17.* his verbis: *Mercurius, qui prius frigidus erat, propter acceſſionem aëris coagulati, quem a ſale accepit, jam calidus humidus factus eſt, & melius digeſtivus, unde Mercurius etiam vivus vocatur.*

Secundo requirit *liquorem ſaturniæ vegetabilis*, qui qualis ſit, docebo: eſt enim occultiſſimum totius Philoſophiæ arcanum. Abeſte vos interim, qui hanc ſaturniam in minera ſaturni, ſeu plumbagine, contra intentionem AGRICOLÆ *majoris*, quæritis. Nolite quoque alii hanc in regno vegetantium operoſe inveſtigare. *Vegetabilis dicitur*, ut ait RIPLÆUS, *quia eſt humiditas vegetabilis revivificans, quod prius erat mortuum.* FLAMMELLUS ſaturniam vegetabilem in monte ſeptimorum quærendam monet,

per

per quam ſeptenam deſtillationem ingenioſe innuit, ut infra de ſeptem PHILALETHÆ aquilis explicabo. Hic vero attendite. Liquor ſaturniæ vegetabilis, ſeu mercurius Philoſophorum ſimpliciſſimus primigenius (non loquor jam de Sophorum mercurio duplicato, ſolius artis ſobole,) non eſt niſi fluor quidam æthereus volatilis, qui alio nomine ſpiritus univerſalis ab aſtris deſcendere (quod tamen hic non diſputabo) & in elementorum condo undiquaque per naturæ univerſitatem deferri dicitur, unde & *ſemen aſtrale* ſeu *cœleſte* a nonnullis Philoſophis appellatur. Ens hoc plane nudum eſt, unde geſtit veſtiri; naturæ eſt fœmineæ, unde & *Saturnia* vocatur & materiæ primæ Ariſtotelicæ quaſi naturam habet, formas appetens omnes, & maſculum inſtar fœmellæ. Hic itaque ſpiritus per cryptas ſubterraneas & mineralium metallorumque cubilia ubi defertur, & moleculas offendit metallicas adhuc embryonatas, illis, quia liquor viſcoſus eſt, adhæret, easque, quia naturæ menſtrualis eſt, emollit, liquat, & fluxiles reddit, unde ipſe corporificatur, ſive ſolvendo coagulatur in corpus fluidum. Qua quidem transmutatione ſimplicitatem, virginitatem & univerſalitatem amittit, eraditque compoſitus quidam fluor, ex effluviis æthereis & particulis metallicis corporeis, quem *mercurium*, ſeu *argentum vivum vulgi*, vocamus. Harum miſcella eſt ſulphur illud originale metalli labem continens, juxta HELMONTIUM, quo, artificioſa & occulta enchireſi ſeparato, ſpeculatur & ſperat ſpiritum iſtum rurſus evadere virginem, fœmellam ſophicam vivam & *mercurium de mercurio.* Quo ſuppoſito, in eo unice putat deſudandum, ut e metallicis compedibus univerſalis ille ſpiritus, ceu mercurius verus virgineus, veluti altera Andromede ad petram alligata, ex poteſtate Draconis liberetur. Quod qua via quibusque modis intentum tentatumque fuerit, ſuis locis dicetur. Docuit namque experientia, contagium illud metallicum, mercurio adhærens, eſſe illud obſtaculum impediens, quo minus aurum radicitus intret, penetret, reſolvatque & in naturam convertat homogeneam mercurialem.

rialem. Ex quo diſcurſu vere ſophico ſequentia deſumes corollaria.

Primo: Argenti vivi vulgi & mercurii ſophici eandem plane eſſe radicem, ſeu matrem, id eſt materiam fœmineam, quæ *ſaturnia* dicitur *vegetabilis.* Sic enim clariſſime GEBER *Lib, 1. cap. 38.* ſcribit: *Conſideratio rei, quæ perficit, eſt conſideratio electionis puræ ſubſtantiæ argenti vivi: & eſt materia, quæ ex materia illius ſumpſit originem & ex illa creata eſt.* Notate ergo vos Mercurialiſtæ, ſumendum eſſe non mercurium vulgi, ſed materiam ex qua hic natus eſt originaliter, quæ eſt ſaturnia vegetabilis.

Secundo: Etſi ſubtiliſſima ſit ſpeculatio & apparenter vero ſimilis, mercurium vulgi, quocunque modo ſeparatis metallicis particulis, indubie reſtituendum ſuæ ſimplicitati & fore virgineum, ſciendum tamen eſt, id penitus eſſe arti impoſſibile. Licet enim iſtæ particulæ veluti ſcoriæ nativæ ſeparentur, non poſſet tamen ſeparari ſemen metallicum ſpecificum, quia liquor iſte ſaturniæ, ſive aqua mercurialis, aut primordiale fluidum, ab ipſo ſemine coagulatum & transmutatum in unum fructum tranſiit, qui, etſi proles immatura ſit, properat tamen, ſi in loci ſeu matricis aptitudine motum retineat, ad ultimatum ſcopum, quod metallum eſt. Nequit igitur ab eo recuperari ſpiritus ille ſimpliciſſimus virgineus, ſed in alio ſubjecto quærendus eſt. Mercurius vulgi proin, ſive aurum jungas, ſive non, nullum in opere edit vitalis ſeminis indicium, ſed manet mortuus, & in terram inutilem præcipitatur, quia ſubſtantia ejus germinis, ut vocat LULLIUS, ſive ſemen, cum aqua primordiali in unum fructum coaluit & ſic omnem vegetabilitatem amiſit.

Ex quo tertio colliges, ſponſam hanc in domo patris eſſe quærendam, ſalva adhuc integritate virginea, priusquam meretriciam exerceat, & loco primi maſculi, quem quærit, ſponte vero non invenit, (ſolius enim artis eſt conciliare hoc connubium) particulis metallicis ſe ſe copulet & vulgi mercurium conſtituat, qui

tamen agente philoſophico deſtituitur, nempe illo igne, quem in aqua ſua requirunt Philoſophi, & per quem mercurius ſophicus a quocunque vulgari, etiam metallico, differt eſſentialiter. Quod etiam in *Fonte chymico* innuit Auctor noſter, his verbis: *Mercurius vulgi eſt aqua, ſed deeſt ei ſpiritus & vis ignea ad urendum, dein deeſt vinculum, ſive ſulphur, aut æs album.* Hujus autem porro quæ ſit indoles, ſic indicat:

Ignis eſt mineralis ſulphuris, & tamen non proprie mineralis eſt, nedum metallicus, at medius inter mineram & metallum, utriusque particeps, chaos ſive ſpiritus.

Dixi jam ſupra, ſulphur, quod aquam acuit, peti a vinculo, hoc autem non niſi ſal eſſe, unde *Clangor Buccinæ: Omne ſal fixum ponitur pro corpore ſeu retinaculo.* Neceſſario igitur ſequitur, cum ignis ſulphur ſit, & hoc ex ſale proveniat, illum quoque ex hoc derivari, quem propterea ALBERTUS M. appellat *humidum ſiccum igneum.* Manent itaque duo duntaxat mercurii ſophici principia, licet quoad modum concipiendi tria poſſint diſtingui, nempe, ut claritatis cauſa id repetam: Liquor ſaturniæ vegetabilis, qui ſuum quidem jam concreatum ſibi ignem habet, unde Philoſophus: *Ignis, quem tibi oſtendimus, eſt aqua;* alium tamen præterea ſuſcipit a primo maſculo, ſive ſole, qui nec in actu metallico, nec proprie quidem minerali determinatus aut ſpecificatus eſt, ſub aliqua tamen forma ſpecifica comparens, ſpiritum iſtum igneum chaoticum occultat, & procul a vulgi oculis & intellectu removet. Dicitur vero & naturæ mineralis & metallicæ particeps, quia & ad metalla & mineras ſe habet ceu cauſa catholica indifferenter. Habes itaque nunc tria mercurii Philalethino-ſophici principia conſtituentia, quæ duplo tantum numero, non ſpecie differunt, &

unius ſunt eſſentiæ, ita, ut quod in ente hoc univerſali calidum & ſiccum eſt, dicatur ignis & ſit ſulphur, quod humidum, dicatur aqua & liquor ſaturniæ, & ſic mercurius, quod terreum & ſiccum, dicatur vinculum, nempe quod utrumque jungat principium, & ſit ſal, quæ tria conſtituunt aquam Philoſophorum mercurialem homogeneam, cujus modum fiendi ſequenti obſcuriſſimo ænigmate præliminariter inſinuat:

Quia Draco noſter igneus, qui omnia vincit, tamen per odorem ſaturniæ vegetabilis penetratur, cujus ſanguis cum ſucco ſaturniæ concreſcit in corpus unum mirabile, & tamen corpus non eſt, quia totum volatile, nec ſpiritus, quia in igne metallum liquatum refert.

Hic Rhodus, hic ſaltus. Hic ille ſcopulus, ad quem tot artifices in Oceano philoſophico naufragium fecerunt. Nil enim minus, quam ſubdolam hanc mercurii ſophici periphraſin intellexerunt. Audiamus, quo phantaſiæ acumine explicationem faciant. Draco, inquiunt, igneus Mars eſt omnia vincens, id eſt chalybs, ſeu purior ferri ſubſtantia, in qua ſulphur penitus igneum, imo aureum deliteſcit. Saturnia vegetabilis eſt antimonium, quod *Saturnus Philoſophorum & magneſia ſaturnina* a Philoſophis appellatum eſt. Quid ergo clarius? in præparatione reguli martialis ſtellati pars antimonii mercurialis, per ejus odorem indigitata, intima & minutiſſima chalybis pervadit, ſolvit, ſibique jungit & in corpus unum concreſcit, nempe regulum, etiam, ſi res proſpere ceſſerit, ſtellatum, qui & totus volatilis eſt, & ſimul metallum in igne refert liquatum, ut nec proprie corpus, nec omnino ſpiritus dici poſſit. Ita hæc explicantes mire hoc regulo antimonii martiali tripudiant,

& ſe verum mercurii ſophici ſubjectum, cui nihil deſit, niſi vulgaris argenti vivi per illud animatio, poſſidere arbitrantur, ad quod dein omnes PHILALETHÆ allegorias facili negotio applicant. Ita ſubtiliſſima ingenia, & præſtantiſſimi Chymici, etiam quibus Minerva domi eſt, vulgari hoc mechaniſmo præliminares operationes philoſophicas feliciter abſolutas eſſe ſibi perſuaſerunt; inter quos non poſtremus fuit infortunatus ille hujus ſententiæ aſſecla, vir alias ſcientia chymica incomparabilis, *D. Joachimus* BECCHERUS, qui integro ad *Phyſicam ſubterraneam ſupplemento ſecundo* hanc theſibus ſuis tueri conatus eſt.

Verum elegans hæc mercurii ſophici figura & imago eſt, non ipſum ejus ſubjectum. Arrigite aures! genuinum vobis ſenſum patefaciam. Habetis hic & principia mercurii ſophici & ejus quoque naturam detecta. Audiviſtis antea, illum ex duobus tantum componi, ex ſaturnia nempe vegetabili, ſeu mercuriali ſpiritu, & ſulphure ſeu ſale, quem antea appellarat ignem mineralis ſulphuris, & hoc nova parabola *Draconis ignei* indigitat ob diverſas cauſas, 1) quia inſtar Draconis e terræ ſpeluncis erumpit; 2) quia venenum, ſive exhalationes malignas & Gas nocivum ſpirat; 3) quia re vera ignem intra viſcera continet, de quo RIPLÆUS Port. 3. *Ignis contra naturam debet excruciare corpora. Ipſe eſt Draco, quemadmodum tibi dico, violenter comburens, ut ignis inferni;* 4) quia per artem ſuis e carceribus liberatus mutari poteſt in ignem gehennæ, qui vincit omnia concreta liquando & reſolvendo.

Hic autem prius penetratur *per odorem ſaturniæ vegetabilis;* id eſt, ſpiritus ille ſaturninus catholicus, a me ante ſatis deſcriptus, dictusque *vegetabilis*, quod vegetari ſeu multiplicari poſſit, odore ſuo ſubtiliſſimo, quia ſumme volatilis eſt, ſal illud igneum intime penetrat, penetrando ſolvit & ſolvendo ipſemet coagulatur & concreſcit:

creſcit in ens aliquod mirabile, ex ſpiritu univerſali & ſale iſto igneo conſtans, adeoque nec plane corpus, indolem enim ſpiritus retinet, nec plane ſpiritus, quia in igne non tantum inſtar metalli, imo vel inſtar ceræ in candenti lamina liquatur, & verum eſt ſal fuſile Philoſophorum: Nam omnis liquabilitas a ſale eſt, hujus autem fuſibilitas a Saturniæ ſpiritu, ſine cujus penetratione & concretione nunquam iſtam in calore etiam leniori liqueſcendi facilitatem acquireret. Sal etenim hoc fuſile non eſt niſi ſubtilis ſubſtantia ſpiritualis congelata, in qua eſt fluxus levis, ob terræ incerationem factam mediante oleo Philoſophorum, ſeu unctuoſo humido. In ſtatu ſolutionis ſub ſpecie aquæ craſſæ eſt, coagulata ſub ſpecie ſalis, & in igne refert metallum liquatum. Eſt enim unctuoſum humidum terreſtri ſuo fortiter commixtum, cujus principia paucis ſic indicat ZADITH ſenior Philoſophus: *Draco autem eſt aqua divina, & cauda ejus eſt ſal ejus.* Habetis ſic totum myſterium Hermetice recluſum, circa quod quæ elucidanda reſtant plurima, ſequentes libri patefacient. Nunc tandem addo ſimilitudinem, qua innoteſcat, quomodo liquor, ſeu ſuccus iſte ſaturniæ vegetabilis, cum ſanguine ſeu ſulphure Draconis poſſit concreſcere in corpus unum. Inſpice igitur regnum vegetabile & animadvertes, quod in eo univerſalis & ſolaris vere igneus ſumme volatilis ſpiritus, ſolo odore ſulphuris alicujus vegetabilis in ſemine latitantis vincatur & ſubjugetur, cumque ipſo ſemine concreſcat in unum corpus, ab eo ſpecificetur, determinetur, univerſalitatem amittat & evadat natura vegetabilis. Fœmella enim eſt, quæ & naturam & nomen ſui maſculi in domo aliena amplectitur. Idem de regno minerali intellige, & in opere naturæ proceſſum ſequere, ſic ab antimonii verſipelli regulo martiali non ſeduceris. Perge ad textum Auctoris:

Eſt itaque revera chaos, quod ad omnia metalla ſe habet ut mater.

Alchymiſta hic mihi rurſum accinit, antimonii regulus verum chaos eſt, in cujus præparatione, ope ignis externi, per addita ſalia elementa ſusque deque vertuntur, ſeparantur, mutantur, præcipitantur ſicuti in primordiali mundi chao, pura demum puris magnetice conjunguntur, impura penitus ſequeſtrantur. Nunquid antimonium audit metallorum primum ens & radix, & proin ad illa ſe habet ut mater? verum bona verba viri! concedo vobis antimonii regulum chaos eſſe. Hoc enim vos caligine involvit, hoc in errorum abyſſum præcipitat, ſuper cujus faciem meræ ſunt tenebræ, quas TRISMEGISTUS in *Pimandro* appellat *umbram horrendam.* Certe Philoſophorum nemo antimonium, niſi ænigmatice loquatur, radicem aut matrem metallorum appellat, quod latius ex dictis in Diſſertatione præliminari pateſcit. Sal vero illud prædictum fuſile, quæ & ipſa eſt Philoſophorum terra foliata, quam me vidiſſe & contrectaſſe ſupra teſtatus ſum, ad omnia metalla, inprimis perfectiora, ſe habet ut mater, quia continet illarum virtutem ſeminalem, imo, quod iam ſuperius deduxi, eſt ipſumet auri argentique humidum radicale, & ipſum ens primigenium, ex quo tam vulgi mercurius, quam metalla alia generantur. Mater eſt, in cujus uterum Sol regredi debet, ut virtute millecupla auctus regeneretur. Mater eſt, continet enim ſperma fœmineum, cui accedente ſpermate maſculino, fieri poteſt generatio, quod cum arti deficiat, adepti aurum ſubſtituunt perfectum, quod in ejus menſtruo radicali ſolutum, totum fit ſperma, & cum vitæ metallicæ manifeſtis indiciis priſtinam recipit virtutis ſeminalis poteſtatem. Vos artiſtæ in regulum veſtrum antimonialem, aut ejus mercurium, aurum ſerite, exſpectate germinationem & meſſem, & vos in fine peſſime deluſos dolebitis; idem facite ex juſſu Philoſophorum in terram eorum foliatam, & ſuo tempore aureas mirabimini ariſtas. Etiam Sophorum mercurius chaos eſt, quia omnia elementa & virtutes cœleſtes & metallorum ſemina confuſa

& in-

& indiſtincta comprehendit, quod de regulo antimonii dici nequit.

Ex eo namque omnia extrahere novi, etiam ſolem lunamque absque Elixire transmutatore, quod qui pariter vidit, poteſt atteſtari.

Conceſſerim in regulo antimonii martiali reperiri particulas metallicas, imo vel aureas, in ejus prima concretione aliquando forte admixtas, nulla tamen experientia hactenus docuit, in eodem arte fuiſſe productas & eductas. Plura ſunt mineralia, e. g. talcum, vitriolum, auripigmentum, ex quibus extractum fuiſſe aurum, Chymicorum loquuntur obſervationes: an illa propterea (quod argumentum eſt PHILALETHAM male interpretantium) dixeris eſſe quoque matrem metallorum? non negarim mercurium antimonii alicubi in aurum fuiſſe transmutatum, ſed quod absque Elixire transmutatore, hoc probatione indiget. Mercurium antimonii, ſulphure martis imprægnatum, ſola digeſtione in aurum transmutari poſſe, poſtulatum BECCHERI eſt, ſaltem aureitatis ſpeciem edit, dum lunam deaurat. Regulus martis cum cinnabari tritus, mixtus & deſtillatus, eodem teſte, regulum de regulo dejicit, qui ſufflatione vel cupellatione probatus bonæ notæ aurum exhibet. SUCHTENIUS contra, ſe ex eo aurum quoque extraxiſſe ſcribit, quod tamen in ſupremo examine ſophiſticum & ſine utilitate deprehenſum fuerit.

Conſtat autem concordi adeptorum teſtimonio, habito mercurio ſophico poſſe imperfectorum metallorum mercurios ad auri naturam perduci, perfectione quidem ſimplici, propter ſemen auri ex aqua mercuriali eductum, citra tamen multiplicationem, idque non per modum projectionis inſtantaneæ, ſed per viam digeſtio-

nis

nis ac maturationis, non tamen cum adeo exuberante emolumento, quæ idcirco *particularia* vocant *philoſophica*, quorum proceſſus nonnulli aperte ſatis deſcripſerunt. Qua quidem ratione etiam PHILALETHA per mercurium verum ſophicum, cujus poſſeſſor erat, facili compendio ex regulo antimonii martiali Solem potuit extrahere, quo hic collimat: Impoſſibile namque eſt, parare ramum, antequam radicem habeas, & particulares inſtituere metallorum transmutationes reales & eſſentiales absque mercurio Sophorum, uti omnes teſtantur veri adepti. Confer. SENDIVOGIUS, *Ludov.* de COMITIBUS, aliique. Mercurius ſophicus autem potentia proxima aurum eſt, alias non poſſet in illud mutari, unde LULLIUS in Theor. Teſtam. *Mirantur ruſtici, quando eis dicitur, quod noſtrum argentum vivum durum ſit.* Sub mercuriali enim forma auri profunditas, quod ejus ſperma eſt, abſconditur.

Vocatur hoc chaos arſenicum noſtrum, aër noſter, luna noſtra, magnes noſter, chalybs noſter, diverſo tamen reſpectu, quia varios ſtatus ſubit materia noſtra, priusquam ex meretricis noſtræ menſtruo excernatur diadema regale.

Frequens eſt polyonymia mercurii ſophici primaterialis, ſecundum diverſum ejus ſtatum, operationes, phænomena. *Arſenicum* dicitur, quia corpora in putrefactione tetro ſuo odore inficit & tanquam lethali toxico primum maſculum mortificat, & in atrum cadaver convertit. *Aër* vocatur, quia ſpiritus eſt volatilis omnium mundi ſpirituum ſubtiliſſimus, & quaſi aura tantum, gas & vapor, quod toties totiesque artis filiis inculcant Philoſophi, ne corporali mer-

li mercurio decipiantur. *Luna* appellatur, quia hanc claritate colorisque ſplendore æmulatur, præcipue vero, quia humore abundat, & ut cœleſtis luna in terris, ſic hæc in opere humiditatem regit aquasque multiplicat; unde ſenior ZADITH: *Luna plena eſt aqua Philoſophorum & radix ſcientiæ, eſt enim luna dominatrix humorum.* Magnes nominatur, quia vi quaſi magnetica ſemen ſpecificum e corpore ſuo allicit; *chalybs* vero, quia ut hic properat ad magnetem, ſic ſperma auri ad Sophorum mercurium. Dicitur autem materia illa chaotica, ex qua paratur Sophorum mercurius, ceu auri regale diadema, *meretricis menſtruum*, quia de ſe eſt immundiſſima & magnam artis ſagacitatem depoſcit, priusquam, ſordibus omnibus depoſitis, extrahatur inde quod eſt puriſſimum. *Meretrici* vero ſubjectum ſpiritus univerſalis comparatur, quoniam, priusquam maſculo primo nubat, jam ſe alteri miſcuit lenoni, a cujus contracta labe eſt depuranda. Confer ESPAGNETUM. Et hæc explicatio pro artis filiis ſufficit. Pro Sophiſtis quoque merito haſce omnes ſortita eſt denominationes. *Arſenicum* dicitur, ut ab eo ceu veneno lethali ſibi caveant. *Aër*, ut eum captare, quod faciunt, rem ſciant eſſe inanem & ſtolidam. Propriiſſime nomen *luna* gerit, quæ tota inconſtans eſt, ut, qui illam ſectantur, inſtar lunæ quoque mutentur, & tandem ipſi evadant lunatici. Apte *magnetis* nomen habet, qui non ferrum, ſed, ut Philoſophi volunt, aurum trahit, nempe ex burſis & ciſtis auri-ſeu potius ciniflonum. Nec male *chalybs* dicitur, ad quem duræ cervices & frontes pervicaces artiſtarum allidantur. Sed quid vel dictu fœdius eſt *meretricis menſtruo*, & tamen hoc aliudque, quod nefas dicere, pro materia ſervit impoſtoribus, quibus proin non diadema regale, ſed ſæpe catena manſit in trigono infauſto. Legite Sophiſtæ, cavete.

Diſce igitur, qui ſint ſocii Cadmi, quique ſit ſer-

ſerpens, qui illos voravit. Quæ ſit cava quercus, ad quam Cadmus ſerpentem transfixit.

Fabula hæc de Cadmi ſociis in aliorum Philoſophorum ſcriptis etiam occurrit, de qua ſic FLAMMELLUS: *Antiqui ſapientes Cabaliſtæ terram, ſive latonem nigrum dealbandum, in ſuis metamorphoſibus adumbrarunt ſub figura ſerpentis Martis, qui Casmi ſocios devoravit, ſed ab hoc rurſum occiſus & lancea ad quercum transfoſſus eſt: Hanc quercum bene obſerva.* Ita ille. Explicatio facilis eſt, ſi per ſerpentem ſolvens mercuriale, per Cadmi ſocios ſal indigitatum intellexeris, quod quidem primum ab aqua devoratum hanc poſtea occidit, mortificat & figit. Sed de *cava quercu* contendunt eruditi, aliis, cum BERNARDO *Comite*, Fontinæ involucrum, id eſt, juxta ESPAGNETUM, vas artis ligneum, ex trunco quercino, in duo hemiſphæria concava ſecto, paratum, quod ovum vitreum philoſophicum capiat foveatque, ad literam intelligentibus; aliis, cum quibus & ego facio, ipſum ſal philoſophicum, ad quod Apollo Pythius, id eſt ſulphur auri, mercurium transfigit perimitque, magis vere & philoſophice deſignantibus. Si quis enim aliquod fecit in opere tentamen, globum ejusmodi ligneum novit eſſe ſuperfluum, imo plane inutilem. O quot non patiuntur hodie ſortem ſociorum Cadmi, quos devorat & occidit artis aurificæ in corde ſerpens libido! quotus hodie inter iſtos reperitur Cadmus, qui hunc in ſinu anguem queat ſuffocare? Etiam aliquando fumivendulos Sophiſtas ſerpens ille non ad cavam, ſed triangularem quercum defixit. Quisquis ſapit, fugiet ſerpentem vorantem ſocios, devorantem opes, fortunam, tempus, honorem. Fugite ſocii, fugite, latet anguis in herba. An fauſtiores ſint, qui per ſerpentem antimonium, per Cadmi ſocios fruſta chalybis, per quercum cavam, carbones & ſalia in præparatione reguli antimonii martialis requiſita, intelligunt, ipſi viderint.

Diſce,

Diſce, quæ ſint Dianæ columbæ, quæ Leonem mulcendo vincunt, Leonem inquam viridem, qui revera eſt draco Babylonienſis, veneno ſuo cuncta interimens.

Etſi hic nondum locus ſit de *Dianæ colambis* fundamentaliter agendi, tamen aliquid præliminariter de iis eſt dicendum. Allegoria hæc ortum traxit ex deſcriptione rami aurei, quam mirabili laconiſmo ingenioſe complexa eſt Sybilla apud MARONEM, *Lib. VI. Æneid.* ubi geminæ Dianæ columbæ a Venere ſubmiſſæ, arboris ſolaris ramum,

quem tegit omnis
lucus & obſcuris claudunt convallibus umbræ,

monſtrarunt, utpote qui nullis cedat viribus, volensque duntaxat ſequatur eum, qui

maternas agnoſcit aves. — — — — —
— — — & geminæ cui forte columbæ
ipſa ſub ora viri cælo venere volantes.

Quod poſtea ab ESPAGNETO & PHILALETHA ad arcanum Philoſophiæ Hermeticæ opus & primæ quidem præparationis mercurii appoſite applicatum, a vulgo vero Chymicorum per fuſionem & conjunctionem reguli antimonialis cum Luna & Venere explicatum eſt, uti inferius oſtendam, ubi totum columbarum pandam myſterium. Quod autem Auctor Commentarii in ESPAGNETUM per *lucum* & *obſcuras convallium umbras* Philoſophorum ænigmaticos & caliginoſos ſermones intellectos velit, craſſioris minervæ eſt.

Communis equidem nec adeo inepta eſt ſententia, columbas

Dianæ qui noverit, ipſi eſſe augurio, quod illis ducibus ad naturæ ſanctuarium aliquando poſſit pervenire. Verum non ſufficit illarum cognitio, niſi & notus ſit Leo viridis, ſive Draco, quem niſi ex prioribus jam noveris, ingenii ſane es infelicis. Nota hic ſaltem utriusque denominationis rationem, num forte quid luminis ex illa poſſis haurire. *Leo viridis* inter illas beſtias eſt, quæ ad introitum Palatii ſophici excubant, de quibus ESPAGNETUS Can. XLII. *Limen a cornupetis belluis cuſtoditur, quæ temere accedentes non ſine diſpendio arcent. Earum ferocitatem ſola Dianæ inſignia & Veneris columba mulcebunt, ſi te fata vocant.* Ex quo patet, unum Philoſophum ex altero haſce metaphoras mutuaſſe. Appellatur autem *Leo viridis*, ob naturam tum vegetantem, (quæ tota ejus perfectio dicitur ab *Arnoldo* VILLANOVANO) tum crudam & immaturam, cujus ſignatura ſolet eſſe viridis, non autem ob colorem viridem, ut putant Sophiſtæ, quorum Leo viridis vitriolum eſt.

Appellatur *Draco*, ob ſpiritum, quo ſcatet, venenoſum, de quo *Iſaacus* HOLLANDUS: *ſunt ſpiritus volatiles nondum fixi, atqui hi ſunt venenoſi, quamdiu varios illos colores vides. Cave tibi ab eorum aëre, etenim te necaret. Babylonienſis* additur epitheton, ut ejus locus natalis ſignificetur, nam circa Babylonem draconem hunc naſci, ſunt Coſmographi qui fidem faciunt. Dicitur *cuncta veneno interimens*, quod de potentia interimendi intelligendum, non quidem ob venenum proprie ſic dictum, ſed ob gas ſulphureum maxime elaſticum, cujus vis potenter agens naturæ animali inimica eſt, unde gladio acuto & ſcindenti, item lanceæ paſſim comparatur, a LULLIO e.g. in Codicillo Cap. 31. *Hoc eſt ſulphur fili, & hic Coluber & Draco devorans caudam ſuam, leo rugiens & gladius acutus;* cujus particulas ſcindentes, ob proprii Etymi defectum RIPLÆUS *Porta 3.* appellat *toxicum potentiſſimi furoris, quo poteſt nullum excogitari nocentius a pharmacopolis.*

Ejus

Ejus halitus aliquando a me incaute ſuſceptus ſanguinem e naribus excuſſit, & aliquot dierum cephalalgia caput feriit.

Jam vero etiam, ut quid morale addam, iſtæ Dianæ columbæ, ſæpe viros quoque generoſos, quos leones diceres, mulcendo vincunt; ſcilicet ſpe blanda obtinendi rami aurei. Prævolant, & iſti ſequuntur in denſiſſimos lucos, ex quibus vix datur egreſſus, imo etiam ad Leonum & Draconum antra ſeducuntur, qualia merito appellavero Sophiſtarum impoſtorum, Mercurivendulorum, arcani arcaniſſimi jactatorum, Ciniflonum ergaſteria & ambubaiarum collegia, in quibus non raro reperitur idiota, ſacerdos, Judæus, miles, tonſor, imo anus,

Et brodiis ſuetus, qui pharmacopola coquendis,
Hiſtrio, Raſtricola, & piſtor, agaſo, faber.

Nam & hoc hominum genus vult noviſſe ubi creſcat

Aureus & foliis & lento vimine ramus.

Verum ſinamus hos errare. Redeamus nos in viam & ad rectam ſemitam, quam nobis infra geminæ columbæ oſtendunt. Nunc vero clauſulam audiamus, quam huic capiti PHILALETHA imponit:

Tandem diſce Mercurii Caduceum, quo cum mira operatur, quæque ſint nymphæ illæ, quas incantando inficit, ſi voto tuo cupis potiri.

Nullus melior eſt verborum interpres, quam ipſe auctor. Quid ergo ſit *mercurii Caduceus*, ſatis explicat in *Fonte chym. Phil.* ubi mercurii ſophici ortum deſcribit, quod ſit vapor, ſpiritus, ſive exhalatio tenuiſſima in monte altiſſimo, a plaga meridionali verſus

ſus occidentem ſito, clauſa, quæ congelata ab aëre ſtillando per guttas decurrit in aquam limpidiſſimam, quæ ſtatim colligitur. *Eſt enim* inquit, *verus mercurii caduceus, quocum mira operatur. Hac eſt aqua noſtra, ignis noſter, eſtque noſter mercurius & non vulgi, ſed liquor ſalis puriſſimi calidus & humidus, quem mercurium nominamus.* Ita ſatis candide PHILALETHA. Quare autem mercurii caduceum appellet, hæc eſt ratio: Mercurii baculus duplicem anguem, maſculum & fœmellam ſibi implicatos, habet. Nam inter hos invicem decertantes projectus a Mercurio baculus, mox pacem & concordiam inter illos reduxit. Ita quoque aqua ſophica, quæ fœmina, quatenus vaporem ſaturniæ vegetabilis complectitur, & maſculus, quatenus illi vis ignea ab immiſſo vinculo includitur, hermaphroditicæ quaſi indolis eſt. & ex angue alato & non alato, ſeu volatili & fixo, componitur, qui mediante caduceo in unum Draconem coaleſcunt, ut apud FLAMMELLUM figura monſtrat hieroglyphica. Cum hoc caduceo mercurius mira operatur, quia, ut PHILALETHA *Tr. de Metall. metamorphoſi* ait, ſe pro lubitu ſuo transformat & varias larvas induit. Quæ enim non ſigna, phænomena, colores, mutationes, figuræ & rerum mirandarum ſchemata tum in ſolutione, tum coagulatione fixi & volatilis apparent? ubi & nympha Beja, quaſi incantata, in Gabritii amplexus rapitur, nigredine inficitur, variasque ſubit alterationes. PANTALEON aliam ſubeſſe rationem putat, quod caduceus mercurii ſerpentibus circumdatus ſic appelletur, nempe quod philoſophicus ſpiritus noviter ex ſuo abſurdo corpore extractus optimeque lotus, eundem odorem de ſe ſpargat, qualem vitrum vel ampulla præbet, in qua ſerpentes detinentur. Verum odoratus ego ſum non ſemel mercurii caduceum, & quoque ſæpius vas, in quo per totam hyemem vivum ſine omni alimento detinui ſerpentem non adeo parvum, non ſenſi tamen ullam odoris paritatem. Hæ igitur nugæ ſunt, ut & cœtera PANTALEONIS principia mercurii conſtituentia, ut mox oſtendam. Ipſe talem

non

non videtur ſubodoraſſe, ſed ex alio quodam ſcriptore chymico, qui ſimile refert, fideliter excerpſiſſe. Novi ſpiritum eſſe fœtidum, imo fœtidiſſimum, unde jam ab ipſo HERMETE appellatus fuit *aqua fœtida*, & a MORIENO odori ſepulcrorum aſſimilatus. Sicuti & plures artifices de ejus præparationis primæ fœtore ſunt conqueſti. Unicus omnium loco hic teſtis eſto D. THOMAS *de Aquino*, ſeu quisquis ſit ſub ejus nomine Philoſophus, Tr. de lapide Philoſoph. *Hoc quidem opus eſt verum & perfectum, tamen tantum laborem & fœtorem, ac etiam corporis, mei imperfectionem ſum perpeſſus, ut diſponerem hoc opus nullo modo, niſi neceſſitate coactus, iterum attentare.* Sed quod ſerpentum odorem referat, ſentire nunquam potui. PANTALEONI igitur naſus fuerit ſagacior, aut alia monſtra & Dracones vaſi ſuo incluſerit, quod Corollarii loco & pro coronide libri hujus primi Curioſis nunc oſtendemus, ut pateat, quis quantusque fuerit PANTALEON, PHILALETHÆ noſtri impertinens Cenſor, & iniquus condemnator.

Emblema.

Vas philoſophicum, in quo eſt Mercurius Pantaleonis.

Lemma.

Dictum illud Chaldæorum proverbiale:

Vas tuum inhabitant beſtiæ terræ.

Adeſto PHILALETHA. Sedet pro tribunali perſonatus PANTALEON, proh! quantus, ut ipſe dicit, παντα λυων, & te accuſat, quod tuæ ipſius fabricæ fundamentalem rationem vel neſciveris, vel ſubdole ſubticueris: Audiviſti jam ſuperius ſententiam ab eo condemnatoriam, te eſſe lapidis ſophici furem. Nunc autem fundamentum magiſterii, ad ulteriorem tui confuſionem, ſe longe

melius

melius & clarius toti mundo literario propoſiturum, grandis ille Sophorum αὐτὸς ἔφα jactitat. Attende; juvenculus enim es, cum quo natura, grandæva matrona, nil habet commercii. Barbatus Pantaleon ſedet in cathedra Dictator, & in medium adducit mercurii ſophici principia. En! aperitur ſtabulum, ne expaveſcite ſpectatores, monſtra & horrendæ in ſcenam prodeunt belluæ. Vid. *Bifolii metallici Cap. 3.*

Primo in medium affertur *vinculum mercurii*, certe hyſteſteron proteron. Primo funem quærit, antequam leporem habeat; 2. *ignem mineralem naturalem; 3. ignem contra naturam;* 4. *Draconem Babylonium alatum*; 5. *Draconem terreſtrem.* Egregium profecto chaos, cui ne quid furoris, veneni & antipathiæ deficiat, ſtatim ſubjungit omnes beſtias maris, deinde vultures & aquilas, poſtea & ipſum, ne raritatis quid deficiat, unicornu marinum. Proh qualis belluarum phalanx! quis earum erit domitor? aut quis carceri includet ſophico? abſint curæ, PANTALEON prudens gubernator eſt. Conſtituit illi debellandæ penitusque ſubjugandæ Vulcanum claudicantem, Neptunum Deum maris, & ipſum Saturnum Deum terræ. Pro ſuperi, quam acutus Philoſophus! Conteſtor quemlibet veritatis amatorem, an hoc non ſit potius nugari, quam philoſophari: an hoc ſit longe melius & clarius fundamentum magiſterii orbi proponere, quam fecit PHILALETHA: an hoc ſit, ut ait, veritatem ſcientiarum poſteris commendare. Tædet refutare has nugas. Dicit ſe non expetere, ut capita helleboro bene ſint fricata, nec propterea ſcribere, ut aſinus Bileam loquatur. Neſcio an ſe ipſum, an nos ſibi non credulos intelligat. Dico hæc ſaltem: PANTALEON per iſta quinque intelligit vel res, ſi non ſpecie, numero tamen diſtinctas, aut non diſtinctas: ſi illas, jam aſophus eſt, ac primus novorum fundamentorum, quæ merito explodenda, jactor ſeu potius jactator, cum ſtolidum ſit multiplicare

entia

entia ſine neceſſitate: Si non intelligit res numero quinario diſtinctas, ſed ad tria iſta, ſeu potius duo aliorum Philoſophorum principia tacito reflectit, impoſtor eſt, & ſcientiæ filium diverſis duntaxat nominibus & materiarum pluralitate confundit. Et tamen talis PHILALETHAM ſinceriſſimum, qui ſcapham dixit ſcapham, & ignem, qui revera ignis eſt ſulphureus, & mercurii vinculum, quod ſal eſt, & liquorem ſaturniæ vegetabilis, qui eſt mercurialis, ſine omni fuco pro ſolis & unicis mercurii ſophici principiis cum univerſa Philoſophorum turba conſtituit; & licet Draconis quoque ſub metaphora meminerit, non tamen eum ſpecie aut numero diſtinxit ab ipſo ſulphure, ſed ut idem eſſe indicaret, expreſſe igneum appellavit, quod eſt monere & docere. PANTALEON vero principia iſta confundit & male diſtinguit, ſic & male docet. Ipſe LULLIUS, Philoſophus alias ſumme invidus, etiam ad compoſitionem mercurii plura ſupponit principia, ſed illa admodum eleganter diſtinguit. Alia enim 1. ſtatuit principia materialia, quorum tantum duo ſunt, ſulphur & argentum vivum, in quorum uno ignis eſt naturalis, in altero contra naturam. 2. Alia facit principia demonſtrativa, & illa ſunt ſigna, ex principiis his duobus materialibus ſucceſſive in decoctione emergentia, & ſunt quatuor colores eſſentiales, veluti radices magiſterii. 3. Alia porro ponit principia operationis practicalia etiam quatuor, nempe ſolvere, abluere, reducere & figere. Et ſic ne filium artis in practica mentali aut reali confundat, & principia mercurii compoſitiva materialia, & ejus præparandi inſtrumenta, & fiendi modum, & ſigna debitæ præparationis, eleganter & dogmatice diſtinguit. Quem etiam ſecutus SENDIVOGIUS, principiorum omnium horum dif-

ferentias, ſi ullus alius, exactiſſime tradit in Epiſtolis cedro digniſſimis. His igitur viris ſinceriſſimis, ut & noſtro PHILALETHÆ, adhæreat ſapientiæ ſtudioſus, fugiat PANTALEONIS dracones, fugiat ejus mare & chaos, in quo meræ ſunt abyſſi & præcipitia.

Prodi nunc rurſus in medium tu magne PHILALETHA, ſalva cauſa tua eſt ex judicio omnium Sophorum. PANTALEON ſua cecidit, & qui tribunal ſcanderat, dejectus eſt ad infima ſubſellia. Barbam ejus, qua naturam ſe deperire ſenior putat, jam rident pueri & leonis exuvias, quibus animalis Bileami aures obtexit, artificum vulgus habet pro deridiculo.

Libri I. Finis.

HISTO-

HISTORIA
MUSÆ,
QUÆ
FLORUIT & FRUCTUS LX. NUMERO PERFECTE
MATUROS SAPIDOSQUE TULIT,
GEDANI An. MDCCXLV.
IN HORTO
JO. PHILIPPI BREYNII,
CONSCRIPTA
AB IPSO POSSESSORE,
AD
VIRUM
EXCELLENTISSIMUM,
CHRISTOPH. JACOB. TREW
MED. DOCT. & CONSILIARIUM
AULICUM &c.

Muſa Arabum, quæ Serapionis vulgo audit, antiquiſſimis jam temporibus ad hunc usque diem, torridæ Zonæ adjacentiumque terrarum incolis, variis quamvis nominibus notiſſima, & ob multiplices, quos Humano Generi præſtat uſus gratiſſima, circa finem demum ſæculi decimi ſeptimi curioſis Europæorum Hortis innoteſcere cœpit, ob culturæ vero ignorantiam poſſeſſorum ſuorum ultra quadraginta annos fruſtra exercuit patientiam; dum præter caules & folia protulerit nihil.

Tandem An. 1731. Viennæ in Auſtria, in Horto inviƈtiſſimi quondam Herois, EUGENII Sabaudiæ Principis, floruit & quidem prima quantum conſtat in Europa.

Hanc ſecunda ſecuta eſt 1732. Carelsruhæ in famigeratiſſimo Marchionis Badendurlacenſis Paradiſo terreſtri.

Tertia Lipſiæ 1733. Hortum Caſpar-Boſianum floribus ſuis fruƈtibusque ornavit; cujus deſcriptio exſtat cum figuris in Aƈtis Erud. Lipſ. A. 1734. M. Aprili.

Quarta in Hollandia 1736. in cultiſſimo Conſultiſſimi Viri *Georgii* CLIFFORTII Horto, Hartecampi prope Harlemum, flores pariter fruƈtusque feliciter protulit. Cujus ſane memoriam perituro nunquam & egregio condidit monumento magni Nominis Botanicus *Carolus* LINNÆUS, eique Muſæ Cliffortianæ titulum inſcripſit.

Quinta eodem anno quoque flores ſuos fruƈtusque monſtravit in Anglia, in Horto Baronetti *Joſephi* AYLOFFE; teſte Cl. TREW in Commerc. Litter. Norimberg. 1739. p. 50.

Sexta Anno 1738. in Horto Oehringenſi Comitis Hoenloici in Franconia, menſe Septembri floruit & Februario anni ſubſequentis fruƈtum perfecit. Vid. Commerc. Litter. 1739. p. 42. & ſeqq. & p. 106. & ſeq.

Poſt hanc Muſæ 1739. in Horto Brunſvicenſi flores fruƈtusque ferentis binis verbis mentio fit in Programmate funebri Helmſtadienſi, Viri deſideratiſſimi *Eliæ Frid.* HEISTERI. Vide Commerc. Litt. jam jam citati 1741. p. 108.

In

In Horto Marchionis Brandenburgico-Onoldini, Triesdorffii, in Franconia vero An. 1740. non unica Muſa, ſed quod obſervatione dignum, quinque ſucceſſive octodecim Menſium ſpatio floruere. Vid. Commerc. Litt. 1741. p. 385. & ſeqq. & p. 393. & ſeqq.

Et hæ omnes ſunt, de quibus aliquam in ſcriptis Eruditorum mentionem factam reperi.

Tandem etiam Gedani A. 1745. in horto meo, menſe Septembri & ſequentibus, inſolito noſtris terris Septentrioni magis vicinis ſpectaculo, flores copioſos & anni ſubſequentis Februario & Martio fructus omnes maturos exhibuit.

Hujus nunc ſuccinctam Hiſtoriam texere Tibi, Amicorum optime, de me & Muſa non tantum, ſed & Muſis optime merito inſcribere, pace Tua conſtitui.

Primum Muſæ ſpecimen debeo Viro Summe Reverendo Dno de ZIETEN, Joanniti Ordinis Equiti &c. Botanicorum Mecænati. Hic, pro ſingulari erga me affectu, Ao. 1739. ex Horto ſuo, quem ſumma induſtria, nullis parcens ſumtibus, colit Trebnitii in Marchia Brandenburgica, (cujus Catalogum publici juris ante aliquot annos fecit Clariſſimus *Joannes Gottlieb* GLEDITSCHIUS, quondam ipſius Botanicus, nunc Profeſſor Med. Francofurtenſis) plantam Muſæ unius anni mihi dono miſit, quæ autem in itinere terreſtri longinquo multum paſſa, brevi iterum meo dolore interiit.

Anno vero 1740. Conſultiſſimus Vir *Georgius* CLIFFORTIUS, J. U. D. Botanicorum Mecænas ſummus, alio ſpecimine unius anni pariter quatuor pedes circiter alto, una cum arbore Camphorifera elegantiſſima, ex Paradiſo ſuo Hartecampiano Hortulum meum beavit. Hoc cum per mare iter fecerat, ſanum & vegetum ad manus pervenit meas.

Ab eo tempore Muſam hanc ſummo ſtudio colui, quæ autem, præter folia ſingulis annis majora, produxit nihil. Donec Hypocauſtum amplius magisque ſpatioſum pro ea aliisque plantis exoticis exſtruendum curavi, idque eo ſucceſſu, ut brevi poſt, anno ſcilicet

licet 1745., poſtquam folium longe ceteris minus ceu floreſcentiæ prodromum emiſerat, d. 8. Septembris conum, circiter pugni magnitudine, ex cavitate pediculi ultimi folii jam jam memorati, in quo ſpadix cum ſpathis & fructibus ſubſecuturis latebat, protruderet.

Altitudo caulis tunc erat octo pedum cum dimidio. Peripheria ejusdem prope radicem duorum pedum cum duabus unciis; in ſummitate vero tantum quatuordecim unciarum.

Folia in cacumine relicta numerabantur octo, quorum maximum ſex pedes cum dimidio longum, duos cum dimidio latum bipedali pediculo fultum. Ultimum, quod ſpadicem præcedebat folium ſupra memoratum, omnium breviſſimum, quatuor tantum pedes longum cum pediculo dimidii pedis.

Spadix ad quatuor pedum longitudinem excreſcebat, præ gravitate deorſum, & quidem, ut in Cliffortiana, obſervante LINNÆO l. cit. p. 34., verſus plagam boreali orientalem reflexus, ei, cujus figuram egregiam in Muſa Cliffortiana exhibet, plane ſimilis, ſed major & robuſtior.

In ſpadice obſervabatur primo folium ſpathæforme LINNÆO dictum, quod ex folio & ſpatha mixtum videtur, eo etiam a ceteris diverſum, quod non ut illa ex radice plantæ, ſed ex ipſo ſpadice, quemadmodum & ſpathæ omnes, originem ducebat.

Hoc ſucceſſive per intervalla ſequebantur ſpathæ, quarum prima erat floribus caſſa; ſex vero ſubſequentes floribus fœcundis, a LINNÆO hermaphroditis femininis dictis, refertæ ſequenti ordine:

Spatha	1. Floribus caſſa		A. 1745. . Septembr.	17.
	2. Floribus	XI.		19.
	3.	X.		22.
	4.	X.		23.
	5.	X.		25.
	6.	IX.		26.
	7.	X.		27.
		LX.	Flores fœcundi, quorum fructus omnes,	

tribus

tribus exceptis, quos immaturos decerpſi, ad perfectam ſucceſſive pervenerunt maturitatem, a 28. Jan. anni 1746. nimirum usque ad finem Martii.

Hiſce demum ſuccedebant ſpathæ ultra quadraginta ſenſim minores, ſingulæ flores infœcundos ſeu abortientes, hermaphroditos maſculinos LINNÆO dictos, plus minus decem habentes.

Terminabatur ſpadix tandem in parvulum conum atro purpureum, ex meris exiguis ſpathis compoſitum, qui tandem cum integro ſpadice exareſcebat.

Flores tam fœcundos, quam infœcundos in mea Muſa ejusdem plane ſtructuræ inveni cum iis, quos ſæpius laudatus LINNÆUS quam accuratiſſime deſcripſit & delineavit in Tractatu aliquoties citato. Conſtabat nimirum Flos ex duobus petalis, ſive, ut cum LINNÆO loquar, ex unico petalo & uno nectario, ſine omni perianthio, ſtaminibus vero ſex cum germine & ſtylo præditis. Prouti fuſius apud LINNÆUM videre licet l. c. pag. 14. Unicum florem inter fœcundos deprehendi e duobus perfectis nectariis juxta ſe invicem poſitis, cum totidem ſtaminibus, ut ſolent, reclinatis, ſuis apicibus præditis, unico licet tantum petalo ceterisque ſtaminibus quinque cum ſtylo, ut in ordinariis, conſtantem. Maximi flores fœcundi cum germine, non enim omnes ejusdem erant magnitudinis, octo uncias longi; infœcundi vero vix tres ſuperabant. Hi verſus extremitatem ſpadicis magnitudine decreſcebant, ceterum figuris & deſcriptioni LINNÆI exacte reſpondentes.

Fructus denique ultimis Januarii anni 1746. diebus matureſcere incipiebant, quod ex colore, quem contrahunt, eleganter flavo ſeu citrino colligitur; Februario & Martio vero omnes ſucceſſive perfectam maturitatem adepti ſunt. Hi, niſi tempore decerpuntur & comeduntur, maculas nigricantes ingratas contrahunt & corrumpuntur. Plurimi quinque habebant angulos, ita tamen, ut ſemper tres præ reliquis eminerent. Quidam erant quadrangulares; pauci triangulares. Fere omnes incurvabantur, quidam tamen

magis

magis quam alii; plurimi lunam fulcatam figura repræſentabant. Majores fructus ſex, ſeptem usque ad octo, minores vero vix quinque uncias longi erant. Plurimorum pondus erat trium unciarum, quamvis pauci quidam ad quatuor uncias aſcendebant; non nulli autem, ſexti inprimis ordinis, non ultra ſesquiunciam attingebant. Quorum pondus trium unciarum, horum medulla, detracta cute, duarum tantum erat. De ſapore diverſa ſunt lata judicia, dum alii eum multum prædicarunt, alii vero eum tanti non fecerunt. Quantum ad me attinet, mihi hic tam crudus, quam cum butyro recenti, cujus loco Guineenſes oleo palmæ utuntur, frixus palatui ſane pergratus videtur; quamvis Ananaſſæ reginæ fructuum nulla ratione æquiparandus. Nauclerus quidam, cui fructus maturos monſtravi, me certiorem fecit, eos illis, quos olim in Guinea & India Occidentali ſæpius obſervaverat, plane fuiſſe ſimiles, quamvis ſaporis gratia aliquantulum inferiores; quod certe mirum non eſt.

Semina in fructibus diſſectis reperi nulla perfecta, ſed ſaltem, ut alii quoque obſervarunt, eorum rudimenta. Interim Clariſſ. LINNÆUS litteris Upſalia d. 5. Maji anni curr. ad me datis ſequentia refert: Accepi ſemina Muſæ e Capite bonæ ſpei; erant hæc magnitudine ſeminum Viciæ ſativæ, rotunda & fere orbiculata, parum trifariam compreſſa, tuberculis undique ſcabra, baſi excavata in hemiſphærium, e cujus centro ſtylus, ſeu filamentum breviſſimum, colore cinerea. Optimam fructus figuram cum deſcriptione exhibes ipſe Vir Clariſſime in Commercio Litter. Nor. anni 1739. Tab. II. Fig. 15. 16. 17. & p. 107.

Initio Aprilis poſtquam fructus omnes e ſpadice decerpti erant, caulis plantæ vero cum foliis & ſpadice magis magisque langueſcere & marceſcere cœperat, ſpadicem abſcindendum & brevi poſt etiam caulem ipſum tres digitos ſupra terram transverſim diſſecandum curavi, ut interna ejus facies & ſtructura paterent.

Caulis diameter erat 7. unciarum, partim ex pediculorum baſibus lamellatim ſe invicem amplectentibus, partim vero in meditullio

ditullio nimirum ex caule proprie dicto e radice octo, cujus ipſe ſpadix tantum productio eſt, conſtans. Hic ſolidus quidem, ſed cultro facile inſtar radicis rapæ cedens, coloris erat albi, in medio non nihil palleſcentis, trium unciarum ſecundum diametrum craſſitiei. Hunc lamellatim pediculorum baſes circum circa ad duarum unciarum latitudinem amplectebantur. Foliorum baſes ſingulæ, dimidium diametrum caulis proprie dicti inveſtientes, ſemiunciam fere in medio craſſæ, ſenſim verſus latera tenuiores reddebantur, componebanturque ex duabus membranis parallelis, quæ aliis membranulis ſecundum longitudinem excurrentibus & ad perpendiculum poſitis, ſeptaque transverſa tenuiora adhuc regulariter admodum ordinata continentibus, connectebantur, ita, ut ex meris cellulis, ſive alveolis fere cubicis & vacuis eleganter ordinatis conſtare viderentur; erant autem alveoli maximi quatuor circiter linearum.

Pars caulis ad radicem relicta ſenſim cum radice ſubjecta primaria putreſcere & perire obſervabatur. Qui autem prodierant novi ſtolones quatuor relicti, non nulli enim ſtudio abſciſſi erant, eo lætius & intra paucos menſes ad inſignem excreverunt altitudinem, ita ut maximam anno proximo flores fructusque editurum ſperem. Aliam plantam ex eadem Muſa ſervo biennem, quam certe proxima æſtate hymeneum celebraturam dubito nullus.

Habes hic Vir, Excellentiſſime, promiſſam tibi Muſæ meæ Hiſtoriam; ſuccinctam quidem, ſed tamen quædam, quæ obſervatione digna magis viſa ſunt, ab aliis non relata, continentem. Clariſſimi LINNÆI Hiſtoria Muſæ Cliffortianæ cum additamentis in Horto Cliffortiano p. 467. & 468. ſupplebit a me omiſſa; quibus, quæ in Actis Erud. Lipſ. Auctore Anonymo, & quæ Te auctore in Commercio Litterario ſupra citatis reperiuntur, addenda ſunt. Hi tres enim ſoli ſunt, qui de Muſa ex profeſſo egerunt.

Nolo tamen quis credat, omnia quæ circa nobiliſſimam hanc Plantam dici poſſunt, jam exhauſta eſſe. Ego enim eam tam mi-

rabilem & omnia circa eam tam notatu digna reperio, præſertim circa vegetationem, quæ ex hac ſola magnum lumen fœnerari poteſt, qualem vix ullam aliam novi. Neque minus mihi ad extollendam Omnipotentis, Sapientiſſimi & Benigniſſimi Creatoris gloriam videtur apta.

Antequam vero hic pedem figam, unicum addam Corollarium. Clariſſimus LINNÆUS & Tu Vir Optime non minus ipſe, de variis admodum figuris florum Muſæ a variis Auctoribus obſervatis & deſcriptis multum ſoliciti & incerti videmini, quid de iis judicandum ſit & ſtatuendum. Nec diffiteor, me quoque initio circa hanc materiam fluctuaſſe. Poſtquam vero omnia ſolicite perpendi, & meam florentem Muſam diligenter examinavi & cum Cliffortiana ceterisque, quæ in Europa floruerunt & deſcriptæ ſunt, contuli, haud difficulter colligere valui:

Figuram Floris Muſæ, prouti a LINNÆO deſcribitur & delineatur, eſſe ſolam vere naturalem & eſſentialem, adeoque characteriſticam; ceteras vero, imprimis Muſæ Horti Caſpar-Boſiani in Actis Erud. Lipſ. l. c. & Horti Oehringenſis in Commerc. Litter. anni 1739. p. 51. deſcriptas & depictas, producta tantum eſſe luxuriantis naturæ & flores monſtroſos, ideoque non ſpecies diverſas ſed tantummodo varietates conſtituere; quemadmodum in multis floribus, qui pleni dicuntur, contingit. Forte autem hæc ipſa Muſa luſui naturæ hoc paſſu, præ aliis plantis, maxime ſubjecta eſt. Quamvis exempla florum aliarum etiam plantarum in promptu ſint, qui dum pleni redduntur adeo immutantur, ut characteriſticæ notæ floris ſpeciei ordinariæ fruſtra in pleno flore quærantur, e. gr. Aquilegia, Cardamindum &c.

D. D.

D. D. JO. MITCHELL
DISSERTATIO BREVIS
DE
PRINCIPIIS BOTANICORUM
ET
ZOOLOGORUM
DEQUE NOVO STABILIENDO NATURÆ RERUM CONGRUO,
CUM
APPENDICE
ALIQUOT GENERUM PLANTARUM RECENS CONDITORUM.

AD

VIRUM CELEBERRIMUM

PETRUM COLLINSONUM
REGIÆ SOCIETATIS LONDINENSIS SOCIUM

EX VIRGINIA

TRANSMISSA

ET HUJUS FAVORE CUM

D. D. CHRIST. JACOB. TREW
COMMUNICATA.

DISSERTATIO.

§. I.

Primum principium & ipſum quaſi fundamentum botanices & zoologiæ videtur generum cognitio, ſeu ſcientia ex omnibus notis ſpeciebus illas conjungendi, quæ plurimis primariis & naturæ maxime propriis attributis conveniunt, illasque ſeparandi, quæ ab iisdem diſcrepant. Sed non obſtantibus tot tantorum hominum arduis laboribus nondum rite innotuit, neque inter diverſos convenit, quæ plantæ aut quæ animalia ejusdem generis cenſenda ſint, multo minus, quæ vel quot attributa convenientiæ genericæ teſſeram naturalem conſtituere debeant. Id quod exinde proficiſci mihi videtur, quod nulla proponant certa & demonſtrata principia, neque ulla ipſis innoteſcant experimenta, nec ullus modus capiundi experimenta, ex quibus (ut in aliis omnibus de rerum natura ſcientiis) ſua principia deducere & demonſtrare debebant, & ad quæ tanquam ad ſacram anchoram in re dubia confugere iis liceat. Variorum diſſentientes admodum opiniones vel inter ſemet ipſas vel cum rebus ipſis conferenti abunde id patebit; idque præterea, quod duo ſyſtematici, ejusdem ſyſtematis aſſeclæ iisdemque principiis imbuti, de generibus aliquot plantarum atque animalium, longe ſecus ſentiant: utcunque enim genera circumſpecte & caute definiamus, plantas tamen atque animalia genere convenire, quæ charactere generico dato aliquatenus diſcrepant, & vice verſa, iis bene notum eſt, qui ſcientiam ex ipſa natura potius, quam ex libris, addiſcere ſatagunt. Hæc diſcrepantia, utcunque levis, diſſenſus auctorum & miræ confuſionis, niſi & errorum gravium, cauſſa eſt & ſemper erit: in generum enim characteribus tradendis vel exceſſu vel defectu plerumque peccatur, ne dicam quod characteres ab hac vel illa parte pro arbitrio petantur, unde quædam ab aliorum conſortio, præter naturæ manifeſtum

nifeſtum inſtitutum, excluduntur, alia e contrario admodum diſſimilibus conjunguntur, haud ſine naturæ tortura. Quantum enim ego ſuſpicor, ut palam fatear, ſyſtematici res naturales ſui potius ſyſtematis legibus, quam ſyſtemata ipſa rerum naturæ accommodaſſe videntur; neque id iis vitio vertent, vel ipſos tarditatis inſimulabunt, qui operis difficultatem ex ſcientiæ multiplici objecto & imperſcrutabili rerum natura natam, cognoverint. Hinc vero addiſcant, majorum placitis, vel recentiorum inventis, haud adeo arcte adhærere iisque penitus acquieſcere, quin potius omni induſtria contendere & omnem movere lapidem, ut præclara ars quotidie promoveatur, quamdiu primum ejus principium & ipſum quaſi fundamentum vix dum ſtabilitum fuerit.

§. II.

Ut vero aſſerti veritas liquidius conſtet, perpendamus paullulum principia, quibus ſua ſyſtemata ſuperſtruuunt Botanici probatiſſimi, & duo tantummodo eſſe diverſa, ex quibus hi convenientiæ genericæ indicia petunt, ſtatim patebit: Ex convenientia ſcilicet in plurimis attributis, vel in partium fructificationis ſtructura. Qui priorem ſententiam retinent, inde eam tueri volunt, quod plantæ iſtæ, quæ plurimis attributis inter ſe congruunt, genere quoque manifeſte & ſine dubio conveniant, id quod plerisque eſt in confeſſo & pro comperto receptum; cui ſententiæ haud renuo, quippe quicquid natura rerum in ſe ſit, nobis tantum eſt congeries omnium eorum attributorum, quibus quæque res induta eſt; in eis vero, quæ plurimis attributis diſcrepant & quæ nihilominus ſub eodem genere militare cenſentur a plerisque, vel quæ attributis illis inter ſe conveniunt, ad diverſa tamen genera referuntur, nondum rite innotuit, neque convenit, neque unquam indicare forte valebunt, quousque hæc diſcrepantia generica, an ſpecifica, ſit cenſenda, ratione habita ipſius naturæ potius, quam ſyſtematis, ſeu ſententiæ botanicorum. Præterea in methodo plantarum condenda, eaque certa &

facili reddenda, haud adeo arridet attributorum plurimorum inveſtigatio, ac unius vel plurium e maxime propriis electio, convenientiæ in plurimis quaſi indicium: & proin hujus ſyſtematis fautores, quando ad characteres genericos imponendos deventum ſit, quæ, vel quot, attributa convenientiam in plurimis, i. e. genericam, conſtituere debeant, incerti ſemper hærent & in diverſas ſententias diſtrahuntur parum ſibi conſtantes, adeo, ut, etiamſi ingenii quodam acumine ad botanicen quaſi efformato plantas ſimiles conjungere ſæpe norunt, hanc tamen ſuam ſcientiam alios docere nequeant, neque ulla inconcuſſa & certa principia proponere.

§. III.

Incommoda inde (§. 2.) nata bene callentes doctiſſimi quique hujus ævi, aliorum attributorum nullam fere rationem habendam volunt, præter ea, quæ in ſola fructificatione ejusve partium ſtructura ſita ſunt, quibus quæ congruunt, genere quoque convenire, eſſe cenſenda: quorum ſyſtemata ideo ceteris palmam facile præripuere, quod in oblata planta, quæ attributa perpendenda ſint, quæve partes excutiendæ ad genus inveſtigandum, ſine hæſitantia ſtatim cognoſcamus, quum ex variis plantarum attributis pauca eligantur ad propoſitum maxime facientia. Ipſis tamen merito objicitur, convenientiæ genericæ teſſeram naturalem ab omnibus ſtabilitam eſſe convenientiam in plurimis attributis, quam nequaquam ſemper indicare fructificationis partium ſtructuram, omnes tandem agnoſcunt, qui plantas ipſas examinarunt. Sed præterea hujusmodi ſyſtemata, a fructificatione petita, iisdem incommodis laborant, iisdem vitiis ſunt obnoxia, quibus præcedentia: uti enim partes fructificationis plurimæ ſunt, & neque demonſtratur, neque conſtat, quæ partes eſſentiales ſint, vel etiam maxime eſſentiales, ad hanc affinitatem vel differentiam genericam determinandam, nunquam dilucide expoſuere neque conſenſere,

ſenſere, quæ & quot fructificationis partes in generibus naturalibus definiendis admittendæ ſint, quæve excludendæ. Unde quidem tot fere principia & ſyſtemata habemus vel habere poſſumus, quot ſunt partes fructificationis harumque variæ combinationes, in quibus ut unusquisque ſui juris eſt, & nullis ſancitis detinetur legibus, tanta oritur, vel oritura mihi videtur ſcientiæ perturbatio, ex hac principiorum & ſyſtematum diverſitate, quanta orta fuit ab ipſius multiplici objecto, utpote quam potius augent, quam imminuunt novis effingendis. Botanici enim plurimi, illicita quadam libidine & culpanda potius licentia, quam ſanis artis legibus, omnia pervertunt majorum inventa, claſſes, tribus, genera, ſpecies, nomina tranſmutant, confundunt & ſeparant ad libitum, regulasque tradunt de ſcientia denuo ad ipſorum mentem condenda, quaſi nunquam condita fuiſſet, &, quod ſane pejus, hæc omnia ſui ſyſtematis regulis potius, quam naturæ legibus, congrua reddunt. Cuinam, quæſo, conceditur hujusmodi effræna poteſtas? ſi uni, nonne & alteri? unde certi quid & firmi ex fictis hiſce principiis nunquam reperiundum videtur, licet nihil magis ſit deſideratum. Ineffabili huic incommodo ut manus medicas admoveret quidam coryphæus, ſummo deſiderio ſperarunt & flagrarunt omnes, voti licet nondum compotes; at neque lubet, neque oportet, ducem quemcunque ſequi, præter ſolam naturam: iſtiusmodi itaque ducis tantam rationem homines ſemper habebunt, quantam ipſe habuit naturæ, quandocunque naturam penitius paullo indagare ipſis conceſſum fuerit.

§. IV.

Adhæc porro concedamus, principium quodvis, ab una quacunque fructificationis parte, vel ab omnibus ſimul ſumtis petitum, ab omnibus recipiendum eſſe; attamen, in tanta rerum variabilium copia, tanta occurrit ſeu formæ ſeu ſtructuræ diverſitas, ſive in numero, ſive ſitu, figura vel proportione, idque in plantis,

quas,

quas, omnes conſentiunt, vel plurimi opinantur, ad idem genus pertinere, ut impoſſibile ferme ſit (ſaltem adhuc nunquam præſtitum in tot tantisque conaminibus) characteres genericos effingere ſpecies omnes ejusdem generis includentes, diverſi vero excludentes, adeo, ut, ſi quando (quod ſæpe evenit) plantæ congeneres fructificationis partium ſtructura diſcrepent, vel generis alieni conveniant, nullo alio modo conjicere, multo minus periclitari liceat, an differentia iſta generica ſit, an ſpecifica tantum, quam, hujus vel illius botanici ſententiam ſeu conjecturam adducendo, a natura forte diſcordantem, qua quæſo acquieſcet, modo rem ipſam explorare liceret? Quod enim experientia didici, ut palam fatear, vaga & quaſi ludens natura in tam abundantis rerum copiæ ſive numero ſive proportione, ſitu vel figura, ad certas & conſtantes ſine exceptione regulas vix ac ne vix quidem reduci poteſt, vel verbis quibuscunque, multo minus iconibus exprimi, unde mutabilia ſemper, ſæpe falſa, principia exinde deſumta, mutabilia vel abſurda ſyſtemata hiſce principiis ſuperſtructa in damnum haud levè bonæ & præclaræ artis. Præterea vero principium hocce fructificationis nullam rationem habet aliorum plantæ attributorum, quæ æque & forte magis neceſſario indicio eſſe poſſunt hujus affinitatis vel differentiæ genericæ, quantum nos novimus: certe unusquisque, qui naturam ducem ſequi cupit, poſthabitis ſyſtematibus quibuscunque, cum cl. RAYO ſponte agnoſcet faciem externam & habitum quendam proprium, in plantis & animalibus adeo conſpicuum & notabilem, in genere determinando obſervatione digniſſimum eſſe, utcunque a ſyſtematicis hodiernis ſuſque deque habitum ob nullam aliam rationem, quam quod haud ipſis lubet, vel haud convenit, ullam ejus rationem habere: quamobrem botanici huic principio per omnia arcte adhærentes apud plerosque in ſuſpicionem venere aliena conſociandi, ſi non & cognata ſeparandi.

§. V.

§. V.

Eſt vero & aliud nonnullorum placitum hic loci imprimis notandum & rejiciendum, qui exiſtimant, nihili vel ſaltem haud tanti eſſe characterum naturæ rerum convenientium indagationem, modo plantas vel animalia commode digerere poſſint methodo ad docendam vel addiſcendam facili. Hi ſane in ipſo limine methodi & principiorum ſtabiliendorum errare videntur: quorſum enim valet cognoſcere, plantam hoc vel iſto genere cenſeri, niſi idem ſtatuerit natura? Tanti ſane intereſt inter characteres rerum veros naturales, eosque artificiales & factitios, cognoſcendos, quanti intereſt inter ipſam naturam ac hominum de ea opiniones vel inſomnia cognoſcenda: hinc præclare concludit cl. LOCKE: *So that vve may truly ſay, ſuch a manner of ſorting of things, is the vvormanship of men. Underſtand. L. III. c. 6. §. 36.* (*). Si vero ipſis lubuiſſet, naturam ipſam experimentis indagare potius, quam ſyſtematibus ſuis factitiis explicare, genera rerum inveniſſent ab ipſo creatore potius, quam hominibus, efformata, tumque omnes eundem ducem ſequuti eodem tendiſſent & invicem conſenſiſſent; quod tamen eo difficilius eſt, quod nihil æque imperſcrutabilis rerum eſſentiæ cognitionem poſcit, ac earum in ſua genera naturalia diviſio, quod bene callentes botanici de hac rerum eſſentia, ipſis plane imperſcrutabili, haud adeo ſolliciti methodum tantum tyronibus docendis & evitandæ confuſioni potius, quam naturæ rerum docendæ, accomodatam excogitarunt per notas quaſdam plantarum externas, interiorem ipſarum naturam minime exprimentes, neque ab ea neceſſario ſæpe provenientes. At neque ego is ſum, qui rerum eſſentiam dictam inveſtigare velle videar, ad quod requiſitum ingenii acumen mortalibus minime conceſſum credo; quicquid vero de ipſa nobis ſcire licet, experiundo,

(*) i. e. Ita ut veriſſimum ſit, ejusmodi methodicam rerum diviſionem, opus eſſe hominum. De intellectu L. III. &c.

undo, quid natura faciat aut ferat, id unicum nobis innoteſcit, quodque haud adeo lubrico nititur fundamento, ac hominum pura puta opinio: hujus itaque experiundi modum rerum affinitatibus & differentiis indagandis accommodaturus ſum. Quicquid enim a ſyſtematicis promiſſum vel præſtitum ſit, caremus adhucdum firmo quodam principio, ſeu teſſera aliqua naturali, experimentis (ſi fieri poteſt) demonſtranda, quæ nobis detegat, quid ſit rebus naturalibus inhærens & neceſſario ab illarum natura emanans, quo ejusdem vel diverſi generis illas effinxerit ipſa natura, & quæ nota externa id nobis indicet, hoc opus hic labor eſt.

§. VI.

Quandoquidem itaque botanicorum & zoologorum principia adeo ſint incerta, mutabilia, ſive a natura rerum aliena, aliud quoddam naturæ congruum & rerum cognationem luculentius exprimens & probans inveſtigatu neceſſarium ſemper exiſtimavi, & ad quod, utpote certum & conſtans, omnes deligandi ſint. Cui inveniendo anſam præbere videtur conſideratio eorum, quæ rebus naturalibus maxime eſſentialia ſunt & per quæ ad mutua officia invicem præſtanda apta deveniant. Inter omnia vero, quæ plantis & animalibus eſſentialia habita fuere, ſeu neceſſario illis accidere videntur, nil aliud certi fere reperio, præter ſemen generandi, hincque ſui ſimile procreandi facultatem: etiamſi enim quid maximi momenti in fructificatione plantarum cum aliis videam quoad illarum affinitates & differentias; partium tamen ſtructuram ſeu formam vagam & incertam ſæpe reperio. Quandoquidem itaque adeo eſt incerta partium forma, harum uſum ſeu actionem perpendamus, quam ſolam minime vagam vel fallacem pronunciare licet, quippe conſtanter eundem hinc effectum natum videmus, ſeminis ſcilicet generationem & ſui ſimilis procreationem. Hanc mihi conſiderationem primo ſuggeſſere animalia & ſuggeſtam illuſtrant: in hiſce ſiquidem videmus plurima diverſa

ſa coëuntia ſe mutuo impraegnare; hæc pleraque ad idem genus pertinere perſuaſum mihi habeo, quantumvis rei naturalis ſcriptores ad diverſa diſtrahant, uſus recepti potius quam naturæ ipſius ſtudioſi: ita equum & aſinum ſua natura ad idem genus animalium pertinere, autumo, cujus certiſſimum indicium eſt ipſe mulus ab utroque productus: quorſum enim valent ſtatura, ignavia, tarditas, aurium vel caudæ longitudo, vel jubæ forma ad aſinum ab equo, quoad genus, diſtinguendum? hæ mihi notæ videntur ſpecificæ potius, quam genericæ, utpote in variis ſpeciebus mutabiles, iisque potius caſu evenientes, quam neceſſario illarum naturæ accidentes: hæc enim mutua fœcundatio, hæc mutua officia earum naturæ adeo eſſentialia propinquiorem longe demonſtrant affinitatem, quam partium quarumcunque mutabilium & accidentalium forma, utcunque aliena, remotam diverſitatem. Hincque ſane zoologi ſyſtematici eundem errant errorem, iisdem vitiis ſunt obnoxii, quibus ipſos botanicos eſſe ſuperius eſt oſtenſum.

§. VII.

Quousque vero hæc mutua fœcundatio diverſorum animalium extendatur, vel progredi queat, nondum rite demonſtrarunt Zoologi, an ſcilicet genere æque ac ſpecie manifeſto diſcrepantia animalia, conſtante lege naturæ, ſe mutuo coitu fœcundent; liceat tamen impræſentiarum de hujusmodi prolis natura conjectando experimenta ipſa præcurrere: utcunque enim ſit, an ſe invicem fœcundent, nec ne, prolem exinde plane diverſam ab iſta, quæ a congeneribus gignitur, quis non videt? Ejusmodi prolem ab ἑτερο γενέσι & ἀσυγγενέσι ſi ullam genitam, monſtroſam certe vel hybridam pronuncio: ita v. g. D. D. SHAW in itinere Africano mentionem facit animalis hybridi, ab aſino cum vacca coeunte geniti, Mauritanis Cæſarienſibus *Kumrah* (*) dicti, a quo pa-

(*) editio Anglicana in fol. p. 239. edit. Gallica 4. p. 309.

rum differt vulgo dictum *Gimar*; utinam ſane animalis proprium habitum & partium ſtructuram deſcripſiſſet (quæ in decerptis ab ejus operibus neutiquam reperio,) ex quibus ipſius & aliorum ejusmodi notas diagnoſticas certo colligere liceret, modo tale ita productum conſtanter reperiatur, de quo ſane ancipitis ſum ſententiæ; ſed qualecunque ſit prædictum *Kumrah*, & ſi qua alia ejusmodi, neque animal naturale, neque mulus, ſed hybrida, mihi audit, quem partium ſtructura vel officiis a mulo, inter congeneres equum & aſinum procreato, differre nemo, quod credo, dubitabit. Sed quæ ſint notæ diagnoſticæ, hybridam a mulo diſtinguentes, avtoptis decernendum relinquo; ſufficit, præſenti inſtituto tales notas dari avtoptis manifeſtas, quæ an dentur, nec ne, quis negare audeat ſine accuratius inſtituto partium earumque officiorum examine? haſce vero notas in organorum generationis ſtructura vel officiis, ut in mulis, petendas hariolor, quas tamen exinde perquirendi nondum mihi oblata eſt occaſio. Quod ſuperius de hybridis & mulis diximus, dictum puta de Leo-pardo, Camelo-pardali, Lyco-panthera, Lupo-cane, Cane-vulpe, Ariete-capra &, (ſi modo tales ſint) Cane-fele, Papio-homine, aliisque ſimilibus mulis, hybridis & monſtris paſſim ab auctoribus commemoratis; de quorum tamen plurimorum contra naturæ leges (quatenus apparet) productorum exiſtentia, vel ſaltem conſtante & naturali productione diu multumque dubito.

§. VIII.

Quum itaque abunde conſtet, plurima ſpecie diverſa animalia ſe mutuo coitu fœcundare poſſe prolemque exinde vivam & vegetam procreare, hanc ſe invicem fœcundandi potentiam, affinitatis vinculum naturale, fœtumque inde productum hujus affinitatis ſignum externum ſtatuo, quæ affinitas diverſa erit pro fœtus iſtius natura avtopſia dignoſcenda, adeo, ut, quæ mulum gignunt, genere cenſeantur eodem, quæ vero hybridam, monſtrum, vel nullam prolem procreant, genere diverſo. Ita v. g. aſinus & equus,

animalia ſpecie diverſa, mulum, conſtante lege naturæ, mutuo coitu maris cum femina ſemper gignunt & proin genere eodem ſtatuantur; ſi vero taurus & equa prolem ullam gignant (de qua dubito, an ſit partus naturalis & conſtans) hybridam iſtam vel monſtroſam, ſaltem ab ipſo mulo quadantenus diverſam, & notis propriis dignoſcendam, hariolor: quare equum & taurum ad diverſa genera revoco, cujus indicium eſt ejusmodi hybrida proles, ſi ulla, quod ſignum multo certius & conſtantius, quam forma quæcunque, mihi videtur. At neque me latet, philoſophos nonnullos hanc fœcundandi potentiam, ad genera animalium diſtinquenda, olim excogitaſſe, quam tamen ſuam hypotheſin ipſi rejiciunt, quia ultra congeneres, ut ad equum, bovem & aſinum, hæc potentia extendatur; hi vero ſolam ipſam potentiam, haud diverſimodam progeniem inde productam, pro ſigno cognationis agnovere, quam progeniem, ni fallor, diverſam inveniſſent in animalibus diverſo affinitatis gradu cognatis (quæ proin ſignum hujus diverſitatis commode ſtatui poteſt) niſi, ex præconcepta quadam opinione, omnia animalia mulos generantia, ut equum & aſinum, genere diverſa ſtatuiſſent, unde tot eſſent genera, quot ſpecies animalium; uti vero quædam longe proximiore affinitate ſunt conjuncta, quam alia, hujus propinquitatis naturalia vincula & externa ſigna detegere, ex forma & aliis accidentibus, avide cupierunt & deſudarunt Zoologi omnes, fruſtra tamen adhucdum.

§. IX.

Ad hanc vero noſtram hypotheſin ſtabiliendam obſervationes & experimenta plurima, nullibi, quod ſciam, capta neque ab uno homine capiunda, neceſſaria eſſe, haud inficias eo; de quorum quoque ſucceſſu dubitabunt forte nonnulli, qui nobis objicient, animalia quædam genere diverſa, ut taurum & equam, ſe invicem fœcundare prolemque gignere, de cujus prolis natura nondum conſtat; neque ſane ego, inopia obſervationum & rerum

obſervandarum preſſus, hiſce ſatisfacere poſſum. Ulterius vero urgeri poteſt, ſemen maſculinum in utero quocunque, æque ac proprio, ut ovum in arena calente æque ac nido materno, in genituræ excluſionem foveri, & ad eandem maturitatem & perfectionem perduci poſſe; an vero hoc probabile videtur? certe qui diligenter ſecum animo reputaverit & debite perpenderit, multiformem organorum genitalium fabricam, diverſum ſæpe horum officium, modum ipſius coitus diverſum, animalculi in ovum femineum ingreſſum vel intimam unionem, diverſa tempora, quo eadem utero gerunt, varios modos, quibus utero adhæret & ibi nutritur fœtus, fœtuum numerum horumque cum matre ſanguinis communionem, & excluſionem in diverſis & præcipue genere alienis animalibus, mirabitur potius muli a congeneribus productionem, quam ſimilem prolem ab alienis expectabit. In muli enim productione ſemen hocce maſculinum in utero, proprio haud adeo abſimili, nutritum in fœtum excreſcit longe diverſum ab eo, quem enixa fuiſſet femina propria; quumque femina congener ſemini maris talem inducat metamorphoſin, nonne credibile videtur, in femina alienigena hanc immutationem tantam futuram, ut fœtus tandem nullus excludatur, vel a priore prorſus diverſus, monſtrum vel hybrida? quod rationi adeo conſonum pro demonſtrato aſſumam deficientibus ipſis obſervationibus, cujus tamen veritate nititur tota noſtra hypotheſis. Neque ipſæ obſervationes adhucdum factæ huic noſtræ ſententiæ repugnant: ſiquidem frequenter videmus, beſtias & aves plurimas, immo homines ipſos, turpe dictu, hujus criminis reos convictos, libidine furentes, in alia rapi & appoſite ſatis coire, nulla ſubſequente progenie.

§. X.

De convenientia ſpecifica animalium ex eodem hocce principio liquido magis conſtat: quæcunque enim diverſa prolem fœcundam & proliferam gignunt, ſeu ſpeciem propagare valent,

ſpecie

ſpecie minime differre, ſed accidentibus tantum variare, ſint cenſenda. Huic noſtræ ſententiæ cum aliis adſtipulantem invenio cl. RAYUM, botanices & zoologiæ judicem æquiſſimum, qui in tractatu de creatione hæc habet: „ *I reckon all dogs to be of one ſpecies,* „ *they mingling together in generation, & the breed of ſuch mix-* „ *tures being prolifick* (*), p. m. 21. „ Si itaque ex prole animalium certiſſimas notas habemus convenientiæ & diſcrepantiæ ſpecificæ, quidni & convenientiæ vel diſcrepantiæ genericæ notæ exinde petendæ ſunt? quando enim videmus tantam diverſitatem in genitura animalium diverſorum, nonne abunde patet, diverſa affinitate, naturæ vinculo, hunc in modum generantia devinciri? præterea quando videmus, animalia plurima, utcunque accidentibus nonnullis diſcrepantia, ſpeciem tamen inter ſe propagare & conſervare, iſta proculdubio quam proximo affinitatis gradu, i. e. ſpecie, cognata ſunt habenda, & rurſus, quæ inter ſe prolem procreare valent, ſterilem tamen, proxime ſubſequente cognationis gradu, i. e. genere, ſunt conjungenda; dum e contrario, quæ ejusmodi prolem nullam vel diverſam producunt, diverſo affinitatis gradu & proin haud genere cognata videntur: quippe quod organa naturalia & maxime eſſentialia, diverſis accommodentur officiis, ſi non & diverſa gaudeant ſtructura. An vero ulterius hic progredi liceat, eaque pronunciare ὁμόφυλα, ſeu ex eadem tribu, quæ hybridam prolem procreant, eaque tribu diverſa, quæ nullum vel monſtroſam gignunt, ſine experimentis determinare nolo, ne nimium meis conjecturis favere videar, etiamſi neque hoc rationi alienum videatur, modo talium conſtans & naturalis ſit productio, quod tamen nondum rite demonſtratum video. Ex hiſce principiis ſpecies animalium contrahendas eſſe autumo; quouſque vero hoc ſuccedat, experimenta interdum & autopſia docebunt. Ita v. g.

(*) i.e. Omnes canes unam eandemque conſtituere ſpeciem cenſeo: in generationis namque opere commiſcentur, fœtusque ex hac commiſtione oriundi ſpeciem propagare poſſunt.

v. g. Dama Virginiana Ray. ſynop., animal a vulgari Europæa ſpecie minime differre mihi videtur, utcunque magis concinna & compta corporis forma, pernicitate, colore & lævore cornuumque ramis cervus ab hac diſcrepet; idem quoque ſuſpicor de vulpe minore griſea, lepore parvo ruſo, perdice exigua; ſciuro noſtro griſeo & rufo, caſtore noſtrate, vulgo Canadenſi, aliisque plurimis animalibus Americanis, id quod obiter moneo.

§. XI.

Hæc hactenus de animalibus, pauca ſequuntur de plantis, quarum eadem omnino ratio eſt, eadem affinitatis vincula, propterea quod eodem generationis modo gaudent, ſecundum MORLANDI doctrinam, a GEOFFROY, MILLERO, BRADLEYO, LOGGANO aliisque poſtea comprobatam, ex quorum obſervatis ſequentia poſtulata, pro demonſtratis aſſumam, ſique haud adeo certe & indubie demonſtrata ſint, iis ulterius probandis & dilucidandis operam ut navent botanicos obſecro. 1) Plantas organis generationis maſculinis & femininis in eundem uſum donari, quibus animalia; 2) plantas, quas ſpeciei ejusdem eſſe unusquiſque ſine dubio ſtatim agnoverit, ſe mutuo fœcundare & prolem proliferam producere. Probavit id in braſſicis MILLERUS, Act. Philoſ. & in plantis aliis bene multis, præſertim hortenſibus, quotidie videmus; quidni itaque eadem conſideratio locum habeat in eis ſpeciebus, de quibus dubium? certe naturam in ſimilibus ſibi ſemper ſimilem videmus. Si itaque innumerabiles hæ plantarum varietates, botanicis negotium faceſſentes, ſæpe, ſi non ſemper, a mutua fœcundatione oriuntur, quod, quæſo, clarius indicium vel certius ſignum harum varietatum deſiderari poteſt, quam hæc ſe mutuo fœcundandi poteſtas fidis experimentis detegenda? 3) Plantas ſpecie diverſas, quas congeneres nullus dubitat, ob convenientiam omnimodam in plurimis primariis attributis, ſe mutuo fœcun-

fœcundare, ſed mulo-plantam gignere, quæ ſpeciem propagare nequit, probabile id plantarum cum animalibus affinitas reddit, quodque in caryophyllo hortenſi & barbato oſtendit BRADLEYUS Garden. p. m. 18., cujus quoque proſapiæ mihi videtur Hyacinthus Sanneſius coma paniculoſa Col., monſtrum iſtud naturæ, de quo tot dubia. Si itaque caryophyllus & Armeria, vel aliæ quæcunque plantæ, ſe invicem fœcundant, certe & ejuſdem generis prolem gignent omnes, quibus eodem affinitatis gradu cognatas eſſe contigit, ſeu genere convenire: quippe naturam ſibi per omnia uniformem reperimus; ſique illa, quæ genere congruunt, mulo-plantam gignant, quidni iſta, quæ hybridam vel nullam prolem procreant, genere diſcrepare ſint ſtatuenda? nam ut ſuperius de animalibus diximus, ſi iſtæ plantæ, quæ fœtum fœcundum proliferum edunt, ſpecie congruant, certe illæ, quæ fœtum ejusmodi inter ſe procreant, priori per omnia fere ſimilem, licet infœcundum, ſubſequente cognationis gradu, i. e. genere, natura, conjunxit; dum iſtæ, quæ hybridam prolem procreant, (modo tales conſtante lege naturæ ſint) proximo gradu ſeu tribu vel familia affines eſſe voluit; ab affinitate vero naturali removit, quæ nullam vel monſtroſam tantum prolem procreare valent.

§. XII.

Hinc itaque experimentis plantarum cognatio generica detegenda mihi videtur, cujus experimenti capiundi modum, vel quibus cum cautelis, botanicos eruditos vix latere puto: exſectis enim ſtaminibus vel apicibus unius plantæ, cujus farina fœcundans nondum matura vel excuſſa fuerit, alterius experiundæ farina fœcundante leviter conſpergatur patens ſtigma plantæ caſtratæ, quotiescunque neceſſe fuerit, & viciſſim, ſi placet, ſique copula hæcce ſemen fœcundum & proliferum genuerit, ſpecie conve-

 nient;

nient; ſi vero ſemen inde productum, utut vegetum & fœcundum, ſui ſimile procreare haud valeat, ſeu mulum pepererit, ſpecie diſcrepabunt, genere convenient, plantæ ita coeuntes; at ſi nulla vel hybrida proles inde producatur, alieni generis ſtatuantur.

§. XIII.

Statutis hoc modo generibus, quod quidem præcipuum botanices fundamentum eſt, alterum botanicorum inſtitutum, plantarum aſſociationem in claſſes & ordines, ſeu tribus & familias naturales poſcit, de quibus quid ſentiendum ſit ſecundum noſtram hypotheſin, ex ſupradictis ultro patet; an vero tale quid inſtituerit ipſa natura æque, ac botanici, dubio plenum & experientiæ quodammodo contrarium videtur: videntur ſiquidem claſſes ſaltem adhucdum inventæ (ni forte una vel altera excipienda ſit) ex botanicorum potius mente, quam naturæ modis impetrari; atque etiamſi ad docendum ſint ſumme neceſſariæ, harum tamen diviſio vel conjunctio artificialis haud adeo naturæ legibus repugnat, ac ipſorum generum & ſpecierum, quæ ipſius naturæ opera ſunt.

Dabam ex ædibus meis
Virginiæ 1738.

APPEN-

APPENDIX.

LECTORI BOTANOPHILO.

In generibus novis condendis, quantum pati videbatur natura, accuratius differentias notavi, ratione habita totius plantæ æque ac partis alicujus nobilioris; differentias tamen genericas ex fructificationis tantum partibus petivi, quas etiamſi quibusdam forte leviores genericas feci, ubi id perſuadere videbatur tota reliqua planta; e contrario vero diſſuadente habitu proprio, plurimorum attributorum quaſi complexu fructificationis differentias ſpecificas potius, quam genericas, feci. Diverſo a nobis modo ſua genera partim condidiſſe videntur quidam recentiores, nullam aliam ferme agnoſcentes differentiam, præter fructificationis inſignem, dum interim in hiſce verſatiſſimi & perſpicaciſſimi, RAIUS, TOURNEFORTIUS, VAILLANTIUS, BOERHAAVIUS, DILLENIUS, quæ nomina! quorum veſtigia premere conor, genera multa accuratius diſtinxere, ad totam plantam æque, ac fructificationem ſolam, reſpicientes. Utrisque ſuus conſtat honos & methodi pretium, ſuæque debentur laudes: illi enim diverſarum affinitatem oſtendunt; hi contra earundem diverſitatem, haud minus cognitu neceſſariam, indicant. Uti vero ad uſus medicos æque, ac mere botanicos, plantarum genera excogitavi, ita cautus eſſe cupio in plantis indagandis, ne ad falſa & aliena genera revocentur, ne, ex botanicorum placitis, plantæ ſalubres plurimæ cum venenatis & noxiis multis conſocien-

tur & congeneres habeantur, & id genus alia plura, naturæ rerum, (quantum conſtat) diſcordantia, pro compertis recipiantur, antequam ulterius demonſtrentur: bene norunt enim Botanici peritiores, ſuas generum definitiones haud adeo certas & indubias eſſe, quin exceptiones multas admittant, & ſæpe ambiguæ, interdum falſæ, ſint reſpectu habito ad ipſam rerum naturam, dum ſyſtematici plerique naturam, quam ſolam reſpicio & indago, interdum torquere coguntur, συμμετρίας ſyſtematis cauſſa.

Hinc itaque, etiamſi unum vel alterum genus, heic pro novo traditum, ex quorundam principiis & aliorum placitis ad alia prius ſtabilita & tradita pertinere videatur, ea nihilominus tamen ſeparavi, ut differentia melius appareret, donec magis certi quid ex naturæ potius legibus, quam botanicorum ſententia, comperiatur. Ita v. g. Memæcylum noſtrum ad Arbutum retulit peritiſſimus Botanicus, D. D. GRONOVIUS, Fl. Virgin. p. 49. & haud ſine ratione quidem ſecundum ſui ſyſtematis placita; at Arbutus arbor eſt, hæc humillima pedibus calcata, humifuſa herbula, id quod tamen haud tanti facere nonnullos novi; Arbutus vero flore campaniformi, globoſo, urceolato, ſecundum BOERH., Memæcylum vero eodem infundibuliformi, longo, laciniis magnis uniformiter expanſis; illa fructu carnoſo baccato, hoc capſula ſicca diſſiliente gaudet, ut taceam calycem & involucra, quibus omnibus facile diſtingui poſſunt, haud renuente natura, licet generum ſummam affinitatem agnoſcam. Præterea in ſyſtematibus aliis genera prædicta ſub eadem claſſe, multo minus ſub eodem genere, vix ac ne vix quidem militabunt, quorum itaque cultoribus differentiam oſtendere forte haud erit ingratum. Ita quoque Chamædaphnen noſtram ad Loniceram retulit idem

accu-

accuratiſſimus Botanicus, & quidem illuc referenda videtur, modo iſtuc pertineant Symphoricarpos & Trioſteoſpermum, quæ ſeparavit perſpicaciſſimus DILLENIUS, quæque & ipſe, præſertim poſtremum, pro diverſo omnino habeo. Idem dictum puta de Corio ad Arenariam, de Erebintho ad Clitoriam referendo, & Acnide inter Cannabin & Urticam quaſi ludente per quorundam principia & placita. Si qua vero ſint genera alia nuperrime ſtabilita & in hiſce eadem nondum mihi rite perſpecta, neque in hunc noſtrum orbem forte delata, id potius ſedi meæ a libris & litteris procul abſenti, quam meæ incuriæ adſcribas, obſecro.

At neque eſt, quod quis nova nomina horreat, vel averſetur: præſtat ſiquidem, mea ſententia, nova nomina, quam antiqua ulla, forte vel ipſa Græca inuſitata (quod voluit Cl. RAIUS meth. emend. p. 117.) novis generibus imponere, modo confuſionem evitare ſemper in animo ſit.

Si forte neceſſe eſt
indiciis monſtrare recentibus abdita rerum, &
fingere cinctutis non exaudita Cethegis,
continget, dabiturque licentia ſumpta pudenter.
Et nova fictaque nuper habebunt verba fidem, ſi
Græco fonte cadant, parce detorta.

* Horat. de arte Poët. v. 48.

Nova genera plantarum Virginienſium.

I. *ARONIA.*

Cal. *Spatha* nulla; *ſpadix* clavatus, oblongus, ſimpliciſſimus. *Perianthium* ad baſin fiſſum in ſex lacinias, craſſas, angulatas, ſubrotundas, denſe congeſtas, permanens, coloratum, germen & fructum arcte comprimens.

Cor. nulla, niſi ſtamina velis corollam appellare.

Stam. *Filamenta* ſex, petaloidea, craſſa, lata, enſiformia, calice minora, intra calycem occulta, marceſcentia. *Antheræ* oblongæ, didymæ.

Piſt. *Germen* magnum, orbiculatum depreſſum. *Stylus* nullus. *Stigma* rotundum bifidum.

Per. nullum, præter folliculum tenuem. *Perianthium* connivens, germen fovens. *Fructus* ſpadice fungoſo immerſus.

Sem. unicum, magnum, fungoſum, rotundum.
Habitus Ari. Spica Potamogeitoni.
Neutri vero quicquam ferme commune habet.

II. An *DRACONTIUM?* Linn. gen. pl. 985. vel Arioides? Boerh. Ind. II. 74. Arum Cateſb. quadruped. (Hiſt. T. II. 71.)

Cal. *Spatha* cymbæformis, coriacea, univalvis, maxima, acuta, revoluta.
Spadix ſimpliciſſimus, rotundus, undique clavatus.
Perianthium, foliola quatuor, ovata, obtuſa permanentia.

Cor. alia nulla.

Stam.

Stam. *Filamenta* quatuor ſubulata, longitudine perianthii. *Antheræ* oblongæ, ſupra germen conniventes.

Piſt. *Germen* conicum, obtuſe tetragonum, magnum, *Stylus* nullus. *Stigma* obtuſum.

Per. *Perianthium* connivens, germen fovens.

Sem. unicum, globoſum, carnoſum.

Ab Aronia, ſpatha, ſpadice & filamentis, abunde diſtinguitur; a Dracontio Linn. perianthio, ſemine & numero, quum vero genus iſtud mihi haud rite perſpectum ſit, certi quid determinare nolo.

III. *CYNORRHYNCHIUM.*

Cal. *Perianthium* monophyllum, longum, tubulatum, integrum, quinquangulare, ſingulis angulis in cornicula parva æqualia deſinentibus, perſiſtens.

Cor. monopetala ringens, *tubo* longitudine calycis, obtuſe angulato; *labio ſuperiore* cavo, bifido; margine rotundo reflexo: *labio inferiore* majore, pendulo, inferius concavo, ſuperius convexo; palato prominulo rictum claudente, laciniis tribus oblongis, obtuſis, æqualibus.

Stam. *Filamenta* quatuor curva, ſub labio ſuperiore recondita, quorum bina ſuperiora breviora; *Antheræ* geminatæ, conniventes.

Piſt. *Germen* conicum, longum. *Stylus* filiformis, ſtaminibus longior. *Stigma* magnum bifidum, cavum, campanulatum.

Per. *Capſula* conica, longa, calyce connivente incluſa & tecta, bilocularis, apice dehiſcens, diſſepimento valuis contrario.

Sem. numeroſa minutiſſima; *receptaculum* conicum, magnum.

IV. CO-

IV. *CORION.*

Cal. *Perianthium* pentaphyllum, foliolis quinque lanceolatis, expanſis, perſiſtens.

Cor. *Petala* quinque, oblonga, obtuſa, expanſa, calice majora, marceſcentia.

Stam. *Filamenta* octo & duodecim, tenuiſſima, inæqualia, caduca; *Antheræ* rotundæ.

Piſt. *Germen* ovatum; *ſtyli* tres erecto-patuli; *ſtigmata* craſſiuſcula.

Per. *Capſula* longa conica, trigona, unilocularis, trivalvis.

Sem. plura, rotunda libera.

Si liceat, ex partium fructificationis numero & capſulæ forma, Alſinaſtrum, Alſinellam & alias ab Alſine vera ſeparare, certe & hæc eadem lege ab Arenaria Linn. ſeparanda eſt; præſertim quum facie gaudeat propria; veritatem forte dies docebit.

V. *DICONANGIA.*

Cal. *Perianthium* monophyllum, tubulato ventre turgidum, in quinque parvas, erectas, acutas, coloratas lacinias diſſectum, perſiſtens.

Cor. pentapetala roſacea, petalis oblongis anguſtis, acutis, erectopatentibus, ex interſtitiis ſegmentorum calycis ortis.

Stam. *Filamenta* quinque ſubulata, erecta, calyci inſerta, petalis alterna, eiſque paullo breviora. *Antheræ* ſubovatæ incumbentes.

Piſt. *Germen* conicum; *ſtylus* ſubulatus, craſſus, permanens, longitudine ſtaminum; *ſtigma* obtuſum.

Per.

Per. *Capſula* conica, didyma, bivaluis, permanens, ex duabus in unam coalitis compoſita, in unilocularem apice dehiſcens.

Sem. plurima, parva, oblonga, ſplendida.

Hujus ſpecies mihi videtur Cortex Peruvianus. COLLINS.

VI. *DIOSPYROS* Linn. gen. 403. Mon. p. 383.

MAS.

Cal. *Perianthium* parvum, tenue, quadrifidum, erectum, laciniis acutis.

Cor. monopetala, coriacea, urceolata, tetragona, leviter quadrifida, laciniis ſubrotundis, revolutis.

Stam. *Filamenta* octo breviſſima, corollæ baſi accreta. *Antheræ* longæ, acutæ, geminæ, exteriores longiores, interiores breviores.

FEMINA in diverſa arbore.

Cal. *Perianthium* magnum, craſſum, erectum, quadrifidum, perſiſtens.

Cor. ut in mare, major, laciniis acutis, patentibus.

Stam. *Filamenta* octo, villoſa, vana.

Piſt. *Germen* magnum ovatum; *ſtylus* craſſus, longitudine corollæ, permanens; *ſtigma* longum, quadrifidum.

Per. *Bacca* globoſa, magna, multilocularis, calyci maximo patenti inſidens.

Sem. aliquot ſubrotunda, compreſſa, duriſſima.

Dioſpyri duos characteres tradidit cl. LINNÆUS, quorum neuter noſtræ arbori competit. Sexus diverſitatis in ſua meminit J. B. I. 238. p. p.

VII. *ELYMUS.*

MASCULINI flores in ſpicas (ſtellatas inferiores) digeſti.

Cal. *Gluma* uniflora, bivaluis; valuis oblongis, cavis, conniventibus, acutis, muticis.

Cor. nulla.

Stam. *Filamenta* ſex breviſſima, minima; *antheræ* oblongæ, anguſtæ, longitudine fere calycis.

FEMININI flores in ſpicas (ſtellatas ſuperiores) in eadem planta digeſti.

Cal. *Gluma* uniflora, bivaluis, clauſa, ſupra germen tantum rimulis binis dehiſcens; valua exteriore majore, cava, longa, recta, utrinque interiorem amplexa, in ariſtam longiſſimam deſinente; interiore minore, lanceolata, plana.

Cor. nulla.

Stam. nulla.

Piſt. *Germen* oblongum; *ſtyli* duo minimi; *ſtigmata* plumoſa, ê rimulis calycis eminentia.

Per. nullum. *Gluma* connivens permanet.

Sem. ſolitarium, tectum, oblongum, æquale, acutum, ſplendens.

VIII. *EREBINTHUS.*

Cal. *Perianthium* monophyllum, villoſum, ſemiquinquefidum; laciniis ſubulatis, binis ſuperioribus minoribus, infima longiore.

Cor. papilionacea; *vexillum* ſeorſum flexum, magnum, ſubrotundum, planum. *Alæ* oblongæ, obtuſæ, rectæ. *Carina* lata, gibba, compreſſa, longitudine alarum, vexillo breviore.

Stam.

Stam. *Filamenta* diadelpha (ſimplex & novemfidum) *Antheræ* decem oblongæ.

Piſt. *Germen* longum compreſſum; *ſtylus* aſſurgens; *ſtigma* inflexum.

Per. *Legumen* compreſſum, villoſum, falcatum, bivalve, in loculos membrana partitum.

Sem. plura quadrato-reniformia.

A Clitoria, ad quam retulit cl. LINNÆUS, ſat diverſum genus mihi videtur, forte & aliis videbitur; hic itaque character.

IX. *HEDYOSMOS.*

Cal. *Perianthium* monophyllum, tubuloſum, ſtriatum, ore quinquedentato, æquali, intus villoſo.

Cor. monopetala ringens, *tubus* longus, intra calycem arctatus. Limbus fere erectus, bilabiatus. *Labium ſuperius* brevius, obtuſum, emarginatum, rectum; *labium inferius* trifidum, obtuſum, æquale.

Stam. *Filamenta* duo, corolla longiora; *antheræ* ſubrotundæ, compreſſæ, didymæ.

Piſt. *Germen* parvulum quadripartitum; *ſtylus* filiformis, longitudine plerumque ſtaminum.

Per. nullum. Calyx villis tomentoſis clauſus, ſemina fovens.

Sem. quatuor, oblonga, acuta.

X. *GAROSMOS.*

Cal. *Perianthium* tetraphyllum, foliolis anguſtis, acutis, erectis, permanens.

Cor. roſacea, tetrapetala. . . . .

Stam. *Filamenta* quatuor. . . . .

Piſt. *Germen* ſubrotundum quadripartitum. *Styl.* . . . .

Per. nullum.

Sem. quatuor dura, gigartis ſimilia.

XI. *LEPTOSTACHIA.*

Cal. *Perianthium* monopetalum, tubulatum, anguſtum, quinque ſtriis notatum; laciniis tribus ſuperioribus longis, linearibus, rigidis, rectis, quaſi ſpinis; inferioribus duabus parvulis, latis, acutis.

Cor. monopetala ringens. *Tubus* anguſtus, longitudine calycis, bilabiatus, patulo-clauſus. *Labium ſuperius* breve, erectiuſculum, acutum, emarginatum, margine reflexo; *inferius* longius, trifidum, laciniis ſubrotundis, media longiore porrecta. *Palatum* in rictu prominens, inferius cavum, ſuperius convexum.

Stam. *Filamenta* quatuor, utrinque bina, ſuperiora breviora. *Antheræ* ſubrotundæ, didymæ conniventes.

Piſt. *Germen* oblongum; *ſtylus* filiformis; *ſtigma* obtuſum.

Per. Calyx immutatus, connivens.

Sem. ſolitarium magnum, grani tritici æmulum.

Semen capſulam refert, dehiſcere tamen nondum obſervavi, quod tamen ſuſpicor.

XII. *LIQUIDAMBAR.* Boerh. ind. II. 234.

Flores MARES in amentum longum, laxum, conicum digeſti.

Cal.

Cal. ſquama uniflora, magna, ſubrotunda, lacera, caduca; foliola quatuor brevia, ſubacuta, lacera, caduca, ſingulis capitulis.

Cor. nulla.

Stam. *Filamenta* plurima, vix numerabilia, parva, breviſſima, in globum ex apice pedunculi congeſta. *Antheræ* oblongæ, didymæ, quadrilateræ, biloculares.

FEMININI flores in globum denſius coagmentati.

Cal. *Involucrum commune* tetraphyllum, parvum, caducum, duplex, exterius & interius. *Perianthia propria*, invicem accreta, campanulata, angulata, permanentia, cum fructu augeſcentia & ligneſcentia; corpuſculis plurimis parvis per ambitum faſtigiata.

Cor. nulla.

Piſt. *Germen* inverſe conicum, perianthio accretum; *ſtyli* duo, longi, craſſi, patentes, interne pubeſcentes & canaliculati, permanentes, ligneſcentes; *ſtigmata* ſimplicia.

Per. *Capſula* tecta, lignea, ovata, unilocularis, bivaluis, apice dehiſcens.

Sem. plerumque bina, ovato reniformia, apice membraneo; corpuſcula plurima aceroſa; cui uſui?

XIII. *MEMÆCYLIUM.*

Cal. *Involucrum partiale* duplex, diphyllum, foliis ovatis, acutis, cavis, interius majus.

Perianthium quinquepartitum magnum, permanens, foliis lanceolatis, longitudine tubi corollæ.

Cor. monopetala, infundibuliformis, tubo longo, cylindrico, laciniis quinque expanſis, latis, acutis, planis.

Stam. *Filamenta* decem filiformia, corollæ accreta, longitudine tubi corollæ. *Antheræ* oblongæ, erectæ, acutæ.

Piſt. *Germen* parvum, villoſum, orbiculatum, intra receptaculum; *ſtylus* filiformis, longitudine ſtaminum; *ſtigma* parvum, rotundum.

Per. *Capſula* orbiculata, pentagona, depreſſa, (verrucoſa) quinquelocularis, quinquevalvis.

Sem. numeroſa, parva, rotunda; *receptaculum* magnum quinquepartitum.

Videant itaque alii, an ad Arbutum pertineat, quum facies adeo ſit aliena.

XIV. *PENSTEMON.*

Cal. *Perianthium* pentaphyllum, foliolis erecto-patulis, enſiformibus, permanens.

Cor. monopetala ringens, *tubus* calyce longior, anguſtus, cylindricus, ſuperius ventricoſus, inferius gibbus. *Labium ſuperius* erectum, bifidum, laciniis rotundis; *inferius* trifidum, pendulum, laciniis fere æqualibus, oblongis, obtuſis.

Filamentum longum, ſtyloides, tubo accretum, ſuperius villoſum, longitudine corollæ, cui uſui?

Stam. *Filamenta* quatuor, curvata, conniventia, quorum bina ſuperiora, breviora; *Antheræ* oblongæ, geminæ.

Piſt. *Germen* ovatum; *ſtylus* filiformis, rectus; *ſtigma* craſſiuſculum.

Per. *Capſula* ovata, ſuperius acuta, compreſſa, bilocularis, bivalvis; valvis bifariam rumpentibus.

Sem. plurima.

XV. *ME-*

XV. *MELILOBUS.*

Flores MASCULINI in amentum longum, cylindricum confertim congeſti.

Cal. *Perianthium* triphyllum, foliolis parvis, anguſtis, acutis, patulis.

Cor. *Petala* tria, patula, ſubrotunda, ſeſſilia, calycis foliolis longiora & alterna, niſi & hæc calycem interiorem malueris appellare.

Nectarium tubulatum, inferius turbinatum, cujus oræ ceteræ fructificationis partes accreſcunt.

Stam. plerumque ſex, ſubulata, corolla longiore; *Antheræ* oblongæ, compreſſæ, didymæ, incumbentes.

Flores HERMAPHRODITI in eodem amento cum maribus rari, plerumque terminatrices.

Cal. *Foliola* quatuor, plerumque ut in maſculis.

Cor. *Petala* quatuor, plerumque ut in maſculinis. *Nectarium*, ut in maribus.

Stam. plerumque octo, ut in maſculinis.

Piſt. *Germen* enſiforme, longitudine ſtaminum; *ſtylus* brevis, reflexus; *ſtigma* craſſum, longitudine ſtyli, ſupra ſtylum revolutum, ſuperius planum & pubeſcens.

Per. *Siliqua* longa, falcata (dorſo craſſiore, pulpa membranis incluſa fœto); acie contracta, ſemina in loculis membraneis ovatis gerente.

Sem. plura, duriſſima, ovato-reniformia.

Flores FEMININI in amentum longum, laxum conocylindricum, in diverſa arbore digeſti.

Cal. *Foliola* plerumque quinque, ut in maribus.

Cor. *Petala* quinque, longa, acuta, erecto-patentia.

Piſt. ut in hermaphroditis.

Per.

Per. ut in hermaphroditis.

Sem. ut in hermaphroditis.

Hæc itaque altera eſt a Muſa, quæ triplicis generis floribus gaudet.

Quos ſtatui, numeri frequentiores ſunt, licet valde inconſtantes, in omnibus partibus.

XVI. *MALACHODENDRON.*

Cal. duplex? *externus*, foliolum unicum ſeſſile, oblongum, brevius, permanens; *internus* quinque partitus, foliis ovato-acutis patentibus; permanens & reflexus.

Cor. *Petala* quinque, baſi leviſſime coalita, obverſe ovata, erecto-patentia, medio craſſiore villoſo.

Stam. *Filamenta* numeroſiſſima (centum fere) inferius in cylindrum coalita, longa, filiformia, corollæ baſi inſerta. *Antheræ* ſubrotundæ, tetragonæ, incumbentes.

Piſt. *Germen* conicum villoſum. *Styli* quinque filiformes, longitudine ſtaminum. *Stigmata* obtuſa.

Per. *Capſula* pentangula, quinquelocularis, quinquevalvis, valvis triangularibus, apice dehiſcens.

Sem. . . . . . . ſolitaria ſuſpicor, & triangularia, utrinque acuta, forma loculorum.

XVII. *MELOTHRIA.* Linn. gen. 937.

Flores MASCULINI in eadem planta cum hermaphroditis.

Cal. *Perianthium* monophyllum, campanulatum, tubo cylindrico, limbo quinquedentato patente.

Cor.

Cor. monopetala infundibuliformis, tubus longitudine calycis, calyci accretus & cum calyce decidens; limbus quinquepartitus, planus, laciniis obverſe cordatis, emarginatis.

Stam. *Filamenta* tria, breviſſima, craſſa, oræ tubi corollæ adnata. *Antheræ* oblongæ, didymæ, compreſſæ, incumbentes, invicem accretæ.

Flores HERMAPHRODITOS jam bene deſcripſiſſe videtur cl. LINNÆUS Coroll. gen. I. 937., niſi quod perianthium ante florem deciduum nondum obſervaverim, & corolla ipſi rotata, nobis potius infundibuliformis viſa ſit.

An itaque ad Bryoniam referenda? Ita ſuadet facies, diſſuadet ſexus cum fructu. Quasdam vidi plantas, haud tamen vegetas, hermaphroditos tantum flores gerentes.

XVIII. *MYRRHA.*

Cal. *Umbella univerſalis*, laxa, patens, radiis plerumque tribus, longiſſimis, inæqualibus; *partialis* patens, radiis duplo pluribus, longis, inæqualibus, augeſcentibus.

Involucrum univerſale nullum; partiale nullum.

Cor. univerſalis uniformis, propria, petalis quinque inflexo-cordatis, parvis.

Stam. *Filamenta* quinque exigua; *Antheræ* ſubrotundæ.

Piſt. *Germen* longum compreſſum, infra receptaculum. *Styli* bini erecti: *Stigmata* obtuſa.

Per. nullum; *fructus* oblongus, vix ſtriatus, bipartibilis.

Sem. duo, longa, ſtriata, utrinque æqualia, in apiculum deſinentia.

XIX. *ORCHIDION.*

Cal. (*Spatha* minima diphylla.)
Perianthium nullum; germen florem ſuſtinens.

Cor. *Petala* quinque, ovato-oblonga, acuta; tria exteriora, duo interiora, ferme æqualia, ſurſum conniventia in galeam.
Nectarium monophyllum intra diviſuram petalorum ortum, infundibuli forme, tubo brevi, bilabiatum; *labio inferiore* lato, concavo, revoluto, margine integro undulato; *labio ſuperiore* anguſto, craſſo, lineari, longitudine fere petalorum, cum illis reflexo, apice lato quadrifido.

Stam. *Filamenta* duo breviſſima, piſtillo inſidentia; *antheræ* ovatæ compreſſæ, duplicatura biloculari labii ſuperioris nectarii tectæ.

Piſt. *Germen* parvum, cylindricum, rectum, infra receptaculum. *Stylus* labio ſuperiori Nectarii adnatus, breviſſimus. *Stigma* magnum, membraneum, infundibuli forme.

Per. *Capſula* ovata, unilocularis, trivalvis, angulis dehiſcens.

Sem. numeroſa, aceroſa.

XX. *SPONDYLOCOCCOS.* vid. Catesb. Serp. 47. (Hiſt. T. II. 47.)

Cal. *Perianthium* parvum, campanulatum, quadridentatum.

Cor. monopetala campaniformis, quadrifida, tubo brevi, laciniis ſubrotundis, patentibus.

Stam. *Filamenta* quatuor; corolla duplo longiora, erecta. *Antheræ* oblongæ, aſſurgentes, incumbentes.

Piſt. *Germen* exiguum globoſum. *Stylus* filiformis longitudine ſtaminum. *Stigma* craſſiuſculum obtuſum.

Per.

Per. *Bacca* globoſa, mollis, ſine diſſepimentis, quadrilocularis.

Sem. quatuor oblonga, calloſa, meniſciformia.

Ad Ixoram Linn. gen. 73. accedere videtur, an genere idem?

XXI. *SYMPHORANTHUS.*

Cal. *Perianthium* monophyllum, tubulatum, compreſſum, quadrifidum, laciniis erecto-patentibus, ovato-acutis, permanens.

Cor. monopetala rotata, calyce duplo brevior; tubus nullus; laciniæ quatuor, cordatæ, erecto-patentes.

Stam. *Filamenta* quatuor ad diviſuras corollæ, brevia. *Antheræ* parvæ.

Piſt. *Germen* oblongum, compreſſum, didymum, calyce accreto tectum, infra receptaculum. *Stylus* breviſſimus. *Stigma* craſſum, quadripartitum.

Per. *Capſula* tecta, oblonga, compreſſa, bilocularis, bivalvis, valvis diſſepimento contrariis.

Sem. numeroſa, exigua.

XXII. *TRILOPUS.*

Cal. *Involucrum* triphyllum, parvum (tres flores includens).

Perianthium duplex; *exterius* minus, bifolium, ſubrotundum; *interius* majus, quadrifolium, campanulatum, foliolis ovatis, obtuſis, recurvis, baſi latis amplexis; permanens.

Cor. roſacea, tetrapetala, petalis longiſſimis, linearibus, obtuſis, reflexis.

Nectaria quatuor, petaloidea, petalorum baſi adnata, brevia, longitudine ſtaminum.

Stam. *Corpuſcula* quatuor, inter petala orta, craſſa, brevia, gibba. *Antheræ* geminæ, cornutæ.

Piſt. *Germen* parvum, conicum, didymum. *Styli* duo, breviſſimi. *Stigmata* ſimplicia.

Per. *Nux* ſubrotunda, bilocularis, bivalvis, putamine triplici; exteriore coriaceo, dimidiato; medio conſimili, integro; interiore corneo, duro.

Sem. duo, ſingulis loculis ſingula, ovata, acuta, oblonga, duriſſima, ſplendida.

XXIII. *TRIXIS.*

Cal. *Foliola* tria, ovata, acuta, erecto-patula.

Cor. nulla.

Stam. *Filamenta* tria, longitudine calycis. *Antheræ* oblongæ, acutæ, didymæ.

Piſt. *Germen* magnum, triquetrum, infra receptaculum. *Styli* tres, patentes, pubeſcentes, ſtaminibus alterni & breviores. *Stigmata* ſimplicia.

Per. nullum.

Sem. unicum, perfecte triquetrum, coronatum, oſſeum.

XXIV. *VITICELLA.*

Cal. *Perianthium* decaphyllum, foliolis alternis, externis brevioribus, lanceolatis, reflexis; internis longioribus, lanceolatis, acutis, erectis.

Cor. monopetala hypocrateriformis; tubus cylindricus calyce fermebrevior; limbus planus, quinquefidus, laciniis obtuſis.

Stam.

Stam. *Filamenta* quinque parva, brevia, corollæ adnata. *Antheræ* ſubrotundæ, in collo corollæ conniventes.

Piſt. *Germen* ovatum, villoſum. *Stylus* filiformis, ſemibifidus, longitudine ſtaminum. *Stigmata* ſubrotunda.

Per. *Capſula* ovata, unilocularis, bivalvis, (membranacea, colorata) vi elaſtica prædita.

Sem. duo, magna, plano-convexa, ovata, dura, calloſa; quaſi unicum, bilobum.

XV. *APHYLLON.* Dentariæ affin. Fl. Virgin. 70.

Cal. *Perianthium* monophyllum, ſemiquinquefidum, erectum, laciniis lineari-acutis, perſiſtens.

Cor. monopetala ringenti ſimilis, calyce duplo longior, incurva, tubuloſa, ſemiquinquefida, tubo ventricoſo, collo arctato, fauce ampliata; laciniis obtuſis fere æqualibus.

Stam. *Filamenta* quatuor, fili formia, collo corollæ adnata, bina ſuperiora breviora. *Antheræ* ſubrotundæ, bifidæ, incumbentes.

Piſt. *Germen* magnum, ovatum. *Stylus* filiformis, arcuatus. *Stigma* bifidum, oblongum.

Per. *Capſula* ovato-oblonga, bivalvis, calice longior; receptaculis ſeminum quaternis, longitudinaliter adnatis.

Sem. numeroſiſſima, minutiſſima, aceroſa.

XXVI. *PANACEA.* Araliaſtrum, Vaillant. Serm. Academ.

Flores MASCULINI.

Cal. *Umbella* ſimplex, globoſa, radiis plurimis, brevibus, æqualibus (coloratis.)

Involucrum univerſale, erecto-patens; foliolis lanceolatis, ſeſſilibus, numero radiorum externorum; *partiale* nullum. *Perianthium* proprium (an Nectarium?) tubulatum, turbinatum, craſſiuſculum, coloratum, margine æquali.

Cor. Pentapetala, petalis oblongis, anguſtis, obtuſis, perianthio inſidentibus, reflexis.

Stam. *Filamenta* quinque filiformia, petalis alterna, iisque longiora, perianthio inſidentia.

Flores FEMININI, vel HERMAPHRODITI, in diverſa planta.

Cal. *Umbella*, ut in maribus, minor hemiſphærica.
Involucrum, ut in maſculinis.
Perianthium, ut in maſculinis.

Cor. ut in maſculinis.

Stam. *Filamenta* quædam valde caduca.

Piſt. *Germen* majuſculum, trigonum, infra receptaculum. *Styli* duo erecti. *Stigmata* ſimplicia.

Per. *Bacca* cordata, umbilicata, bilocularis.

Sem. duo, cordato-acuta, convexo-plana.

Quæ mira fructificatio! vera umbellifera ſexu diſtincta!

XXVII. *CHAMÆDAPHNE.* Loniceræ ſpecies Gronov.

Cal. *Perianthia* minima, erecta, quadridentata, bina, disjuncta, eidem germini inſidentia.

Cor. monopetala, infundibuli formis, tubus longus, anguſtus, limbus quadripartitus, expanſus; laciniis acutis (villoſis.)

Stam. *Filamenta* quatuor, filiformia, erecta, ex laciniarum corollæ interſtitiis nata. *Antheræ* oblongæ, acutæ.

Piſt.

Piſt. *Germen* magnum, orbiculatum, didymum, infra receptaculum. *Stylus* filiformis, bifidus, longitudine corollæ. *Stigma* magnum, quadrifidum, patens.

Per. *Bacca* mollis, globoſa, bipartita, duobus disjunctis umbilicis coronata.

Sem. in ſingulis loculis quatuor, rotunda, compreſſa, calloſa.

Hinc itaque a Lonicera Linn. facile diſtinguenda; quid itaque obſtat, quo minus ſeparentur?

XXVIII. *ACNIDE.*

MAS.

Cal. *Perianthium* pentaphyllum, foliolis ovatis, cavis, erectis, acutis, marginibus membranaceis.

Cor. nulla.

Stam. *Filamenta* quinque, capillaria, breviſſima. *Antheræ* magnæ, lanceolatæ, profunde utrinque bifidæ, verſatiles, undique compreſſæ, biloculares.

FEMININI flores in diverſa planta.

Cal. *Involucrum* polyphyllum, lineare, deciduum. *Perianthium proprium* ſimile, minimum, diphyllum, perſiſtens, liberum.

Cor. nulla.

Piſt. *Germen* ovatum. *Styli* quinque, longi, reflexi, pubeſcentes. *Stigmata* ſimplicia.

Per. nullum, præter folliculum craſſum, ſucculentum, a ſemine liberum. *Fructus* ovatus, compreſſus, multangulus, ſulcatus.

Sem. ſolitarium, rotundum, compreſſum.

Ab Urtica itaque ſat diverſa; neque Cannabi convenit.

XXIX. *ANGIOPTERIS.*

Fructificationes in ſpicam propriam digeſtæ.

Capſulæ ſingulis pedunculis ſingulæ, magnæ, globoſæ, uniloculares, quinquevalves, valvis lanceolatis, acutis, angulis dehiſcentes.

Semina numeroſiſſima, parva, ſcobiformia, longa, villoſa.

Receptaculum ſeminum columnare ad baſin ſingulæ valvulæ ſingulum, erectum.

Hæc nudis oculis adparent; Annon itaque ab Oſmunda ſat diverſum genere?

XXX. Fragmentum, ſeu genus nondum rite obſervatum

HELIX.

MAS.

Perianthium, corollam & ſtamina gerit, Hederæ Linn. & Tournef. ſimillima.

FEMINA.

Flores nondum vidi.

Fructus, capſula ſicca, utrinque turbinata, bilocularis, ſeminibus plurimis referta.

Facies tota Hederæ; floribus ſimiliter corymboſis.

Cetera poſt examen magis abſolutum, DEO volente, forte exhibebo.

Dabam ex ædibus meis,
Virginiæ 17 1/1 41.

MEMO-





IOANNES GVILIELMVS WIDMANNVS. D.
S.R.I. Nobilis. Sac. Cæs. Mai. Conſil. et Archiater.
Comes Palat. Acad. Imperial. Nat. Curioſ. Director.
Reipubl. Norimb. Phys. Ord. Senior.

Natus 1690. d. 2. Febr.
Denat. 1743. d. 16. Iun.

P. Decker ad viv. del. *J. W. Windter ſc. 1735 Norimb.*

MEMORIA
VIRI
ILLUSTRIS MAGNIFICI & EXCELLENTISSIMI
DOMINI
JOANN. GUILIELMI WIDMANNI
MEDICINÆ DOCTORIS

SACRÆ CÆSAREÆ MAIESTATIS CONSILIARII & ARCHIATRI

SACRI PALATII LATERANENSIS AULÆ CÆSAREÆ

ET

CONSISTORII IMPERIALIS COMITIS

S. R. I. NOBILIS

ACADEMIÆ CÆSAREÆ LEOPOLDINO-CAROLINÆ NATURÆ CURIOSORUM

DIRECTORIS
REIPUBLICÆ NORIMBERGENSIS

PHYSICI ORDINARII SENIORIS.

Virorum de re publica bene meritorum memoriam conſervare qui ſtudent, id ipſum præſtant, vel ut meritis eorum debitam grati animi officium exſolvant, vel ut poſteris dignum imitationis exemplum proponant.

Utrumque argumentum eſt objectum hiſtoriæ laudabiliter geſtæ at præmature finitæ vitæ Viri eruditionis ſplendore & meritorum dignitate illuſtris, ſingularique in medendo peritia & dexteritate celeberrimi, Domini Doctoris *Jo. Guilielmi* WIDMANNI, *Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Conſiliarii & Archiatri, Sacri Palatii Lateranenſis, Aulæ Cæſareæ & Conſiſtorii Imperialis Comitis, S. R. I. Nobilis, Academiæ Cæſareæ Leopoldino-Carolinæ Naturæ Curioſorum Directoris, Reipublicæ Norimbergenſis Phyſici Ordinarii Senioris*, quam hocce monumento poſteritati commendamus.

Naſcendi auſpicia Noſter habuit Norimbergæ, IV. Nonar. Februar., Anno a ſalute generis humani reſtaurata ſupra milleſimum ſexcenteſimumque nonageſimo; prognatus parentibus honeſtis & virtutum decore conſpicuis: *Patre* nimirum *Viro Plurimum Reverendo atque de eccleſia Chriſti optime merito, Georgio Stephano WIDMANNO, in templo Xenodochiano ad Spirit. S. Diacono Seniore*, qui, poſtquam annis plusquam quinquaginta ſancto ſuo munere cum fide functus fuerat, ſuique Sacerdotii jubilæum celebraverat, ætate maxime provectus in beatorum coetum translocatus eſt; *Matre Anna Barbara*, ortu BUHELIA, proba & frugi femina, ceterisque ſui ſexus ornamentis prædita. *Avus Paternus* ipſi fuit *Georgius* WIDMANNUS, Gymnaſii Ægidiani, quod Norimbergæ floret, Conrector graviſſimus, Vir quondam ad formanda perpoliendaque adoleſcentum ingenia eximiis plane dotibus inſtructus; *Avia Paterna*, *Maria*, ex honeſta MOHRIORUM Svobacenſium ſtirpe progenita. *Avus Maternus* fuit *Guolfgangus Guilielmus* BUHEL, in ante nominato Gymnaſio Ægidiano Collega & Præceptor fideliſſimus; *Avia Materna*, *Anna Barbara*, ortu SCHWABIA.

Simulac

Simulac vero lucem hanc aſpexerat WIDMANNUS noſter, prima piorum parentum cura fuit, ut filius dilectiſſimus ſacro baptiſmatis fonte initiaretur atque cœleſtis hæreditatis pignus acciperet. Jactis ſic præcipuis felicitatis humanæ fundamentis, nihil eorum prætermittebatur, quæ ad tenelli ac debilis corpuſculi curam pertinebant. Prioribus enim a nativitate annis tam crebris puerulus infeſtabatur valetudinis adverſæ periculis, ut parentes de durabili ejus vita ſæpius deſperantes in ſummam adducerentur ſollicitudinem. Hiſce autem corporis infirmitatibus Dei beneficio feliciter ſuperatis, animique dotibus indies cum ætate accreſcentibus, Pater optimus, memor præcepti Apoſtolici: quod *Epiſcopus debeat eſſe ſuæ domui bene præpoſitus, filiosque habere ſubditos cum omni honeſtate*, quicquid a ſancti muneris negotiis ipſi relinquebatur otii, in hoc unico fere conſumebat, ut filium, in familiæ ſuæ ornamentum natum, veræ religionis principiis bonorumque morum & litterarum præceptis mature imbueret. Solertiſſima igitur chari Parentis inſtitutione WIDMANNUS noſter eruditus, atque in Divini Numinis reverentia probe educatus, evitatis vitiorum laqueis, ſpretisque perverſi ſæculi irritamentis, acriter in virtutum ſtudiorumque tramite perrexit, donec altioribus doctrinis percipiendis judicaretur idoneus.

Poſtquam enim in elegantiorum litterarum, Hiſtoriæ univerſalis, artis Oratoriæ ac Poeticæ, nec non in Philoſophiæ Rationalis atque Moralis diſciplinis laudabiles domi profectus fecerat, in Auditorium civitatis publicum introductus, virorum eximiorum atque vel ſolis nominibus ſuis abunde clarorum, MUHLDORFII, WULFERI, ESCHENBACHII & DOPPELMEYERI doctis recitationibus aſſiduus interfuit, ſingulorumque benevolentiam, ob facilem ſequacis ingenii cultum, immenſumque diſcendi ardorem, ſibi conciliavit. Inter hæc etiam ſuaviſſima manuductione Viri in omnibus ſcientiæ mathematicæ partibus verſatiſſimi, M. *Joannis Henrici* MULLERI, tunc Norimbergæ commorati, poſtea vero

in Academia Altorfina Publici Phyſices & Matheſeos Profeſſoris provinciam nacti, privatim magno cum emolumento fruebatur.

Anno ætatis decimo octavo celebre Altorfinum Muſarum domicilium adiit, ibidemque primum ſtudiorum ſuorum amplificatorem nactus eſt *Joannem Guilielmum* BAIERUM, qui eo tempore ſolida naturalium mathematicarumque rerum interpretatione clarebat, deinceps vero in cathedram theologicam, pro merito ſuo evectus eſt. Tam egregiis itaque doctrinarum ſubſidiis præmunitus Noſter, quum jam a pueritia miro quodam in artis ſalutaris ſtudium inſtinctu traheretur, impetrato nunc libero ad Hygeæ ſacrarium aditu, totum ſeſe ejus cultui conſecravit. Quo conſilio Illuſtres in Ordine Medicorum Profeſſores decenti reverentia ſalutavit, ab iisdemque viciſſim perhumaniter exceptus cultusque fuit. Generalia autem medicinæ principia, quæ *Inſtitutiones* communiter appellantur, addidicit doctore Viro πολυμαθεςάτῳ, *Joanne Jacobo* BAIERO, cui etiam, haud ita multo poſt, rerum pharmacevticarum regulas exponenti, ſolidamque materiæ medicæ notitiam tradenti ſedulus auditor adfuit. Diligentem quoque navavit operam *Joanni Mauricio* HOFFMANNO & *Jacobo Pancratio* BRUNONI, magnis tunc illius academiæ luminibus, quorum alter diſſecandorum cadaverum encheireſes præmonſtrabat artisque chemicæ myſteria explicabat, alter vero frequenti examine diſputandique exercitio diſcipulorum profectus experiebatur. Privata autem inſtitutione viri incomparabilis, *Joannis Laurentii* HEISTERI, *nunc Academiam Helmeſtadienſem illuſtrantis*, in ſingularum fere medicinæ partium ſtudio ulterius confirmabatur, atque præſertim chirurgiæ rationalis dogmata avidis arripiebat auribus.

Optimis autem WIDMANNI rebus accidebat, ut antea laudatus *Jo. Jac.* BAIERUS, amplificandi ſtudii naturalis gratia, curioſum iter inſtituens, eundem ſibi comitem eligeret, utpote cujus decoram vitæ rationem, juvenilis ingenii alacritatem, miramque

in perſcrutandis tribus naturæ regnis induſtriam optime habebat cognitam. Tempore igitur feriarum, ſive vacationis academicæ, anno MDCCIX. in ſocietate Viri hujus humaniſſimi Altorfio profectus, peragratis Epiſcopatus Aichſtadienſis limitibus, Ingolſtadienſem Muſarum ſedem adiit; inde Monachium Bavarorum, Auguſtam Vindelicorum aliaſque viſu dignas iſtius tractus urbes inviſit; hinc in Comitatum Tirolenſem ingreſſus, Halamque ſale factitio celebrem contemplatus ad Oenipontanas Muſas perrexit. Relictis autem Tirolis finibus, directo per Salisburgum, Braunodunum, Paſſavium, Straubingam atque Ratisbonam, itinere, domum revertit.

Supervacaneum foret enumerare ſigillatim, quam inſignes ex hoc itinere Noſter reportaverit utilitates, quum certiſſimum ſit, illum tam propria inveſtigatione, quam familiari ducis ſui inſtitutione, non ſolum permultum in naturæ ſtudio profeciſſe, ſed etiam omnis honoris atque liberalitatis, quibuſcum BAIERUS ubique apud Proceres atque viros eruditos excipi ſolebat, factum fuiſſe participem. Quemadmodum vero aſſiduo cultu tantam Noſter ſibi comparaverat hujus Præceptoris amicitiam, ut affectus plane paternus pietaſque filium decens inter ipſos intercedere videretur; ita etiam per totum vitæ ſuæ decurſum, ſeſe Bajerianæ fidei quamplurimum debere, animo & ore prædicavit.

Ut autem in publico quoque pollentis ingenii vires experiretur WIDMANNUS, non ſolum perfrequenter in diſputationibus, quas vocant, circularibus, publicis & inauguralibus munere oppugnantis ſibi delato ſtrenue perfunctus eſt, ſed etiam ſub laudatiſſimi J. M. HOFFMANNI præſidio theſes anatomico-pathologicas de *Pericardio* ad diſceptandum propoſitas cum laude defendit. Anno MDCCXI., Præſide J. J. BAIERO, *Adagiorum medicinalium, doctrina promiſcua diſcurſibus illuſtratorum Syllogen primam* tuendam ſuſcepit; & eodem anno, moderante Illuſtri HEISTERO, *Specimen primum* diſſertationis *de cataracta in lente cryſtallina*,

 id

id quod elegans ſcriptum multis poſthac anſam dedit eruditorum controverſiis, fortiter & cum applauſu ab inficiantium oppoſitionibus vindicavit.

Inter hæc magis magiſque appropinquabat fauſtum illud temporis momentum, quo indefeſſus WIDMANNI noſtri labor honoribus, præmiis atque ſplendore decorandus erat. Poſtquam igitur in conſtitutis candidatorum examinibus doctoribus ſuis ſeſe abunde probaverat, atque diſſertationem inauguralem *de Tonſillis*, proprio Marte elaboratam, communi omnium applauſu ſine præſide propugnaverat, anno hujus ſeculi duodecimo, in ſolenni Academiæ panegyri Petro-Paulina, doctorali laurea coronatus fuit.

Impetrata autem Doctoris Medici dignitate nondum acquieſcebat inſatiabilis WIDMANNI doctrinæ cupiditas. Illectus enim nobiliſſima perluſtrandarum regionum magis diſſitarum deſiderio, pridie Iduum Auguſti ejusdem anni, chariſſimis parentibus, patronis atque amicis vale dicto, Norimberga profectus, celebre illud Germaniæ emporium, Francofurtum ad Mœnum, petiit, ſpectatiſque omnibus in ea urbe notatu dignis, Moguntiam progreſſus eſt, ubi præter ea, quæ ad Academiæ ſplendorem pertinent, Electoralis aulæ magnificentiam, ingentia urbis munimenta nonnullorumque cœnobiorum bibliothecas, propius inſpexit, nec non vicinas etiam Acidulas Svvalbacenſes Thermasque Wisbadenſes & Serpentinas viſitavit, atque hac occaſione in plurium clarorum Medicorum pervenit notitiam, quibuſcum poſthæc frequentia habuit epiſtolarum commercia. Hinc ad finitimas ſtudiorum Univerſitates, Gieſſenſem nempe ac Marpurgenſem, excurrens, præſtantiſſimos in iisdem Doctores ſalutavit, atque, inter hos imprimis coluit VALENTINUM & LIEBKNECHTUM, alterum acutiſſimum naturæ indagatorem & technophyſiotamei locupletiſſimi poſſeſſorem; alterum vero inſignem mathematicum, atque phyſices experimentalis amplificatorem. Nondum autem in amœniſſimo virorum conſortio animum oculoſque ſatiaverat Noſter, quum ipſum

ipſum inſtituti ſui ratio de reflectendo itinere admoneret. Quapropter, curſu per Hanoviam, Fridbergam, Wetzlariam, Heidelbergam, Durlacum, Raſtadiumque directo, ad Argentinenſes Muſas properavit.

Quamprimum igitur celebrem hancce bonarum artium palæſtram, ob anatomes & chirurgiæ ſtudium præprimis undique frequentatam, acceſſerat, hoc unicum curæ habebat, ut aquiſitam Altorfii ſcientiam anatomicam novis augeret profectibus, operationumque chirurgicarum praxin exerceret, quarum nonniſi theoriam antehac perceperat. Quem in finem quotidie frequentabat theatrum anatomicum & noſodochium civitatis publicum, quibus tunc præpoſiti erant celebratiſſimi Profeſſores, SCHEIDIUS, Medicorum Ordinis Senior, & SALZMANNUS, anatomicus oculatiſſimus dexterrimuſque. Præter hæc etiam ſæpiſſime verſabatur in valetudinario militari Regio, & quæcunque in morborum variorum curationibus, ſive iſtæ per internam medicationem, ſive per operationem manualem inſtituerentur, nova animadvertebat, vel imitatione digna diligenter annotabat.

Octo jam menſes in hacce Academia multo cum fructu transegerat Noſter, quum ſibi proponeret, interiores quoque Galliæ provincias perluſtrare. Nactus itaque facilem parentis conſenſum exoptatiſſimamque perficiendi itineris commoditatem, XVI. Calend. Junii anno MDCCXIII., in comitatu Generoſiſſimæ Dominæ de RATHSAMSHAUSEN, *Sereniſſimæ Principis atque Ducis Aurelianenſis Matronæ Aulicæ,* Lutetiam migrabat. Breviſſimum ipſis iter patebat per Lotharingiam; ideoque aulam Ducalem Lunævillenſem inviſebant. Silvis autem iſto tempore frequentibus latrociniis infeſtioribus redditis, ex gratioſiſſima Ducis voluntate cuſtodum corporis cohorte ſtipabantur, atque ita per impeditiſſima loca ſecuri penetrabant & incolumes. Subſiſtebant autem dies aliquot Remis, perantiqua & nobiliſſima Campaniæ urbe, in qua ex inſtituto veteri Reges Franciæ inaugurari ſolent, ibique multa-

rum

rum rerum admiratione dignarum contemplatione mentem recreabant.

Ipſam autem Galliæ metropolim perveniens WIDMANNUS, gratioſæ modo dictæ Matronæ commendatione adjutus multas perſonas principes & ſummo loco natas vidit, atque ad nonnullos aulæ proceres aditum obtinuit. Perſpectis etiam omnibus, quæ ad urbis vaſtiſſimæ ſplendorem attinent, ad circumjecta loca ſeſe contulit, atque præſertim perinſignia iſta Palatia ad Regum Principumque oblectationem & jucunditatem exſtructa, Verſalias nimirum, Trianonem, Meudonum, Marliam, Fontem bellaqueum, Fanum ſancti Germani, ubi tunc Regina Angliæ, Vidua infeliciſſimi Regis, JACOBI II., *Conjux*, ſuam habebat ſedem, adjectos item ſingulis hiſce ædificiis elegantiſſimos hortos, excellentioris inventi immenſique operis aquæductus, aliaque artis & naturæ miranda ſumma admiratione contemplatus eſt. In templo Abbatiæ Sancti Dionyſii, duobus milliaribus ab urbe diſſitæ, ad defunctorum Regum Mauſolea acceſſit, ibidemque etiam ornatum atque inſignia regalia, Sanctorum reliquias, inæſtimabilemque piarum largitionum theſaurum attentis intuitus eſt oculis. Itemque in propinquo ſpectare ipſi concedebatur epulas ſplendide ac opipare ornatas, quibus Elector Bavariæ, eo tempore in Gallia degens, utriuſque ſexus perſonas Principes & Regio ſanguine natas accipiebat.

Tantum autem aberat, ut novis hiſce ſpectaculis a propoſito ſuo avelleretur WIDMANNUS noſter, ut potius, acquiſita jam expeditiori ſermonis Gallici facundia, in virorum eruditione illuſtrium notitiam atque exiſtimationem pervenire continuo ſtudio allaboraret. Sufficiat nobis in præſentia e permultis, qui eum ſuo favore dignum judicarunt, excellentiſſimum Anatomicum *du* VERNOI, chymicorumque ſuæ nationis principem, LEMERY, nominaſſe. Illum quidem rarius audiebat docentem, utpote qui ſenectutis infirmitate preſſus ſæpius cogebatur alium doctorem in ſuum locum ſubſtituere; hoc autem præeunte integrum chemiæ curſum

abſol-

abſolvebat. In duobus ampliſſimis opulentiſſimiſque urbis Noſocomiis, quorum alterum *Hotel-Dieu*, alterum *la Charité* appellatur, ſpeculatorem agebat ſolertiſſimum, quoties ipſi licebat præſtantium atque celebrium chirurgorum functionibus intereſſe. Vulnerum apte & artificioſe deligandorum methodum ex inſtituto, quod ajunt, addiſcebat, neque ſibi dedecori judicabat, chirurgo inter peragendas arduas operationes ipſe miniſtras porrigere manus. Omnia autem in ſuam converſurus utilitatem, indefeſſus quoque erat in frequentandis prælectionibus & demonſtrationibus publicis, quibus in horto Regio, omnium plantarum generum abundantiſſimo, diſtincta eorum notitia traditur. Atque ita ipſi inter perpetuas occupationum ſeriarum & relaxationum animi viciſſitudines Pariſiis degenti, optato citius effluebat præſcriptus huic commorationi terminus.

Quoniam vero plures adhuc terras artibus ſcientiisque florentes perluſtrare cupiverat, in virorum honeſtorum conſortium receptus, Lutetia relicta, ad Belgas Hiſpanicos profectus eſt, directo Bruxellas itinere; quapropter in tranſitu ipſi Silvanectum, Compendium, Cameracum & Valentianas inviſere licuit. Inde Mechlinium & Antverpiam progreſſus, occaſionisque opportunitate allectus, tranſitum facere in Angliam decrevit, ac ſtatim, inito conſilio, navem petiit onerariam, quæ eodem die, vento apparente ſecundo, velis committebatur. Vix autem portum reliquerant navigantes, quum e longinquo duas conſpiciebant phocas, quarum aſpectu nautæ, terrore perculſi, procellam proxime impendere aſſeverabant, quæ etiam, elapſis paucis horis, violentiſſimis furioſiſſimiſque motibus irruebat, & per totam noctem diemque ſequentem nil quicquam remittens continuabatur. Inter hæc imminentis naufragii pericula, navis ventorum arbitrio tradita, divina providentia dirigente, ad littora Zelandiæ, Middelburgum verſus, impellebatur, ubi tandem poſt agitationes vehementiſſimas, anchora

jacta, tutius poterat hærere. Reſtituta autem altero die maris tranquillitate, nauclerus viam flectebat Roterodamum, quæ tamen navigatio propter inſolitam aëris requiem lenta admodum & operoſa reddebatur, ſiquidem navem ad ripas adpropinquantem funibus trahi oportebat. Tam injucundi itineris pertæſus WIDMANNUS, atque nunc quidem concepta in Angliam tranſeundi ſpe fruſtratus, quamprimum ipſi poſſibile erat, e navi exſcendebat, & cum quodam navigationis interruptæ ſocio, natione Batavo, iſtarumque regionum experto, terreſtri itinere Roterodamum progrediebatur, expectaturus ibi, dum ſarcinas in navi relictas acciperet. Lauta hujus urbis ampliſſimæ elegantia, rerumque ſpectatu dignarum copia animum illius amœnis occupationibus exercebat tantopere, ut iisdem exantlata ſibi itineris incommoda ſatis compenſata exiſtimaret.

Roterodamo Lugdunum Batavorum devectus, inter illuſtres ejus academiæ Profeſſores primum omnium reverenter coluit BOERHAAVIUM alterum orbis eruditi Hippocratem, a quo non ſolum perhumaniter acceptus & ad audiendas prælectiones, ad ductum ipſius *Aphoriſmorum de cognoſcendis & curandis morbis* inſtitutas, admiſſus, ſed etiam in laboratorium chemicum introductus fuit, ubi quotidie ſelectioribus artis ſpagyricæ productis, aureiſque tanti magiſtri ſermonibus animum mirifice delectavit. Neque non inſignem percepit fructum ex inſtitutione atque conſuetudine RAVII, Profeſſoris Anatomes & Lithotomi ſuo ævo celebratiſſimi. Huic enim in diſſecandis cadaveribus occupato diligenter adſtitit, eundemque, methodo recens ab ipſo exculta, calculum humanum, inſignis magnitudinis, per veſicæ ſectionem mira promtitudine & dexteritate vidit extrahere.

Otium academicum in perveſtigationem bibliothecarum, muſeorum, rariorum naturalium atque artificialium hortorumque

bota-

botanicorum impendere ſolebat, quapropter factis ad propinquas urbes, Amſtelodamum, Hagam-Comitis, Delphos, atque Ultrajectum excurſionibus, ubique maximos Muſarum patronos, alioſque viros eruditionis famam adeptos, conveniebat. Inprimis ſeſe inſinuabat in favorem magni illius RUYSCHII, ſcriptis ſuis & inventis per orbem celebrati atque SEBÆ, præclari Amſtelodamenſium Pharmacopœi, cujus ditiſſimum rerum naturalium gazophylacium communem famam longe exſuperare deprehendebat.

Elapſis autem octo menſibus, ex quo Lugdunum Batavorum venerat Noſter, iterata accipiebat Parentis monita, ut reditum in patriam pararet. Morem itaque gerens paternæ voluntati, jucundum reliquit hoſpitium, & via in Weſtphaliam ducente, peragratis agris Paderbornenſibus & Oſnabrugenſibus, Hanoveram ſeſe contulit, aulæ Electoralis pompam cultumque obſervaturus. Hinc abiens progreſſus eſt ad loca Hercyniæ inferioris metallorum variorumque mineralium fodinis celebria, Goſlariam, Clausthalium & Zellerfeldam; utque ſibi clariorem acquireret metallifodinarum notitiam, in monte Ramelio ipſe in ſpecum ſubterraneam ſtupendæ altitudinis ſe demiſit. Ceterum in arce Salzethalenſi non tam incredibilem pretioſarum picturarum numerum, quam exquiſitam plurimarum perfectionem cum voluptate contemplatus eſt. Inde Guelferbytum adveniens bibliothecam Auguſtam perluſtravit ſtudioſiſſime; Helmſtadii vero litteras commendatitias tradidit SCHMIDIO, Theologo pariter atque Philoſopho, dum viveret, eximio, ab eodemque multo honore mactatus fuit. Helmſtadio relicto Magdeburgum petiit, atque hinc Berolinum pervenit, ubi aliquot ſeptimanas permanens benevola commendatione Generoſiſſimi Domini de GUNDELSHEIM, *Conſiliarii intimi & Archiatri Regii*, non modo aulæ ſplendorem, ſed & alia quæcunque notatu digna, ab omni negotio vacuus, quam commodiſſime potuit

tuit inſpicere. Quumque ipſi ad laudatum Regis Archiatrum liber quotidie pateret acceſſus, brevi tempore ſibi ita conciliavit hujus Mæcenatis exiſtimationem, ut idem ultro ipſi honorificum quoddam fructuoſumque medici provincialis officium obtulerit, id quod Noſter lubens lætuſque ſuſcepiſſet, niſi contrariam habuiſſet parentum voluntatem, utpote qui ardenti flagrabant deſiderio, filium amplectendi moribus & eruditione perfectum, cujus dulciſſimo aſpectu ſuaviſſimoque conſortio jam per biennium carebant. Berolino igitur abiens Vitembergam petiit, atque in hac percelebri univerſitate duorum maxime illuſtrium Medicinæ Profeſſorum, BERGERI videlicet ac VATERI, ſingularem expertus eſt humanitatem. Spectatis dein rebus in ſede Regia & Electorali Dreſdenſi memoratu dignis, quarum ineffabilem prorſus reperiebat numerum, reliquas iſtius cardinis Academias, Halam nempe, Lipſiam & Jenam inviſit, uniuscujuſque earum Profeſſores laude conſpicuos interque præcipua Germaniæ noſtræ ornamenta referendos, HOFFMANNUM, THOMASIUM, GUNDLINGIUM, BOHNIUM, RIVINUM, ETTMULLERUM, WEDELIUM alioſque non mediocris famæ viros ivit ſalutatum, cunctiſque ſeſe modeſtiæ, comitatis atque eruditionis nomine maxime probavit.

Redux tandem in patriam factus, omnem non ſolum parentum & fautorum ſpem atque expectationem ſuperabat, ſed & brevi tempore optimi cujuſcunque animum oculosque in ſe convertebat. Verum ut ſæpe maximam felicitatem excipit calamitas, ita paucis poſt optatiſſimum adventum diebus WIDMANNUS noſter febri ardente correptus in ſummum adigebatur vitæ periculum. Quoniam autem hujus morbi violentia tam veloci greſſu incedebat, ut jam altera morbi die continuæ mentis aberrationes accederent, ideo ſine mora parentes afflictiſſimi in auxilium vocabant Virum quondam in uſu medendi confirmatiſſimum, D. LOCHNERUM, cujus opera, DEO ſecundante, aliquomodo levabatur atrocioris mali impetus,

& licet

& licet diu perſiſterent dubia eventus indicia, morbus nihilominus cedebat efficaciæ remediorum, atque ægrotus mortis quaſi faucibus ereptus, uno menſe elapſo ſanitatem & vigorem priſtinum recuperabat, ſummo non ſolum parentum gaudio, ſed & certo omine, divinam providentiam tam egregium medicum in reipublicæ utilitatem multorumque languentium ſolamen reſervaturam fuiſſe.

Quamprimum igitur ipſi per ſanitatem licebat in publicum rurſus prodire, a Perilluſtribus Reipublicæ Magiſtratibus decenti ratione petiit, ut ſibi in Inclyto Medicorum Collegio locus concederetur, hujuſque petiti compos factus, Decano b. *Jo. Georg.* VOLKAMERO, in tam honorificam Societatem, corcordi omnium membrorum ſuffragio, adoptatus fuit. Duplam nunc Patriæ inſerviendi occaſionem nactus erat, poſtquam non modo ad praxin clinicam, ſed & ad inſtituendos anatomes & chirurgiæ cultores ſe accinxerat. Eundem vero in docendo non minorem, ac in medendo, monſtraſſe prudentiam & dexteritatem, exinde ſatis patet, quod, quum primum in theatro urbis anatomico cadaver femininum diſſecaret, ſingulorumque humani corporis organorum fabricam, nexum, & utilitatem, intermixtis de lethalitate vulnerum diſſertationibus, exponeret, auditores habuerit ſplendidiſſimos civitatis Proceres omniumque ordinum eruditos quamplurimos, atque ex ſpeciali Perilluſtris Senatus Munificentia, in teſtimonium gratioſi applauſus, numiſmate aureo fuerit donatus.

Luculentiori adhuc argumento accedit, quod, vacuefacto paullo poſt in Univerſitate Altorfina Profeſſoris Medici munere, prudentiſſimi Patriæ Patres præ aliis aptum dignumque judicaverint WIDMANNUM, quem ad hanc provinciam capeſſendam & cum laude tuendam invitarent, quod tamen ille honoris augmentum, rationibus ſonticis permotus, ſubmiſſe ac modeſte declina-

vit. Interea indefeſſo ægrotis ſuccurrendi ſtudio proſperrimoque curationum ſucceſſu tantam & inter cives & apud exteros ſibi comparaverat famam & fiduciam, ut indies augeretur eorum numerus, qui ejusdem conſilia atque opem efflagitabant.

Clinicæ itaque praxi ſe totum conſecravit WIDMANNUS, hinc incluti Collegii medici Seniorum numero an. 1737. in ſolenni conſeſſu, tum ordinis tum meritorum cauſſa, unanimibus votis adſcriptus, parique ſuffragio an. 1739. ejusdem Collegii Decanus, quemadmodum anno ſequente pharmacopoliorum Viſitator Senior electus eſt, quo anno ſimul recens electi Decani, D. D. *Jo. Georg.* VOLCKAMERI, Senioris primarii, ætate decrepita viribusque fracti, vices eadem dexteritate geſſit.

Nimis equidem prolixum, neque noſtro ſcopo conſentaneum foret, in ulteriores hujus Viri laudes excurrere, quarum ampliſſimus nobis campus pateſceret. Attamen hoc ſummatim breviterque de eodem poſſumus prædicare ac innumerorum teſtium conſenſu confirmare, illum, quod ad vitæ morumque rationem attinet, ſeſe præbuiſſe Virum probum, induſtrium, officioſum, veritatis ſtudioſiſſimum, doctorum amantiſſimum, in capiendis conſiliis prudentem atque circumſpectum, in iisdem vero exequendis cautum ſimul & intrepidum, auctoritatem ſemper cum ſuavitate temperantem, in utraque fortuna moderatum, &, ut comprehenſe loquamur, exhibuiſſe emendatiſſimæ mentis ſimulacrum.

Sed quid jam dicamus de eximia WIDMANNI noſtri eruditione? quid de ampliſſima iſtarum ſcientiarum, quæ medicis non tam lucro, quam ornamento cedunt, notitia? quid de ſumtuoſo & locuplete librorum rerumque naturalium apparatu? quid denique de impetratis honoris gradibus? quibus omnibus non ad faſtum & oſtentationem, ſed ad provehendam rei litterariæ utilita-

tem

tem uſus fuit. Quanquam enim totos fere dies daret aſſiduis ægrotorum viſitationibus, iis tamen negotiis non poterat impediri, quo minus in litterarum ſtudia fervide lucubrando incumberet, atque præſertim, quos in medicationibus ſuis experiebatur, caſus vel rariores, vel medicinam facientibus utiles, calamo diligenter traderet. Quarum obſervationum nonnullas quum olim Illuſtri Imperialis Academiæ Naturæ Curioſorum Directori D. LOCHNERO præſentaſſet, hic eaſdem publicatione dignas judicans, non modo Ephemeridibus Academiæ inſerendas curavit, ſed & hoc ipſo effecit, ut WIDMANNUS Anno MDCCXVII. ab Illuſtri t. t. Academiæ Præſide, D. LUCA SCHROECKIO, humaniſſimis litteris honoratus & miſſo diplomate inter ejusdem Imperialis Academiæ Nat. Curioſ. Collegas, ſub agnomine DIEUCHES, receptus fuerit.

Ipſæ obſervationes, quibus Academiæ laudatæ Collectanea idem locupletavit, ſub his titulis ibidem reperiuntur. 1) *De colica graviſſima ſpaſmodica cum inteſtini jejuni incarceratione*, Cent. VI. p. 378. 2) *Pulmones fœtus in utero materno extincti ex parte aquæ innatantes, ex parte ſubſidentes.* ibid. p. 383. 3) *Foramen cordis ovale in juvene XX. annorum adhuc patens.* ibid. pag. 385. 4) *De uteri vaginæ tunicæ rugoſæ procidentia, verum uteri corporis prolapſum referente.* Cent. VIII. p. 459. 5) *De Atrophia incurabili ex intercepto alimentorum in ventriculum ingreſſu.* Actor. Vol. VI. p. 493. 6) *De atrophia funeſta ex depravata alimentorum aſſumtorum digeſtione.* ibid. p. 497. 7) *De atrophia lethali ex denegato alimentorum, ex parte digeſtorum, e ventriculo egreſſu*, ibid. p. 501. Magna etiam hujus Viri in Spectatiſſimos Socios merita in eo conſiſtebant, quod, quum Actorum Academiæ Volumina Norimbergæ imprimi atque evulgari ſoleant, ille per plures annos emendandorum typographicorum errorum, elaborandorum indicum, addendarumque præfationum atque dedicationum curam geſſerit. Hinc etiam factum, ut Anno MDCCXXXV. Præſide Academiæ ſupra laudato, *Jo. Jac.* BAIERO, rebus humanis erepto,

erepto; atque in hujus locum ſuccedente Viro illuſtri, *Andr. Elia* BUCHNERO, hodiedum Præſide graviſſimo, ad ſplendidam Directoris provinciam cum *Archiatri & Comitis Palatini Cæſarei*, itemque *S. R. I. Nobilis*, dignitatibus connexam, unanimi Collegarum voto & gratulatione fuerit evectus. Extremum vero hiſce ornamentis tunc acceſſit augmentum, quum uterque digniſſimus Præſes ac Director Anno MDCCXLIII. ad DIVI CAROLI VII., Imperatoris, aulam profecti, atque ad ipſum Sacratiſſimæ Majeſtatis thronum gratioſiſſime admiſſi, non modo privilegiorum ab Auguſtiſſimis EIUSDEM Anteceſſoribus, Academiæ Imperiali Naturæ Curioſorum clementiſſime indultorum confirmationem & extenſionem impetrarent, ſed inſuper etiam ex peculiari benigniſſimi Imperatoris gratia *Conſiliariorum Cæſareorum* titulo & prærogativa donarentur.

Reliquum eſt, ut paucis adhuc commemoremus ea, quæ tam ad WIDMANNI noſtri rem domeſticam, quam ad ultimum vitæ laudabiliter geſtæ articulum pertinent. Annus agebatur hujus ſæculi vigeſimus, quum ille, DEO dirigente, ſibi eligeret atque ſolenni nuptiarum ritu domum duceret virginem eximiis animi, corporis ac fortunæ dotibus ornatam, ANNAM MAGDALENAM, Viri honeſtiſſimi *Joannis Chriſtophori* ENGELLAND, Pharmacopœi Norimbergenſis præſtantiſſimi, & MARGARETHÆ MAGDALENÆ ex præclara PREUIORUM ſtirpe prognatæ, filiam unicam, ſponſam tali ſponſo digniſſimam, cum qua per annos viginti mira animorum voluntatumque conſenſione vixerat, quamque ſibi ante ſeptennium prærnatura morte ablatam acerbis lacrymis & ſuſpiriis proſequutus eſt. Ex fauſto hoc conjugio procreati ſunt tres filii, quorum duo natu minores in prima infantia mortem ſubierunt, natu vero maximus, JOANNES GUILIELMUS, *Medicinæ Doctor, & Reipublicæ Norimbergenſis Phyſicus deſignatus*, ſalvus & ſuperſtes eſt, paternarum virtutum & laudum æmulus atque heres ex aſſe.

Nihil

Nihil igitur magis optandum fuiſſet, niſi ut Vir bene demerendis hominibus natus factus eouſque produxiſſet vitam, ut hunc ipſum filium etiam potuiſſet conſpicere ad paterna honorum faſtigia tam ſtrenue properantem. Verum enimvero, ſicut omnibus mortalibus terminus vivendi a DEO conſtitutus eſt, ita & WIDMANNO metam præſcriptam tranſire non dabatur. Quamvis enim inde ab iſto periculoſo morbo, quem poſt reditum ex itineribus ſuperaverat, ſatis firma & proſpera uſus fuerit valetudine, niſi quod, ætate paullo provectiori, inſultibus interdum podagricis vexaretur; accidebat tamen, ut duobus ante obitum ſuum menſibus affectu catarrhali correptus conſuetam verno tempore ſanguinis miſſionem differre ac procraſtinare cogeretur. Inter hæc vero accedebat nova & hoc anni tempore inſolita dolorum podagricorum exacerbatio, ſimulque pedis utriusque tumor & inflammatio tam vehementer & celeriter increſcebant, ut eodem die lectum petere cogeretur. Optimis quidem probatiſſimiſque remediis malo huic obviam ibat ipſe Vir experientiſſimus, atque viſitantes ipſum Collegas ſuos amantiſſimos inſuper in conſilium trahebat. Tanta autem erat dolorum lancinantium atrocitas tamque enormis pertinacia, ut omnem corporis quietem interturbaret, ſomnumque omnem abigeret. Quibus rebus aliter fieri non poterat, quin vires corporis, ab initio ſtatim inſigniter labefactatæ, indies magis magiſque deficerent. Quam præcipiti vero impetu dolores arthritici ægrotum invaſerant, tam repente & inopinato iſti ſimul in utroque pede ceſſabant, in quorum locum ſuccedebat dolor profundus, ſed obtuſus, in dextro bregmate, ab aliquot annis ſæpius iam perceptus, cum perpetua agrypnia & corporis ſumma inquietudine, e quibus ſymptomatibus Vir beatus ipſe ſibi funeſtam colligebat prognoſin, omnemque convaleſcendi ſpem & fiduciam deponebat. Atque ita melioris vitæ ſpe ſuffultus, quum omnia diſpoſuiſſet, quæ poſt obitum ſuum fieri vellet, ac præſertim dilectiſſimo filio ſuo, tunc Helmſtadii in litterarum ſtudia in-

cumbenti, paternam benedictionem reliquiſſet, Neceſſariis vero, Collegis & Amicis omnem felicitatem comprecatus eſſet, ſummi rerum moderatoris arbitrio unico ſeſe tradidit, animoque religioſo & conſtanti mortem appropinquantem expectavit. Inviſit illum hoc morbo decumbentem quotidie Sacerdos morum & officii ſanctitate venerabilis, cui ille animæ ſuæ curam antea commiſerat, piisque non ſolum precibus & adhortationibus eundem firmavit, ſed & deſiderantem cœleſti viatico munivit. Nihil interea ſtudii, nihil operæ prætermittebant Honoratiſſimi WIDMANNI Collegæ, ut eum extremo vitæ periculo eriperent, aut vires prope extinctas refocillarent. Quibus autem omnibus averti non potuit lethalis apoplexiæ impetus, quo XVI. Cal. Jul. MDCCXLIII. e vita abreptus eſt Vir omni noſtro elogio ſuperior, & æternitate digniſſimus, nunc ibi, quo ſemper mentem direxerat, conſtitutus.

ELO-



Anton Pesne Pictor Reg. Pinx. 1731. J. G. Wolffgang. Sculpt. Reg. Sculps. 173

ELOGIUM
SEU
HISTORIA VITÆ
VIRI
PRÆNOBILISSIMI & EXCELLENTISSIMI
D. D.
CASP. NEUMANNI,
S. REGIÆ MAIESTATIS BORUSSICÆ CONSILIARII AULICI,
CHEMIÆ PRACTICÆ PROFESSORIS PUBLICI,
COLLEGII REGII
MEDICO-CHIRURGICI QUOD BEROLINI FLORET, DECANI,
COLLEGII ITIDEM REGII MEDICI SUPERIORIS SOCII,
ACADEMIÆ IMPERIALIS GERMANICÆ NATURÆ CURIOSORUM
ADIUNCTI,
NEC NON
REGIARUM SCIENTIARUM SOCIETATUM ANGLICÆ ET BORUSSICÆ PARITER AC PONTIFICIÆ,
SOCII,
ET
PHARMACOPOEI AULICI PRIMARII.

Felix, quem alma Natura, ſeu potius benigniſſimus ejus Conditor, inſignibus animi virtutibus ditavit; felicior, qui easdem indefeſſo perpetuoque ſtudio excoluit & publicæ utilitati conſecravit; feliciſſimus, cui opportuna occaſio optatas ſuppetias tulit. Triplicis hujus felicitatis exemplum ſiſtit celeberrimus NEUMANNUS.

Editus eſt in lucem an. 1683. die 11. Julii Zillichoviæ, Municipii Ducatus Groſſenſis in Sileſia. Patrem habuit *Georgium* NEUMANNUM, mercaturam in dicta civitate exercentem; Matrem vero *Roſinam* WEICHARTIAM, quæ tamen anno 1693., ſicut ille 1695., naturæ debitum ſolvit. Vivis parentibus erat tam illorum, quam hujuſce ipſorum filii, propoſitum, Theologiæ ſtudium amplectendi, quorſum etiam inprimis ejus lectiones, quas in ſcholis patriis auſcultaverat, præter eas, quæ ad utramque, & Latinam & Græcam linguam, aliasque diſciplinas in ſcholis trivialibus tractari ſolitas pertinent, quam maxime tendebant; in quibus lectionibus quoque privatis præ aliis a diligentiſſimo tunc temporis Con-Rectore, poſtea vero apud Soravienſes Superintendente, JOSEPHI, horis vero ſucciſivis in muſicis ab ipſo Patre inſtruebatur. Quo mortuo beatus noſter NEUMANNUS, utroque parente ita orbatus, ratusque penitus jamjam de ſe, utpote pupillo prorſus deſtituto, actum eſſe, deliquio animi, ecſtaſi fere ſimili, corripiebatur ita, ut illo durante ultra totas ſex horas a circumſtantibus jamjam pro mortuo habitus fuerit, nec inde ullo alio modo, niſi inverſo corpore erectus, ſpirituque ſalis Ammoniaci fortiſſimo in ejus nares infuſo, in priſtinum redigi potuerit ſtatum. Multo tamen majorem ex eo tempore illius curam geſſit Pater cœleſtis, dans ipſi aliquem ex ſuis Suſceptoribus, eumque Pharmacopolam & Senatorem ejusdem loci valde religioſum, nomine *Joannem* ROMCKIUM, tutorem quippe, qui noſtrum adoleſcentulum non ſolum hoſpitio excepit, ſed & pro modico ſumtu eidem de omnibus ad vivendum neceſſariis proſpexit, ſimul-

que

que ad ſcholas frequentandas ipſum incitavit. Poſtea quoque in rudimentis linguæ Polonicæ à Concionatore MALCOLMO inſtructus, in iſta brevi tantos fecit profectus, ut facile inter commilitones hac in parte princeps haberi poſſet, quin immo præ Juvenibus Nobilibus in ipſa Polonia oriundis, hanc ipſam linguam magis, quam vel illi ipſi, ſecundum regulas grammaticas tam colloquens, quam convertendo ſcribens, primas obtineret. Reliquis autem horis ſupra dictus ROMCKIUS ipſi permittebat, in ſuo laboratorio & pharmacopolio ſpectatorem agere. Ubi demum in eo erat, ut ſcholis Züllichovienſibus valediceret, non poterat modo memoratus JOSEPHI ſibi temperare, quin lachrymis teſtaretur, dolendam omnino eſſe dimiſſionem talium ingeniorum, quæ tam dextre ſua agerent, ut Præceptoribus ipſorum ſpes certiſſima enaſceretur, fore, ut illis vere gaudere aliquando poſſint. Maximo igitur cum dolore à propoſito ſuo, tam alte ipſi infixo, quod erat, literarum ſtudiis ſeſe totum dicare, præcipue ob res nimis anguſtas domi, quas præmaturus parentum ejus obitus multo adhuc anguſtiores fecerat, inviriſſimusque abalienatus, apud animum ſuum perpetuo mœrentem ipſe circumſpiciebat, quodnam demum vivendi genus præ aliis ſibi eligendum videretur. Inter tot tamque varias menti ſuæ obverſantes conditiones, ſemper tamen adhuc ad literarum ſtudia ſeſe inclinare ſenſit, ita, ut continuas agitaret cogitationes, quamvis ſibi, rebus ita conſtitutis, fatisque ipſis prohibentibus, haud integrum eſſet, vitam doctam agere, talem ſaltem vivendi rationem amplectendi, cui vel aliquantiſper cum rebus eruditis conveniret, qualem cum vel maxime Pharmacopœum occupationem ejusmodi artem eſſe ſentiret, quæ ſibi adhuc ſemper utilis eſſe poſſet, ubi forte aliquando paullo major, quam quidem tunc, ipſi occaſio arrideret ad literarum ſtudia denuo ſeſe applicandi, præſertim vero ratione ſtudii Medici permultum commodi ſubſidiique præ ſe habituri; non niſi, quod videtur, Numine Divino ita animum ejus dirigente, firmiſſimum

conſilium cepit, artem hanc pharmacis miſcendis præparandiſque occupatam præ ceteris eligendi; eoque magis, quo certe melius eam a ſuo tutore addiſcere poterat. Sicque demum Auſpiciis Divinis hilariſſimaque mente tyrocinium ſuum apud illum adiit, quam etiam DEUS Ter Optimus Maximus ita ſecundavit, ut adhuc ante illius finem, aliis conſuetum, in pharmacopolium, quod Magiſter ſuæ artis Unruhſtadii, oppidulo majoris Poloniæ, a Züllichovia ad dimidium lapidem diſtante, ſuis ſumtibus inſtructum habebat, tranſportaretur, adeo ipſi idoneus viſus, quem non ſolum integro pharmacopolio, verum etiam reliquæ rei ſuæ præterea ibidem conſtitutæ, præficeret. Anno 1701. die 11. May hic loci ſolenni ritu tyronum numero exemtus, inde per triennium dicto jam pharmacopolio pariter, atque rei œconomicæ, Proviſoris titulo præfuit, permultum interea periculi atque incommodi à copiis regiis, tam Polonicis, quam Svecicis, præcipue vero, quæ ſub *Smiegielski* longe lateque circumvagantis ſigno militabant, aliisque totam illam regionem tributis impoſitis, prædis, direptionibus, igni ferroque ſubmiſſis, miſere vexantibus, cumprimis vero Proteſtantibus internecionem minitantibus, expertus. Denique cum anno 1704. plerique incolarum, domiciliis ſuis vacuis relictis, inde aufugerent, ſicque omnia in turbulentiſſimo ſtatu eſſent, nec ſibi ipſi diutius ibi morandum eſſe videretur, ſuis rebus, quæ moveri poterant, in utraque domo exiſtentibus, ad exemplum aliorum, ſenſim aliorſum translocatis, in territorium Brandenburgicum regreſſus eſt. Hinc, poſtquam per aliquod temporis ſpatium æque miniſterio in pharmacopoliis ſe commiſerat, accidit, ut officinæ *Schmedickianæ*, quæ eſt Berolini, inde vero, Numine Divino ita diſponente, primum laboratorio apud pharmacopœiam Regiam aulicam, deinceps autem officinæ ad Aulæ Regiæ-Boruſſicæ ſervitia in itinere faciendo deſtinatæ, & pene invitus quidem aſſociaretur; quandoquidem neque modo dictus SCHMEDICKIUS lubens ipſum dimittebat, neque ipſe quidem viribus ſuis tantum

con-

confiſus erat, ut vel ſibi ipſe ad ejusmodi laboratorium adminiſtrandum idoneus eſſe videretur, quin potius ad multo provectiores, eosque illo officio, quod videbatur, multo digniores, provocaret. At vero, quo majores & ipſe, & memoratus tunc temporis ejus patronus, exceptiones opponebant, eo magis Noſter, vel adhibitis quidem minis, jureque, quod officinæ Regiæ competeret, quemcunque ipſa in ulla civitatis officina ſocium, aliis magis habilem, inveniſſet, ubi ejus translocatio ſibi paulo difficilior redderetur, vel uſurpata vi inde eximendi, oppoſito, requirebatur. Quæ certe providentiæ Divinæ ſpecialis ſigna non ſolum hæc erant, quod CONRADIUS tum temporis quidem Pharmacopolio itinerario præfectus, poſtea vero officinæ Aulicæ adjunctus, Noſtrique translocationem in pharmacopœiam Aulicam adeo urgens, quamvis huic quoad faciem omnino ignotus, vixque dum ſemel cum illo collocutus fuerat, proprie loquendo primarius felicitatis ejus temporalis, omniumque, quæ ipſi inde ad extremum uſque vitæ halitum proſpera contigerant, in terris auctor, ſimul autem & ille ipſe eſſet, cujus viduam, nomine *Corneliam Mariam*, natam HUNICKIAM, licet demum 15. annis poſt, nimirum 1721. in matrimonium duceret, ejusque relictos duos liberos, ſcilicet alterum maſculum, alterum vero feminam, educaret; e quibus his maxime illum, nomine *Joannem Caſparem* CONRADI, tam fideliter inſtruxit, inque ſua arte ita perfectum reddidit, ut Regis Majeſtas illum, Vitrico ſuo mortuo, æque ac hunc, Pharmacopolam ſuum Aulicum quam clementiſſime declaraverit. Regiæ Boruſſicæ officinæ, quam diximus, itinerariæ per ſeptennium, & quod excurrit, B. noſter NEUMANNUS ita præfuit, ut Regiam Majeſtatem, jamjam inter cœlites glorioſiſſime triumphantem, aliquoties (variis temporibus) ad Batavos, ſemel in Thermas Carolinas, porro in Boruſſiam, deinceps poſt Regiæ Majeſtatis, nunc feliciſſime regnantis, tum vero Principis adhuc hæreditarii, ſponſalia Hannoveræ celebrata, item occaſione ſponſalium Regiæ Majeſtatis

beatiſ-

beatiſſime defunctæ poſtrema, eaque Schvverini contracta, ad varias Principum Aulas, inque multis aliis itineribus iterum iterumque comitatus, complura rariora, viſuque digniſſima, coram conſpexerit; Rege vero in ſede ſua ordinaria commorante, officinam Aulicam, atque laboratorium ad illam pertinens, ſedulo frequentare haud neglexerit. Cum vero tempore æſtivo, maxime ubi Rex villas animi recreandi cauſa exſtructas frequentaret, labores ſui ordinarii adeo ſtricte quidem haud continuandi eſſent, quin interdum vel aliquo otio vacare poſſet, id temporis præcipue lectioni librorum medicorum, cumprimis autem phyſicorum, pharmacevticorum, & chemicorum, ſimiliumque diſſertationum, & diſcurſuum academicorum, deſtinavit. Pariter Charlottenburgi, æſtate ab Aula Regia paulo diutius habitari ſoliti, clavichordium ſibi comparavit, partim ut ejus uſu quandoque animum ſuum diverteret, partim vero, quæ adoleſcens in arte Muſica addidicerat, in mentem revocaret. Sed nec hoc quidem ſolo caſu, quin potius Numine Divino ita dirigente, accidit. Etenim vix per aliquot dies in hoc inſtrumento muſico ſe exercuerat, cum illud a quodam regio pediſſequa ſibi prorſus invito ablatum, inque aliquam Regiam cameram translatum, ipſe vero nolens volens coram Regia Majeſtate eodem canere, ſe coactum videret. Quo nuncio, Regioque juſſu, præter omnem opinionem ſibi allato, mire obſtupuit, probe conſiderans, Regiam Majeſtatem numerum muſicorum longe excellentiſſimorum, inque ſua arte facile principum, alere, quorum cantu inter privatos parietes communiter delectaretur; quibus Noſter ne quidquam comparandus tam ſibi, quam tot tantisque ſe circumſtantibus, artemque muſicam pariter ex fundamento callentibus, perſonis Illuſtribus, dedecori ducebat, quarum aures longe delicatiſſimas miſero ſuo cantu ita offenderet. Interea tamen ſe excuſare, obſecrare, anxieque gerere, omnia fruſtra erant, quin potius ſemper regerebatur, eam eſſe voluntatem Regis. Immo nuncius nuncium ſequutus eum monuit, pergeret, feſti-

feſtinaret, Regem illum expectare; Itaque juſſui Regio morem gerens, muſicam ſuam a Pſalmo LXXXVI. canendo incipiebat, atque poſt aliquot ejus verſus alios adhuc cantus quosdam addebat, tanto quidem Regis delectamento, ut ejus Majeſtas illum abeuntem, ſingulis veſperis, priusquam veſtibus ſe exuendum mandaret, in Camera coram ſe ulterius canere, quam clementiſſime juberet: quo fini illi etiam clavicymbalum ſubminiſtraretur. Id quod etiam dicto modo factum eſt, ut Noſter aliquot continuis annis, licet invitiſſimus, perpetuo tamen Regiæ Majeſtatis oblectamento, tali officio fungeretur, neque tamen facile niſi cantus pœnitentiales & ad bene moriendum præparatorios canens, quibus quoque tam Regia Majeſtas, quam qui Illi ſervitia ordinaria præſtabant, ſæpius devotiſſimi concinebant. Annis aliquot interjectis, inter alia etiam eam Noſter expertus eſt Clementiam Regis, ut ejus Majeſtas ipſi offerret, tantam ſe illius habiturum eſſe curam, ut Halæ Regis ſumtibus in literarum ſtudia incumberet, artemque ſalutarem ad finem ſibi adeo exoptatum perduceret, cujus rei omnium optimus teſtis eſſe poterat tunc temporis Regis Conſiliarius intimus & Profeſſor Medicinæ Halenſis, jam vero pariter beatus *Fridericus* HOFFMANNUS. Longe tamen alia hac in parte Numinis Divini, quam quidem Regis, fuit voluntas, varia hinc inde impedimenta, quo minus hocce illius propoſitum ſubſiſteret, opponens. Præcipue vero Regiam Majeſtatem Archiater illius ſecundarius, Noſtroque maxime fatalis, D. GUNDELSHEIMER, ab hac intentione ita abalienavit, ut Noſter penitus oblivioni mandaretur. Aliquot tamen menſibus poſt iterum Regi Piiſſimo inſedit mens, aliam noſtro gratiam exhibendi, ſcilicet ut ceterarum ſuarum ſcientiarum, præcipue Chemiæ, magis magisque perficiendarum cauſa, regiis ſumtibus peregrinaretur, hujusque itineris præparatoria extemplo fierent. Quo integro ſeptennio variæ quidem ipſi viciſſitudines, ſicque dictæ felicitatis temporalis ſpecies, ratione tam matrimonii ineundi, & officinæ propriæ in-

ſtituendæ; quam aliorum miniſteriorum obeundorum, paſſim locorum obvenerunt, quorum poſteriorum certe omnium maxima hæc erat, quæ ipſi Mariævverdæ in Boruſſia per Archiatrum Imperatorium Ruſſicum, D. ARESKIN, offerebatur: quandoquidem ipſi a Ruſſorum Imperatoris Majeſtate ſua ſponte, præter ſtipendium annuum 600. argenteorum, *Rubel* dictorum, victus, potus, domicilium, equi & carpentum, cum aliis emolumentis, gratis ſuppeditanda promittebantur. Cum vero providentia Divina hiſce ſimilibusque Noſtro arridentibus, iisque, ut videbantur, maxime profuturis, occaſionibus aliud firmumque repagulum poneret; accidit demum, ut anno 1711. ab Aula diſcederet, iterque ſuum, Numine Divino Comite gaviſus, gratiaque Regis ſuffultus, ingrederetur. Cujus initium in ipſa Germania fiebat, ne quaſi prius peregrina meditaretur, quam quidem domeſtica, ac in patria viſu digniora, conſpexiſſet. Primo igitur omnium Hercynias oras, tanquam fini ſuo convenientiſſimas, petiit, metallifodinas, aliasque officinas ibi conſtitutas, præcipue metallis fundendis idoneas, viſurus, perque aliquot menſes Clausthalii, Monte S. Andreæ (*Andreasberg*) Zellerfeldii, ac Goslariæ commoratus, metallurgiam, una cum arte metalla diſtinguendi atque probandi, addidicit; præterea officinas metallarias pariter, atque monetarias, frequentavit; venas metallicas ipſe ſcrutatus eſt, ſeque totum ita geſſit, quaſi ipſe metallarius eſſet evaſurus; pariter & alias regiones & loca in Hercynia, & circumjacentia, peragravit, variasque officinas ferrarias, machinasque metallis tundendis idoneas, item hydraulicas, lapidicinas, nec non famoſiſſimam cavernam Baumannianam, utrumque montem Blockesberg, ſive Brocken dictum, varia molendina, aliaque viſu digniora, conſpexit. Inde plerasque Aulas Germaniæ petiit, non tam quidem univerſa illarum curioſa, quam potius Pharmacopœias ibidem conſtitutas Aulicas, Laboratoria, Hortos Medicos, aliaque ſibi in ſpecie convenientia, viſurus, inque Medicorum, Pharmacopolarum, aliorumque in

Che-

chemicis excellentium, notitiam venturus, & ab illis, quæ ſibi adhuc ignota erant, expiſcaturus, firmiſſime perſuaſus, non ſolum quemcunque Principem Medicos atque Pharmacopolas, quos optimos habere poterat, ſuis ſumtibus alere, verum etiam præſtantiſſimorum artificum atque hominum eruditorum ſedem communiter in Sedibus Principum eſſe ſolere. Quamquam & Academias, modo earum aditus ipſi haud adeo difficilis eſſet, cum laboratoriis ad homines privatos pertinentibus, item officinas vitris parandis, metallisque fundendis, aliisque materiis chemicis tractandis aptatas, ſuoque inſtituto aliqua ex parte convenientes mechanicos, & artifices, eorumque officinas inviſere, ac ubi ſaltem tantiſper ſibi videretur aliquid profecturus, ibi aliquamdiu commorari, minime neglexit. Et licet jamjam antea bis in Belgio fuiſſet, resque urbium præcipuarum publicas ſatis conſpexiſſet; complura tamen adhuc ſibi reſtare, tam quæ Laboratores, vel, qui ibi vocantur, *Stoockers*, in magna quantitate præpararent perficerentque, quam quæ falſificationes, ſive adulterationes, pharmacarum fierent, cognoſcenda, æque ac a famigeratiſſimo doctiſſimoque Profeſſore chemiæ, D. BOERHAAVE, addiſcenda putavit. Unde in Belgium denuo reverſus, plurimum temporis Lugduni, Amſtelodami, Trajectique ad Rhenum, tranſegit. Quum vero hic omnia, quorum notitiam ſaltem adipiſci poterat, ſatis abunde cognoviſſet; ſupplicibus quidem precibus Regiam ſuam Majeſtatem adiit, ut Illa ſibi, ſtatim ad Anglos transnavigaturo, nummos itineri ſuo ulterius faciundo deſtinatos, cum litteris ſecundum transſcriptam notitiam ad ipſum dandis, Londinum mitti juberet. Verum enim vero quam mens illius eo translati obſtupuit, quum, loco ſperatarum, ſibique maxime neceſſariorum nummorum, non niſi mœſtiſſimas a ſupra dicto, ſibique adeo inimico, GUNDELSHEIMERO, ad ſe datas reperiret literas, non ſolum triſtiſſimum de Regis ſui Clementiſſimi morte nuncium, ſed etiam plenariam ejus dimiſſionem continentes, cum additamen-

to, neque pecuniam, neque aliquam promotionem, ab Aula ulterius expectaret, neque per reliquum vitæ ſuæ tempus Berolini meminiſſet, adeoque videret, quomodo in aliis oris viveret, de quo ipſi in anteceſſum gratularetur. Quem certe nuncium Noſtro inſtar fulminis fuiſſe, facile colligas, non ſolum in regione, ubi omnia cariſſimo pretio veneunt, exiſtenti, ſed & omnibus nummis, amicis, familiaribusque deſtituto, præterea ne verbum quidem linguæ Anglicæ callenti, adeoque ob ignorantiam linguæ primo ne obolum quidem arte ſua acquirere, multo minus alicujus ſocium agere, pariter omnium neceſſitatum experti ultra mare retro vehi, vel in patriam ſuam redire valenti. Neque tamen Omnipotens ipſi ita defuit Adjutor, quin aliquem illius civem, vere Chriſtianum, profeſſione pictorem, excitaret, qui ejus miſereretur, ipſique argentum maxime neceſſarium ſubminiſtraret. Porro in notitiam alius cujusdam civis, æque pictoris, illiusque ipſius ſocii, venit, qui Noſtro a D. CYPRIANO, tum Londini vivente, antea vero Profeſſore Franeckerano, & qui ab aliquot annis maxime per lithotomiam prægrandem ſibi vim argenti acquiſiverat, cœlibe & improli, nunc vero uſuris inde capiendis, iisque longe ampliſſimis, ſuſtentato, præterea chemiæ amantiſſimo, adeoque non ſolum ſuum ipſius laboratorium poſſidente, ſed & quotannis ultra mille libras *Sterling* dictas experimentis phyſico-chemicis & curioſis faciundis deſtinante, eaque pro certis ſuis reditibus ſine ſuo incommodo continuante, veniam, libere illum adeundi, impetravit. Qui pictor modo dicto Dn. CYPRIANO nonnulla de Noſtri perſona adverſitatibusque retulerat, ipſumque de meliori commendaverat, ſperans fore, ut ſibi in ſuo laboratorio officia quam exoptatiſſima præſtaret. Cum vero nec hæc quidem præter DEI voluntatem Noſtro ita acciderent, non poterat Dn. CYPRIANUS digito divino refragari, quin potius ipſe maximam inde voluptatem caperet. Unde illum non tanquam ſuum famulum, ſed fere inſtar filii aut fratris, domum ſuam recepit, binas ſolis ejus uſibus came-

cameras, una cum victu, tecto, candelis & lignis liberis, concedens, omnemque præterea ei directionem laboratorii ſui diariique habendi committens, id ſolum ſibi deliciarum reſervans, ut non niſi experimentorum laborumque a ſe inſtituendorum ſpectatorem ageret, per dies vero ſingulos colloquiis de iisdem rebus cum illo habendis recrearetur. De cetero pleniſſimam ipſi conceſſit libertatem, ante omnia quidem etiam reliqua laboratoria chemica, tam privata, quam publica, pro lubitu frequentandi, poſtea vero, maxime quando ſine diſpendio laborum ſuorum ordinariorum fieri poterat, æque ſua ſponte, ac ubi e re ejus viſum fuiſſet, domo ſua abeundi & redeundi. Atque ex illo quidem tempore Noſtro cuncta in dies ceſſerunt feliciora. Linguam Anglicam magis magisque addidicit, pariter atque Chemicorum, Medicorum, Pharmacopolarum, aliorumque Virorum curioſorum, ſibi majorem notitiam comparavit. Similiter aliquoties ad Conventus celeberrimæ Societatis Anglicæ admiſſus, æque ac a Societate Pharmacopolarum ad publica ſua feſta, ſolennes herbationes tractationesque invitatus, & a quovis, cui vel quodammodo innotuiſſet, omni honore exceptus, & ad ulterius progrediendum excitatus fuit. Neque minus ipſe alios in chemicis privatim inſtruxit, omnique alio honeſto modo aliquid ſibi pecuniæ quotidie acquirendum curavit. Quibus etiam illius laboribus DEUS T. O. M. ita annuit, ut poſt ſesquiennium jamjam ipſi in promtu eſſet, de quo tam honeſte, quam commode viveret, nec ulterius haberet, quod Berolinum reverti meditaretur. Anno quidem 1715. Archiater ſupra memoratus GUNDELSHEIMERUS, literis ad Noſtrum datis, ipſum Berolinum revocavit, officium Apothecarii Regii Campeſtris, & qui expeditioni Pomeranicæ intereſſet, illi offerens; at vero, quem jam antea ſibi adeo infenſum expertus fuerat, illius animus, nunciusque ipſi ab eodem in perpetuum remiſſus, tanto magis Noſtrum deterrebat, quo minus prævidere poterat, quibus demum fatis, expeditione finita, iterum deſti-

 nandus

nandus foret, niſi forte denuo conſilium abeundi facile impetraturus, ſicque e contrario, quam auxiliis Divinis jamjam ſatis favorabilem firmiſſimamque apud Anglos conſecutus erat conditionem, omnem perditurus eſſet. Gratias igitur dicto quidem D. GUNDELSHEIMERO pro memoria ſui egit, ſimul tamen ipſi reſcripſit, literis ab eodem ſibi ante biennium transmiſſis, tum quidem ſibi longe triſtiſſimis, dimiſſoriis, quibusque ſibi expreſſis verbis injunctum fuiſſet, ut ne per vitæ quidem tempus Berolini reminiſceretur, nec quidquam ibidem ultra fortunæ ſperaret, res ſuas ita, prout tunc temporis juſſus fuiſſet, diſpoſuiſſe, ſibique, ad DEI T. O. M. honorem, fatendum eſſe, quod ab illo tamen penitus haud derelictus, quin potius tali rerum ſuarum ſtatui redditus fuerit, ut ſatis commode vivere poſſet. Firmam ergo ſibi eſſe mentem, ad dies vitæ illius nunquam reminiſcendi, adeoque ejus literas anteriores exactiſſime obſervandi. Interim quoad in Anglia commoratus eſt, id quod per quinquennium fere duravit, hinc inde peregrinatus, omnia quæ ipſi vel maxime curioſa viderentur, conſpexit, utramque Academiam, omnes villas Regias voluptatis ergo exſtructas, varios fontes ſotericos, regiones præſtantiores, hortos, aquas ſalientes, machinas, bibliothecas, officinas pannis aliisque rebus pretioſis parandis deſtinatas, xenodochia, aliaque loca notatu digniora, frequantavit. Anno 1716. Regem Angliæ, tum regnantem, in terras ſuas Germanicas proficiſcentem, ex Anglia Hanoveram uſque comitatus eſt, & eo quidem fine, ut in patriam ſuam adhuc ſemel, &, qui ejus animus erat, ultimum rediret, cum tutore ſuo rationes diſtracturus, ſicque patriæ ſuæ omnino valedicturus, ſedemque ſuam demum Londini firmiſſimam fixurus. Longe tamen aliæ, quam quidem Noſtri, cogitationes erant Numinis Divini, hocce illius propoſitum denuo immutantis. Etenim poſtquam Berolinum regreſſus, Conſiliarium Aulicum, Regiumque tum temporis Archiatrum, D. D. STAHLIUM, tanquam chemicorum facile maximum, conveniret, cum-

que

que eodem de nonnullis, quibus in Anglia adhibitus fuerat, operationibus chemicis collocutus eſſet, præterea quædam arte ſua facta ipſi monſtraſſet, denique animum ſuum de ſuſcipiendo in Angliam reditu deque vita, ibidem ulterius degenda, &, quod ſperaret, finienda, ſimulac res ſuas in Germania adhuc expediendas penitus abſolviſſet, exponens; non poterat, id quod videbatur, eximius ille STAHLIUS ad quosdam Aulicos, eosque facile primores, de Noſtri perſona, illiusque inſtituto, non quædam retuliſſe. Verbo, munia in Aula Boruſſo-Regia ipſi iterum obeunda, & ampliſſimis quidem additis vivendi conditionibus, offerebantur, quæ ipſi quidem, præcipue cum præterea adhuc aliæ, æque largiſſimæ, iisdem jungerentur, non tam facile rejicienda, quam promto animo amplectenda eſſe viderentur. Quæ quidem conditiones fere hæ erant, ut ipſi adhuc per aliquot annos ſumtus itineris denuo faciendo ſuppeditarentur, eique primo quidem in Angliam redire, poſtea vero ad Gallos quoque & Italos contendere liceret, maxime cum jamjam ipſe non videret, cui demum officio ſigillatim deſtinandus eſſet. Sed & hæc ſcena rurſus illico mutata fuit. Vix enim in Angliam reverſus, nuncium accepit, Pharmacopolæ Aulico adjunctum, CONRADI, vita deceſſiſſe; & inde aliquanto poſt in Galliam profectus, certior factus eſt alterum, Pharmacopolam Aulicum, MEMHARDTUM, ipſum pariter fatis occubuiſſe. Quanquam igitur tum temporis Berolini maxime neceſſarius Noſter eſſe videretur; eam tamen a Regia Majeſtate gratiam impetravit, ut Pharmacopolium ſuum Aulicum interea temporis a ſociorum in illo conſtitutorum ſeniore adminiſtrari juberet, donec ipſe iter ſuum in Galliam atque Italiam ſuſcipiendum totum abſolviſſet. Sicque Auſpiciis Divinis iter ſuum in Galliam extendit, omnia, tam intra Lutetiam Pariſiorum, quam extra eam, rara conſpexit, Pariſiisque non ſolum collegia chemica & botanica, tam publica, quam privata, frequentavit, ſed & ipſe ad prælectiones chemicas a compluribus inſtigatus eſt, quorum deſiderio etiam

ita

ita ſe moveri paſſus eſt, ut in illis 5. Græcos, 5. Germanos & 2. Gallicos Medicos, quorum alter jamjam Profeſſorem Botanices in Academia Pariſienſi agit, Auditores ordinarios, nonnunquam vero etiam alios, maxime novorum curioſos, diverſæ conditionis, variorumque ſtudiorum homines, extraordinarios, Hoſpites vulgo vocant, haberet. Inprimis vero celeberrimis iſtius loci Chemicis, Botanicis, & Pharmacopolis, nec non quibusdam aliis tam doctiſſimis, quam experientiſſimis, Academiæ ſcientiarum Sociis innotuit. Apud Dominos GODOFREDOS, (*Geoffroi*) utrumque Chemicum maxime habilem, ſingulis hebdomadis certos dies dimidios lectionibus chemicis atque experimentis faciundis deſtinaverat; ea tamen lege, ut quisque, quod dicturus eſſet, facto comprobaret, neque, ubi maxime de rebus dubiis ſermo incideret, ullius dicta, aut ſcripta, vel alicujus, licet famigeratiſſimi, auctoritatem curaret, multo minus ad particulas igneas, vel alias propoſitiones geometrico-imaginarias confugeret, quippe qualem theoriam ipſe in chemia nulli faceret. Porro in Apothecarii Regio-Aulici primarii, Regiique Academici, nec non in laboratorio Regio chemico Demonſtratoris, Dn. BOULDUC; Dn. D. GROS, Chemici & Practici Pariſienſis experientiſſimi; Dn de REAUMUR, Phyſici ac Metallurgi longe excellentiſſimi; Profeſſorum Botanices Regiorum Dn. de JUSSIEU & Dn. VAILLANT, Anatomici curioſiſſimi, Dn. WINSLOW; Dn. la BONCIERE tum temporis Profeſſoris; Equitis facile omnium curioſiſſimi; Dn. PAJOT D'ONS-EN-BRAY; Dn. Abbatis BIGNON, ex commendatione Equitis Anglici, Dn. NEUWTON; Dn. MAHUDEL; P. SEBASTIANI, multorumque aliorum Mathematicorum: Dn. CHARAS, & complurium aliorum doctiſſimorum experientiſſimorumque Virorum notitiam penetravit, & ab omnibus multo honore exceptus eſt. Pariter Noſtro permiſſum fuit, ope ſpeculi urentis *Tſchirnhauſiani* majoris, quod Ducis Aurelianenſis, tum temporis Regentis, erat, in Dn. D'ONS-EN-BRAY horto elegantiſſimo pro lubitu experimenta facere,

cere, neque duntaxat experimenta in Hiſtoria Academiæ ſcientiarum contenta, paulo magis dubia cum Dn. GODOFREDO ſeniore repetere, &, ut tanto certiores de iisdem redderentur, denuo inſtituere, ſed etiam alia ſibi ſoli propoſita expedire. Apud Dn. de REAUMUR patebat Noſtro aditus ad elegantiſſimum ejus ſcrinium Metallurgico-Phyſicum; & apud Abbatem BIGNON ad ejus Bibliothecam. Cum Dn. MAHUDEL varia fecit experimenta magnetica. Denique a Dominis Academiæ ſcientiarum Sociis in ipſorum conventus admiſſus, exequiis etiam Dn. OZANAMI interfuit. Pariſiis abiturus, per Fontem Bellaqueum, (*Fontainebleau*) Aurelianum, inde per Nivernum, Lugdunum, ibique aliquamdiu commoratus, Viennam Galliæ, & Gratianopolin adiit, quamvis rariſſime ordinaria atque directa, ſed hinc inde circumducta via ingreſſus, quo plura ad chemiam ſuumque ſtudium pertinentia obſervaret, neque vero inſtar anſeris terras quaſi pervolaret. Gratianopoli profectus, ad famigeratiſſimum locupletiſſimumque monaſterium, *la grande Chartreuſe* dictum, iter ſuum protendit, ubi ipſi non ſolum cuncta viſu digniora, ſed & cumprimis officinæ metallicæ, cum ratione ac modo ſine follibus ferrum fundendi, ſoloque aquæ uſu ventum excitandi, præterea Pharmacopolium, Laboratorium, Hortus, aliaque rariora, ibi exiſtentia, monſtrata ſunt. Atque, quum Monachis iſtius loci adhuc aliquod compendium rei ſuæ metallicæ perficiendæ, gratæ mentis ergo, communicaſſet; e contrario a Patre Mathematico minutum ſupra dicti modi ventum excitandi accepit. Equidem monachi iſtius loci omnibus blanditiis utebantur, ut ab ipſo rationem Machinæ, cujus ope, & modico quidem igni, plurimum aquæ in altum extolli poterat, conſtruendæ, addiſcerent. At vero cum hæc res paulo majoris momenti, nec tum quidem ſecundum omnes ſuas partes eſſentiales adeo nota eſſet; illius detectionem omni meliori modo deprecabatur. Denique ad Pontem Charum (*Pont Chare*) fineſque Galliæ & Sabaudiæ pervenit. Limes inter utraſque terras erat pons, hujus

vero tranſitus ipſi moleſtiſſimus eſſe videbatur ob rigoroſiſſimas ſanctiones utriusque Domini territorialis pecuniarias. Nimirum in Gallia ſub pœna laquei prohibitum erat, nummos Gallicos antiquiores extra regnum evehi; & in Sabaudia e contrario, ſub eadem pœna, nummos Gallicos recentiores invehi. Citra Pontem & ultra cum peregrinantes quam exactiſſime viſitabantur; & ab utraque parte jamjam complura ejusmodi ſpectacula, ad tranſeuntes eo magis terrendos, hasque leges tanto certius obſervandas, exhibita fuerant. Nihilo tamen ſecius Noſtro pariter properandum, atque animus laqueo ſe ſuſpendi patiendi deerat. Verum enim vero inter has quoque anxietates mirum Numinis Divini expertus eſt auxilium, ita, ut Camberium & ultra difficillimum transgreſſu Montem Cenium Pedemontii, propter inexpugnabile Caſtellum, *la Brunette* dictum, per Seguſium, ad Villam Regiam Rivoli, & inde Taurinum, porro per Alexandriam ad Genuam, pulcherrimo ſitu gaudentem, hincque navigio quodam veloci Liburnum, inde per Piſas ad Florentiam, atque ita porro Romam usque pervenit, ubi ipſi præcipue literæ, quas a quibusdam amicis eruditis Pariſienſibus ad celeberrimum Archiatrum Pontificium, LANCISIUM, acceperat, commendatitiæ id quidem officii præſtabant, ut ille Noſtrum non modo quam benigniſſime exciperet, ſed & curaret, ut ipſi, omnia notatu digniora ibidem conſpicere, permitteretur. Romæ per ſex ſeptimanas commoratus via ordinaria Lauretum, inde Anconam, perque oras maritimas Ariminium, Piſaurum &c. Bononiam, inde per Ferraram, Venetias, & aliquot hebdomadibus poſt Patavium, aliaque quædam loca in Lombardia, denique rurſus Venetias, inde per Comitatum Tirolenſem, Auguſtam Vindelicorum, Noribergam &c. in urbes Saxoniæ metallifodinis inclytas, tandem vero Dreſdam, Lipſiam & Berolinum pervenit: quo ultimo loco citra moram a Regia Majeſtate Pharmacopola Aulicus actualis declaratus, neque ſolam hujus pharmacopolii, certe ampliſſimi, adminiſtrationem, ſed & curam novi pharmacopolii campeſtris, & illius quidem rebus eo pertinentibus omni tempore inſtru-

ſtructiſſimi, adornandi ſuſcipere juſſus eſt. Ubi vero pharmacopolium Aulicum ipſum in ſtatu maxime irregulari deprehendit, prima ejus cura hæc fuit, ut illud in longe meliorem, tituloque, quem præ ſe ferebat, Regio multo convenientiorem redigeretur. Ad hæc a Regia Majeſtate eam impetravit gratiam, ut Illa omnia ipſius conſilia eo tendentia & inſtituta quam clementiſſime approbaret, ipſique complures cameras aſſignaret, tandem vero, quæ ipſi neceſſariæ viderentur, mutationes & correctiones pro ſuo lubitu, omnique meliori modo, ſuſcipere permitteret. Primo quidem omnia pharmaca & medicamenta inutilia expunxit, eorumque loco alia, & majori quidem quantitate, ſubſtituit. Deinde cœpit laboratorium ſatis obſcurum atque immundum ſolo æquare, fornacibus, aliisque rebus ad labores quotidianos neceſſariis interea temporis in alia loca translatis. Tum certum aquæ ductum exſtruendum curavit, cujus ope non ſolum in laboratorio, ſed & in toto ædificio, in pharmacopolio, aliisque cameris, nec extremis quidem contignationibus exceptis ſub tecto, per dies noctesque, tam in caſu neceſſitatis, & periculi ab igne imminentis, quam ad varios labores, præcipue ad plurima, quibus opus erat, deſtillanda, ad manus continuosque uſus aquam præterfluentem paratam haberet; quod inſtitutum ab eo tempore jamjam multis millibus imperialium, alias erogandorum, pepercit. Laboratorio novo perfecto, ad pharmacopolium, aliasque cameras, denique ad apothecam campeſtrem, & quæ præterea ipſi utilia & neceſſaria eſſe viderentur, magis magisque perficienda animum advertit, ita, ut pharmacopolium, tam quoad ſitum, quam ædificium, ordinemque rerum in eo contentarum, omnibus reliquis per terrarum orbem exiſtentibus pharmacopoliis palmam facile dubiam reddere poſſit, & cuivis, qui illud coram conſpexerit, vel ſaltem quidquam de illo audiverit, probatum fuerit. Maximam vero admirationem meretur curioſiſſimus, & ab illo inventus, apothecæ Regiæ privatæ motus, quippe quæ auxilio cujusdam machinæ ſe ipſam aperit, &, ubi viſum fuerit, iterum occludit.

Cui tamen laboratorium Regium minus, idque longe pretioſiſſimum, ne quidquam cedit. Atque hæc ejus tam brevi ſpatio adhibita induſtria, resque ſuas expediendi modus, in cauſa fuit, cur anno 1721. Societas Scientiarum Regia Boruſſica illum dignum judicaret, qui eidem adjungeretur, pariter atque Regia Majeſtas illum in Collegium Medico-Chirurgicum, anno 1723. a ſe Berolini inſtitutum, tanquam Profeſſorem Chemiæ Practicæ, recipiendum quam clementiſſime declararet. Brevi poſt, nimirum 1724., fiebat Collegii Medici (nunc ſuperioris) Regii Boruſſici membrum, & ab utroque pecuniarum accipiendarum & expendendarum, maxime vero a Collegio Medico ſuperiori totius rei apothecariæ per univerſas, quaqua patent, terras Regias cura ipſi demandabatur. Anno 1725. ab ampliſſima Societate Scientiarum Regia Anglica Londinenſi illius Socius renunciatus eſt. Anno 1727. celeberrima Univerſitas Halenſis ipſi proprio motu gradum Doctoris obtulit, ſimulque diploma, propterea typis expreſſum, gratis tranſmiſit. Eodem anno novum iter, per Sileſiam & Moraviam, Viennam ſuſcepit, indeque per Bohemiam, Tœplicium, Freybergam, Dreſdam, Camentium, Vitebergam, domum revertit. Anno ſequenti, nimirum 1728., illum Cæſarea quoque Academia Naturæ Curioſorum dignata fuit diplomate, quo pariter ejusdem Socius declaratus eſt. Anno 1731. renunciatus eſt Calculator (*Rendant*) Societatis Scientiarum Regiæ Boruſſicæ Berolinenſis. Anno 1733. Regia Majeſtas ipſi proprio motu titulum Conſiliarii Aulici quam clementiſſime conceſſit. Anno 1734. etiam ab Inſtituto Scientiarum Pontificio Bononienſi Socius ejusdem receptus eſt. Eodem anno iterum aliquod iter per Marchiam novam & Pomeraniam ſuſcepit, in quo præcipue veram generationem lapidis oſteocollæ detexit. Anno 1735. DEUS T. O. M. ipſum uxore ſua, *Cornelia Maria* HUNICKIA, quam, uti ſupra dictum, anno 1721. duxerat, & cum qua, licet ex illa nullam prolem progenuiſſet, perpetuo tamen concordiæ amicitiæque minime fucatæ vinculo vixerat, privavit. Anno 1736. ab Academia Cæſarea Naturæ Curioſorum ſu-

perius

perius dicta ipſi diploma, Adjuncti dictæ illius Societatis, transmiſſum, ſimulque eodem anno Decanus Collegii Regii Medico-Chirurgici Berolinenſis electus eſt. Denique ipſum DEUS omnipotentiſſimus anno 1737. die XX. Octobr. hora tertia pomeridiana dolores a Colica graviſſimos, iisque ſtipatam obſtructionem enormem, nec ullo modo pellendam, per ſeſqui diem perpeſſum, ex hac mortalitate ad regna cœleſtia evocavit, ætatis ſuæ anno 54, Menſe III. & die VIII. Scripta ejus, quæ typis publice imprimenda curavit, ſunt ſequentia:

In Voluminibus Academiæ Cæſareæ Nat. Curioſorum.

1. De oleo deſtillato formicarum æthereo Vol. 2. p. 304.
2. De Albumine ovi ſuccino ſimili Vol. 5. p. 220.

In Tranſactionibus Philoſophicis Anglicanis.

1. Diſquiſitio de Camphora No. 389. p. 321. ſeqq.
2. De experimento probandi ſpiritum vini Gallici perquam uſitato, ſed re vera falſo & fallaci. No. 391. p. 398. ſeqq.
3. De ſalibus alcalino-fixis No. 392. p. 3. ſeqq.
4. De Camphora Thymi No. 431. p. 202. ſeqq.
5. De Ambra gryſea No. 433. p. 344. ſeqq.

In Miſcellaneis Berolinenſibus.

Continuat. 2. ſeu Tom. III.

1. Meditationes in binas obſervationes de aqua per putrefactionem rubra, vulgo pro tali in ſanguinem verſa habita, quarum alteram D. D. ELSHOLZIUS Anno 1677. cum Acad. Cæſarea Nat. Curioſor. alteram D. D. HOLSTIUS Anno 1712. cum Regia Soc. Scient. Pruſſica communicaverant p. 55. ſeqq.
2. Succincta relatio ex Actis Pomeranicis de prodigio ſanguinis in palude circa pagum Stargardienſem Sarovv viſa anno 1724. p. 60. ſeqq.

3. De prodigio ſanguinis e Pomerania nunciato, obſervatio, p. 62 ſeqq.
4. Diſquiſitio de Camphora pag. 70. ſeqq.
5. De experimento probandi ſpiritum vini Gallici &c. pag. 79. ſeqq.

Vide etiam Tranſact. Philoſ. Anglic. ſub No. 1. & 2.

6. De ſpiritu urinoſo cauſtico pag. 87. ſeqq.

Continuat. 3. ſeu Tom. IV.

1. Demonſtratio, ſyrupi Violarum commixtionem ad probanda liquida non eſſe ſufficientem, ſed fallacem p. 310. ſeqq.
2. Examen correctionis olei ſeminis raparum p. 321. ſeqq.

Continuatio 4. ſeu Tom. V.

De vi cauſtica & converſione ſalium alcalino-fixorum aëri expoſitorum in ſalia neutra p. 74. ſeqq.

In Commercio litterario phyſico-technico-medico Norimbergenſi A. MDCCXXXV. hebd. XLVII. & XLVIII.

Judicium & experimenta circa tincturas coralliorum.

Porro etiam quædam in lingua Vernacula reliquit: nimirum.

1. De Salibus alcalino-fixis & Camphora. Berlin 1727.
2. De Succino, Opio, Caryophyllis aromaticis & Caſtoreo. Berlin 1730.
3. Vom Salpeter, Schwefel, Spießglaß und Eiſen. Berlin 1732. Prolixam ejus recenſionem vide in Commerc. Litt. Norimb. an. 1733. p. 21. 28.
4. Von Thée, Caffé, Bier und Wein. Leipzig 1735. Recenſionem ejus vid. Commerc. litt. Norimb. a. 1736. p. 43. 53. 62. 67. & 79.
5. Diſquiſitio de Ambra gryſea. Dreßden 1736. Recenſionem ejus vid. Commerc. litt. an. 1738. p. 77. & 84.
6. Vom gemeinen Saltz, Weinſtein, Salmiac und der Ameiſe. Leipzig 1737.

INDEX

INDEX RERUM

Aſteriſcus numeris præfixus indicat appendicem.

A.

Abſceſſus ani, vide ani abſceſſus; in fronte ad cranii cavum penetrans 91 cerebri, vid. cerebri abſceſſus; genuum vid. genuum abſceſſus; in inguine cum fecum & lumbricorum ex eodem excretione feliciter conſolidatus 235. inſignis & peculiaris veſicæ felleæ 29. 33. 40. internus, externo abſceſſu orto, ſublatus. 250. lienis, vide lienis abſceſſus. os tibiæ a ſua epiphyſi ſeparans 54

Abſceſſuum internorum variorum index 38

Aceti ex potu dyſenteria 294

Achates puniceo-violaceus 421

Acnide, plantarum genus, * 223

Adſtringentium efficacia diaphoretica 177

Aer febrium epidemicarum fomes 432

Alkermes confectioni parum laudis conceditur 147

Alvi pertinacis obſtructionis exempla & remedia 354

Alvinæ excretiones butyro vel pinguedini liquatæ ſimiles cum catarrhalibus defluxionibus alternantes 24

Ambuſtorum remedium euporiſton 439

Anchyloſis vertebrarum ſpinæ dorſi equinæ & humanæ 452

Anevryſma ſpurium ſectione, abſque tamen arteriæ conſtrictione ſanatum 464

Angina catarrhalis quomodo ab angina vera differat 296 quomodo tractanda 2[illegible]8

Angiopteris, plantar. genus * 224

Ani abſceſſus feliciter ſanatus 302

Anima an corpus ſuum ſtruat 3[illegible]3

Animalium propagatio conſtans quibus legibus fiat * 195 diſtributio in genera * 189 * 194

– – – – ſalium, ſpirituum & oleorum efficacia * 33

Animi pathematum effectus in corpore humano 184

Antimonii ſulfuris aurati efficacia contra inſultus epilepticos variolarum eruptionem antecedentes 271

Anus fœtus recens nati ex imaginatione profunde præcluſus 65. operatio chirurgica fruſtra ſuſcipitur ibid. ſectio anatomica

Aphrodiſiacum remedium tube[illegible] ræ 13. 15

Aphtharum remedium 301

Aphyllon, plantar. genus * 231

Apoplexia ſpaſmodica moriuntur hydrophobi 72

Arborum cum truncis coalita corpora 255 ſeqq. partes incruſtatæ & transmutatæ 412

Arbutus quomodo differat a Memæcylo * 204 214

Argenti fodina 419. 420

Arnicæ herbæ vires 408

Aronia, plantar. genus * 206

Arteriæ quædam valvulis inſtructæ 428 ortæ rami ſuperiores ſingularis diſtributionis 379 brachialis rami vulnus funeſtum 88

Arteriarum in artubus vulnera ſæpius funeſta & vix non lethalia pronunciantur 91

Arthritidis remedia varia 358 ſeq.

Arthritis ex morbillis cum crepitu articulorum 173. vaga ſingulari ratione brevi temporis intervallo ſanata 356

Articuli prægrandis hydrops curatus 69

Articularibus in morbis uſus corticis Peruviani 358
Articulorum crepitus ex arthritide 173 ejus cauſſa 175
Aſcites vide hydrops aſcites.
Aſcitis aquæ paracenteſi eductæ examen 156
Aſinini ſanguinis vires * 10. 20. 31. 36.
Aſthma arnica curata 408. periodicum cortice Peruviano curatum 409. ſiccum per uteri hæmorrhagiam mitigatum in vetula 368
Atrophiæ itemque hecticæ & lentæ febris diſtinctio illuſtratur 80

B.

Bilis nigerrima 76 nigra 165. 171
Biſmuthi fodina 420
Botanicorum principia cur diverſa & incerta * 189. unde certum petendum * 194. 200.

C.

Cachecticorum ſtatus cur eludat diaphoreticorum uſum 182
Cachexia ſcorbutica, variis ſymptomatibus ſtipata & ſanata 19. 196
Cajeput olei effectus 407. in epilepſia * 14
Calculi in bobus hieme frequentes, æſtate nulli 12
— — — copioſi in abſceſſu interno reperti 29. 33. 34. 35
— — — elegantiſſimi in veſicis bovinis reperti 9
— — — fellei analyſis 444 poſt icterum reperti 266
Calculus ultra XXVIII. annos in urethra hærens ablatus 441
— — — felleus per alvum excretus 443
— — — magnus infra linguam exciſus 57
Camphoræ virtus in febribus inflammatoriis præcipue purpuratis confirmatur 145 in mania laudatur * 34 ſublimatio colliquatio 1
Cancer mammarum, vid. mammarum cancer.
Cancri aperti prognoſis 342
Canities præmatura & ſubtanea ex mœrore 347
Capitis lotio tempore hiberno ſuſcepta ſoporis lethargici cauſſa 345 oſſa, vide oſſa capitis
Carcinoma labii ſuperioris ex cauſſa venerea ortum & ſalivatione curatum 27
— — ex ſcirrho, vide ſcirrhus colli.
Carcinomata non venerea, mercurialibus remediis exaſperantur 28
Cardialgia vertiginem antecedens 186
Caries dentis ſedata 438
Cartilagineæ coſtæ in juvene XVII. annorum 79
Cartilagineum ſternum in juvene XVII annorum *ibid.*
Cartilaginum generatio & transmutatio 46 ſeqq.
Catarrhales defluxiones periodicæ ex variolis neglectis 24
Catoptricæ deceptiones illuſtrantur 108
Cephalalgia graviſſima periodica 186
Cerebri ſubſtantia ex abſceſſu magnam partem conſumta 92
Cervi caput una cum cornubus quercus trunco inſertum & coalitum 255
Chamædaphne, plantar. genus * 222
Chinæ chinæ cortex, vid. cortex Peruvianus.
Cholidochus ductus ejusque orificium plane conſtricta reperta poſt icterum 266
Chordæ in clavicordio ſponte ſonum edentes 386
Cobalti fodina 419. 420
Cochleæ terreſtres petrefactæ maxima in copia 413
Cœcitas plenaria uſu mercurii dulcis ſublata 243
Colicæ habitualis & dyſentericæ cura ope corticis ſimarubæ 94

Colico-

Colico-iliacus morbus, vide iliaco-colicus morbus.
Colli ſcirrhus, vide ſcirrhus colli.
Convulſiones vehementiſſimæ & variæ ex criſi turbatæ 425
Convulſivi motus chronici ex terrore orti 245
Convulſivis & congeneribus morbis medetur viſcum quercinum 334
Cor ſanguine vacuum in hectico 79
Corallia ſubterranea 413
Corion, plantar. genus * 208
Cornu piſcis quod navem perforaverat, plane ſingulare 199. piſcis Narhvval ſeu Monadon character 202. ejus rara ſpecies 209
Cortice Peruviano curatum aſthma periodicum 409
Corticis Peruviani uſus in morbis articularibus 358. uſus & abuſus 276. decocti effectus 282
— — Simarubæ vires 94
Coſtæ cartilagineæ in juvene XVII. annorum 79
Cranii oſſa, vide oſſa capitis.
Criſeos turbatæ ſequelæ 425
Cuprifodina 419. 420.
Cutis finis primarius 325
Cynorrhyngium, plantar. genus * 207

D.

Debilitas febrilis expoſita 435
Delirium ex eryſipelate * 13
Dendrites Abachienſis 219
Dens piſcis conf. cornu.
Dentis caries ſedata 438
— — evulſionem excreſcentia cartilaginea ſequuta 92. hæmorrhagia ſequuta quomodo ſedanda 436
Dentium caninorum ex difficili perruptione oculorum inflammatio 249. proruptio promota *ibid.*
Diaphoretica efficacia adſtringentium 177
Diaphoroſis differentiæ 178
Diaphragma aſciticum hydatidum copia factum 389
Diarrhœa frigidorum ex uſu ſedata 22. pleuritidi ſuperveniens ſalutaris 244. critica a ſymptomatica quomodo diſtinguenda 432
Diarrhœæ variolis laborantibus die undecimo accedentis prognoſis 272
Diconangia, plantar. genus * 208
Dioptricæ deceptiones 210
Dioſpyros, plantar. genus * 209
Diureſis copioſa & ſalutaris loco ſalivationis exorta 25
Doſis medicamentorum auctior commendatur 360
Dracontium, plantar. genus * 206
Ductus hepaticus, vide hepaticus ductus.
Dyſenteria ex potu aceti 294
Dyſentericæ colicæ cura 94

E.

Ecchymoſes, vid. ſanguinis extravaſationes.
Elymus, plantar. genus * 210
Emplaſtri Pamphilii vis ſtyptica 438
Epilepſia in ſiniſtra manu ſemper orta & curata 54. cum eryſipelate & furore conjuncta * 12
Epilepticorum inſultuum, variolarum eruptionem antecedentium, remedium 271
Erebinthus, plantarum genus * 210
Eriophorum contra ambuſta euporiſton 419
Errhinum egregium eſt pulvis viſci quercini 335
Eryſipelas puerile 351. capitis graviſſimum * 12
Eryſipelatis ſuppreſſi noxæ 353
Exomphalodæus fœtus virilis deſcribitur 320

F.

Faginis a glandibus pleuritis lethalis 269
Faucium inflammatio, vide inflammatio faucium.
Febrem lentam hecticam ſequutæ maciei extremæ cauſſæ 459

Febres epidemicæ ex aëre proveniunt 432. earum criſes & methodi illis medendi optimæ 433
Febribus malignis quibus venæſectio conducat 435. * 18
Febrilis debilitas, vide debilitas.
Febris ardens ſcorbutica 20. 196
– – catarrhalis cum tuſſi ferina pueris infeſta 153. epidemicæ indoles deſcribitur 272. neglecta in phrenitidem abiens * 5
– – cauſas ſymptomatica regimine & remediis refrigerantibus curata 70
– – habitualis 86
– – hecticæ definitio 85. & lentæ itemque atrophiæ diſtinctio illuſtratur 80
– – inflammatoria ex metaſtaſi oborta in lentam degenerans feliciter profligata 24
– – lentæ tabificæ definitio 85
– – maligna cum rigoribus, tendinum ſubſultu, aphonia, ſingultu & ſternutatione frequenti feliciter terminata 380
– – peſtifera cornigerorum * 84. * 113
– – purpuracea petechizans ex lochiorum ſuppreſſione 130
– – tertiana biliosa cum ictero alternans & phœnomena ſingularia obſervata 260
Febrium chronicarum natura exponitur 84. ſeqq.
Felleæ veſicæ expanſio enormis 40. ſeqq. veſicæ abſceſſus inſignis & peculiaris 29. 33. 40
Fellei calculi copioſi in abſceſſu interno reperti 29. 33. 34. 35. lapilli nigri minimi 165
Ferrifodinæ 420
Fiſtula glandulæ parotidis cauterio ſanata 293. inguinis dextri graviditate ſanata 93. veſicæ XXX. annorum curata 55
Fluore cum albo ſudor pedum alternans 98. 100. ex albo ſingularis excreſcentia in vagina uteri infauſto auſu extirpata 17
Fluoris albi ætiologia 164
Fœtus cum duobus cotyledonibus vertici adnatis excluſus 343
Foliorum raphani majoris vegetatio deorſum facta 59
Foſſilia Sueviæ 411. 422
Foſſilium genera potiora per certas regiones ſuis limitibus cinctas, diſpoſita jacent 411
Frigidorum ſalubritas præcalidis 22
Frigoris effectus in corpore humano 184
Fuci marini ſpecies nova deſcripta & depicta 450
Fuliginis tinctura largiſſime exhibita illico ſedavit arthritidem vagam 360
Fungi ſubptyaliſmo e lingua prognati & curati 68
Fungiformes lapides, vid. lapides fungiformes.
Fungus ex vulnerato articulo excreſcens 70
Funiculo ex umbilicali quæ judicia infandicidii petenda * 76. * 77
Furioſorum in oculis pupilla dilatata * 8. * 13

G.

Garoſmos, plantarum genus * 211
Gargariſationis uſus in angina catarrhali 298. in odontalgia aliisque oris affectibus 301
Gelatinoſum oleoſo minus aptum eſt pinguefaciendi ſubjectum 332
Genitalium partium & lienis conſenſus 332
Genuum abſceſſus & ulcus feliciter curata 238. hydrops curatus 69
Glandulæ parotidis fiſtula, vide fiſtula.
Glandularum idea * 43. ſcirrhoſitatis cauſſa 168
Gramen lanatum contra ambuſta euporiſtum 440
Gravedini catarrhali medetur errhinum ex pulvere viſci quercini 335
Gravidarum picæ ſtupenda exempla 62

Gravidi uteri ſtatus 126
Guſtus nervi quinam 403

H.

Hæmorrhagia ex dente evulſo ſæpe lethalis 436. enormis e faucibus, gingivis & lingua prorumpens in hæmorrhoidario ſanata 148. linguæ ſalutaris 276. uteri enormis cohibita 247
Hæmorrhoidarius longiſſimam ſanguinis ex lingua profuſionem ſalutariter expertus 276
Hæmorrhoides menſtruæ in puero undecenni 176. in ætate puerili plura exempla 177
Hæmorrhoidum ſuppreſſionis noxæ 353
Hay piſcis, ejusque cornu vel dens deſcribitur 205. 207
Hectica fabri defuncti ſectio 77
Hecticæ febris definitio 85
Hecticorum ſudoris & diarrhœæ ætiologia 185
Hedyoſmos, plantar. genus * 211
Helix, plantar. genus * 224
Hemiplexia graviſſima bis curata tertium recurrens lethalis 190
Hepar ubique adnatum 79. inter & lienem proportio 325
Hepaticus ductus mirum in modum dilatatus & alteratus 35
Hepatis conformatio, magnitudo & ſitus præternaturalis 321
Hermaphroditus putatus infans deſcribitur, & de hermaphroditorum cauſſis conjecturæ proponuntur 287. verus non datur 290
Hernia inguinalis in fiſtulam mutata 93
— — oculi incipiens curata 67
— — umbilicalis in hydropico cauſſa mortis 56. enormis in fœtu obſervata 320
Hippopothami dens deſcribitur 202
Humorum univerſalis dyſcraſia ſcorbutica graviſſima ex abuſu potulentorum ſpirituoſorum & feculentorum 19. 196. ejus cura feliciter obtenta 21. 197
Hydatides in hydrope ſaccato repertæ 388. in variis viſceribus 401
Hydatidum origo 396. 401
Hydrophobiæ ſymptomata 71. cura per mercurium 72
Hydrophthalmia recidiva 158
Hydropicorum ſtatus cur eludat diaphoreticorum uſum 182
Hydropicus mortuus ex hernia umbilicali 56
Hydropis variæ ſpecies 394. unde 158. omnibus ſpeciebus convenit diæta lactea 154. 158
— - cura ex paracenteſi ſpontanea per umbilicum 283
— — idæa & remediorum anthydropicorum effectus dubius 277. ſeqq.
— — pectoris hiſtoria & ſigna 353. & renum vitiatorum nexus 333
Hydrops articuli prægrandis curatus 69. aſcites feliciter curatus 241. empyico-hydaticus 403. ictero junctus lethalis 273. ex lapſu ſolutus 280. ſaccatus ab hydatidibus 388
Hypochondriaci morbi ætiologia 166. ejus & ſcorbuti affinitas 766

I.

Icterus cum febre tertiana bilioſa alternans, & phænomena ſingularia obſervata 260. hydropi junctus lethalis 273
— - niger ejusque phænomena ſingularia 74. ex glanduloſa ſubſtantia ſcirrhoſa ductus cholidochi orificium obturante 76. ex urina tantum conſpicuus & feliciter curatus 232
Iliaco-colicus morbus cum tympanitide ex glanduloſa coli inteſtini excreſcentia 160
Imaginarius ſenſus unde 434
Imaginationis vis in gravidis exemplo probatur 344

Infanticidii caſus expoſitus * 51. ſigna unde petenda * 54. ſeqq. * 71. ſeqq.
Infantum maculæ volaticæ 351
Inflammatio faucium & uſus gargariſationis ulterius illuſtratur 295
Inguinum & inteſtinorum abſceſſus curatus 235
Inoculatio radicum 61
Inteſtina cum meſenterio & vicinis membranis valide concreta 266
Inteſtini coli excreſcentia glandulofa quæ mala produxerit 160
Inteſtinorum abſceſſus feliciter curatus 235. ſpaſmus, vide ſpaſmus ventriculi & inteſtinorum tunicæ excretio falſa deprehenſa 462
Iridis repræſentatio per priſmata, conos & ſphæras 223. ſeqq.
– – noſtratis ſucci efficacia in hydrope aſcite 241
Iſchiadicus dolor ſcarificatione & purgatione curatus 361
Iſchuria ex mola veſicæ caudata 327. X. dierum, tandem lethalis 370
Iſchuriæ geneſis 329. differentia 331. remedia 372. ſenilis remedium probatum 328

L.

Labii ſuperioris carcinoma ex cauſſa venerea ortum & ſalivatione curatum 27
Labiorum muſculorum paralyſis 304
Lac augent tubera terræ 15
Lactea diæta omni hydropis ſpeciei convenit 158
Lapides fungiformes maris rubri 217. ſunt molles ſubundis 218
Lapſus gravioris in hypochondrium dextrum ſequelæ funeſtæ 36
Leptoſtachia, plantar. genus * 212
Lethargicus ſopor cum vomitu ex capitis lotione tempore hiberno ſuſcepta 345
Lien in quinque lobos diviſus 79. ſuccenturiatus 379
Lienis abſceſſus, abſceſſu in inguine orto, ſublatus 250. moles aucta 266. proportio ad hepar 325. & partium genitalium conſenſus 332
Ligamenta ad genu articulum diſſecta & curata 69
Lignum Laubacenſe foſſile 412
Linguæ fungi ex ptyaliſmo neglecto 68. hæmorrhagia ſalutaris 276
Liquidambar, plantar. genus * 212
Lochia in utero ſuppurata & per hypogaſtrium expurgata 307
Lochiorum abſoluta neceſſitas, & emanentium ſalutaris terminatio 126. vitia, quoad defectum, ex triplici fonte 307
Loquela præcluſa in febri maligna feliciter terminata 381
Lues venerea mercurii ope abſque ſalivatione ſublata 25
Luis cornigerorum graſſatæ hiſtoria, phyſiologica, pathologica & therapevtica * 81. ſeqq. ea infectorum animalium carnes an citra noxam comedi queant * 83
Lumbrici per abſceſſum in inguine excreti 235. in hepatico ductu & veſicula fellea reperti 29. 35. 44
– – teretes variolis obſeſſi, ab infante varioloſo excreti 286
Lunæ cornuæ vena ſciſſilis 419

M.

Maciei extremæ febrem lentam hecticam ſequutæ cauſſæ 459
Maculæ ſcorbuticæ, vide ſcorbuticæ maculæ.
– – volaticæ infantum 351
Malachites 420
Malachodendron, plantar. genus * 216
Mammarum cancri exulcerati cura abſque chirurgica operatione poſſibilis declaratur * 39. formatio & indoles * 45. medendi methodus * 47
– – ſcirrhi generatio * 44
– – ſtructura * 42
μανια νοσηματωδης * 1. * 22
Mania ex febri acuta ſanguine aſinino curata

curata * 9. * 20. in melancholiam mutata * 30
Maniæ remedia ſpecifica * 34. ſeqq.
Maniaci medicis ſunt infenſiſſimi * 9
Maniacus quaſi affectus abſceſſu critico in manu ſublatus 363
– – aqua Selterana curatus * 9
Manuum tumor hydropis pectoris ſignum 354
Meconium unde originem trahat 322
Medicamentorum doſis auctior commendatur 360
Medicina ex numiſmatibus illuſtranda * 115
Melilobus, plantar. genus * 215
Melothria, plantar. genus * 216
Memæcilum, plantar. genus * 204. * 213
Membranarum origo & tranſmutatio 46. ſeqq.
Memoria Neumanniana * 243
– – Widmanniana * 225
Menſes ex ulcere tibiæ fluentes 93
Menſium muliebrium finis hydropis ſæpe initium 279
Mercurialia remedia copioſiſſime exhibita nullam ſalivationem ſed diureſin excitant 25
Mercurialibus remediis carcinomata non venerea exaſperantur 28
Mercurii effectus per ſalivationem præfertur reliquis excretionibus ab illo excitatis 27. dulcis uſu ſublata cœcitas plenaria 243
Mercurius remedium pro avertenda hydrophobia 32
– – ſophicus delarvatus * 121
Meſenterium cum inteſtinis & vicinis membranis valide concretum 266
Metalla Sueviæ 418
Mictus cruentus frigidorum ex uſu ſedatus 22
Mœror canitiem præmaturam & ſubitaneam producens 347
Mola veſicæ urinariæ iſchuriæ lethalis cauſſa 327
Molarum per alvum ejectarum & veſicalium fit mentio 333
Monadon eſt Narhvval 202
Morbilli facile poſt ſe relinquunt incommoda varii generis 173. 174
Morborum ætiologia & therapia illuſtratione opus adhuc habent. 99
Μυοκέφαλον quid 67
Muſæ Serapionis hiſtoria * 179
Myrrha, plantar. genus * 217

N.

Nævus ex imaginatione 344
Narhvval piſcis, vide cornu piſcis.
Naturalis ſcientia ex numiſmatibus illuſtranda * 115
Navem cornu perforantes piſces 199. 211
Nephritici dolores ex uſu frigidorum ſedati 22
Nervi partium ſolidarum origines 46. guſtus quinam 304
Nuclei prunonum deglutiti mortem inferentes 56
Numiſmatum hiſtoriæ uſus in medicina & naturali ſcientia * 115

O.

Obſeſſio ſpuria 368
Oculi hernia incipiens curata 67
Oculorum inflammatio a difficile dentium caninorum perruptione 249
Odontalgiæ remedium 301
Odorum varietates unde 336
Oeſophagi paralyſis curata 58
Oleoſum pinguefaciendi ſubjectum aptius eſt gelatinoſo 332
Oleum bezoardicum Wedelii ex quibus componitur 299
Omentum conſumtum 75. 79. 325. 464
Ophthalmia ex variolis neglectis 23

Opii uſus in febri cauſo ſymptomatica 70
Orchidion, plantar. genus * 218
Oſſa foſſilia 416
Oſſis bregmatis depreſſio inſignis & paralyſis ſubſequuta curata. 364. cribriformis pars peculiaris ſtructuræ 251. frontis omnium craſſiſſimi deſcriptio 251
Oſſium generatio & incrementum in corpore humano 46
— – capitis enormis craſſities & durities 251
— – crepitus, vide articulorum crepitus.
Oſtracodermata marina ſubterranea 414
Ovaria indurata 464
Ovula Nabothiana. 400

P.

Panacea, plantar. genus * 221
Pancreas ſcirrhoſum in ictero nigro 76
Paracenteſis inſtitutæ ſucceſſus 156. 157. ſpontanea & ſalutaris in hydropica per umbilicum eveniens 283
Paralyſis poſt partum. 148. muſculorum labiorum. 304. lateris ſiniſtri ex depreſſione oſſis bregmatis ſiniſtri. 367. œſophagi curata 58
Parotides ex variolis neglectis 23
Parotidis glandulæ fiſtula, vide fiſtula.
— – ulceris ſcirrhoſi remedium 301
Partum excipiens paralyſis 148
Pectoris in cavitate aqua reperta ſine prægreſſa pulſus alteratione. 165. in oppletione pituitoſa ſcillæ radicis efficacia 242
Pedum ſudor, vide ſudor pedum.
Penſtemon, plantar. genus * 214
Pericardium aqua repletum in hectico 39
Peruvianus cortex, vide Cortex Peruvianus.
Peſtis Maſſilienſis indoles * 114
Petrefactæ cochleæ terreſtres 413
Philaletha illuſtratus * 121
Phocæ ſpecies eſt Hippopothamus 202
Phrenitis ex febri catarrhali neglecta * 5. in maniam degenerata * 9
Phyſica ex numiſmatibus illuſtranda * 115
Phytolithus duplicis generis 484. 451
Picæ gravidarum exempla ſtupenda 61
Pilorum generatio in corpore humano 51
Pinguefaciendi ſubjectum aptius eſt oleoſum gelatinoſo 332
Piſces petrofacti. 422. navem cornu perforantes 199. 211
Piſcis cornu, vide cornu piſcis.
Plantæ organis utriusque ſexus inſtructæ ſunt * 200
Plantarum genera aliquot recens condita * 189. 206. ex quibus principiis definienda * 200. 203
— – claſſes unde formantur * 202
Pleuritidi ſuperveniens diarrhœa ſalutaris 244
Pleuritis lethalis a glandibus faginis 269
Plumbi fodina 420
Podagra per transplantationem abacta 356
Polyhedrorum effectus 225. 228
Polyoptrorum effectus 225. 227
Polypus cordis. 329. 463. eius origo 332
— – carnoſus in cordis ventriculo dextro abſque praegreſſa pulſus alteratione repertus 165
— – falſus 19
Pori cutanei valvulis inſtructi ſunt 248
Potulentorum ſpirituoſorum & feculentorum ex abuſu humorum univer-

verſalis diſcraſia ſcorbutica graviſſima 19. 196. ejus cura feliciter obtenta 21. 197
Priſmata annuaria 224
Priſmatis vitrei trigoni effectus deceptio 223
Propagatio animalium, vide animalium propagatio.
Ptyalyſmo ex neglecto fungi e lingua excreti 68
Pulmones cum pleura coaliti. 463. ſcirrhoſi 463
Pulmonum fœtus ex colore & aquis innatatione quæ quæ probari queant *54. *71
Pulſus alteratio nulla praeſente polypo & aqua in pectoris cavum effuſa 165
Pupilla in furioſis dilatata reperitur *8. *13
Purgantium vſus in arthritide vaga. 358. 359. in rheumatiſmis 362
Puris vomitu repetito ſublatus tumor in inguine dextro exortus 337
Purpurae hiſtoria theoria & cura. 348. eruptio poſt partum *15. in puerperis malignitas *25
Puſtulæ pendulæ ſingulares in ſuperficie corporis 20. 196
Pyritæ globoſi 420

R.

Rabidi animalis virus primum ſalivales partes adficere, ex quibusdam phænomenis demonſtratur 71
Radicum molis augmentatio artificialis 61
Raphani majoris foliorum vegetatio deorſum facta 59
– – ruſticari efficacia in hydrope aſcite 241
Raucedo arnica curata 408
Refrigerantibus remediis & regimine febris cauſas ſymptomatica curata 70
Renis ſiniſtri vitia frequentiora 332
Renum vitiatorum & hydropis pectoris nexus 333
Reſpiratio fœtus in utero ex quibus rationibus affirmetur & negetur *58. *71
Rheumatiſmus femoris pertinax curatus 361
Rigores in febri maligna feliciter terminata 380
Rosmarus, vide Hippopothamus.

S.

Saliváles partes rabidi animalis virus primum adficere, ex quibusdam phænomenis demonſtratur 71
Salivatione curatum carcinoma labii ſuperioris ex cauſſa venerea ortum 27
Salivationis loco diureſis copioſa & ſalutaris exorta 25
Sanguinis vires medicæ ſpecificæ *35
– – aſinini vires medicæ 10. *20. *31. *36
– – excretiones ex variis corporis partibus cum convulſionibus 425
– – extravaſationes in fœtu recens nato repertæ an ſignum infanticidii *75
Scabies retropulſa lethalis 384
Scarificationes conſuetæ intermiſſionis ſequelæ 276. uſus in febri quadam catarrhali epidemica 273. in rheumatiſmis 362
Schiſtus niger 448
Scillæ radicis efficacia in oppletione pectoris pituitoſa 242

Scir-

Scirpus maximus euporiſton contra ambuſta 439
Scirrhorum generatio, 341. in mammis generatio *44
Scirrhoſa viſcera 463
Scirrhus colli in carcinoma lethale converſus 339
Scorbuti & hypochondriaci morbi affinitas 166
Scorbutica cachexia, vide cachexia ſcorbutica; febris, vide febris ſcorbutica.
Scorbuticæ maculæ per totum corpus obſervatæ 750
Scorbuticorum ſudoris & diarrhœæ ætiologia 185
Senſus imaginarius unde 434
Serum ſtriis mucoſis infectum quid denotet 435
Sima rubæ corticis ope colicæ habitualis & dyſentericæ cura 94
Singultus & ſternutationis nexus unde 382. in febre maligna feliciter terminata 380
Sonum ſponte edentes chordæ in clavichordio 386
Sopor lethargicus, vide lethargicus ſopor.
Spaſmodicus affectus per abſceſſum criticum in dorſo manus ſublatus 363
Spaſmus ventriculi & inteſtinorum periodicus curatus, 405. veſicæ lethalis 275
Specificorum uſus legitimus 439
Specula varia eorumque vires explicantur 110. ſeq.
Spiritus frumenti abuſus noxæ, 20. 196. 250. 276. 329. 333
Spondylococcos, plantarum genus *218
Squillæ radix, vide ſcillæ radix.
Steriles feminæ ad hydropem proclives 239
Sternum cartilagineum in juvene XVII. annorum 79
Sternutatio frequens in febre maligna feliciter terminata, 380. in febribus malignis & peſte peſſimum ſignum 383. in hyſtericis frequens 383
Sternutationis & ſingultus nexus unde 382
Stypticum facile in hæmorrhagia dentium evulſorum ſæpe lethali 436
Sutor acidus 360. 381
— — pedum cum fluore albo alternans 98. 100. ſollicite conſervandus. 101. ex ejus ſuppreſſione quæ mala. 102. 104. 106 ſuppreſſus quomodo revocandus 105
— — ſanguineus curatus 425. 431
Symphorantus, plantar. genus *219
Syncopes ſingulare exemplum 23

T.

Tabes veterum medicorum 80. ſeqq ex ſcirrho pancreatis 76
Tendinum ſubſultus in febri maligna feliciter terminata 380
Terror motuum convulſivorum chronicorum cauſſa 245
Teſtacea ſubterranea 415. 416. lacuſtria ſubterranea quaſi calcinata 412
Tophi fodinæ 412
Transplantatione abacta podagra 356
Triffoli, vide Tubera terrore.
Trilopus, plantarum genus *219
Trixis, plantar. genus *220
Tuberum terrae eſculentorum ſeu triffolorum hiſtoria 12. eorum ſalubritas. 13. 15. inveſtigandi modus per canes 15
Tuckfiſch ejusque cornu deſcribitur 207

Tu-

Tumor in regione iliaca dextra exortus per repetitos vomitus puris ſublatus 337
Tuſſis ferina puerorum 153
Tympanites, conf. iliaco-colicus morbus.

V.

Valvulæ in poris cutaneis & arteriis quibusdam 428
Variolarum epidemicarum indoles deſcribitur 270. eruptionem antecedentium inſultuum epilepticorum remedium 271
Variolas poſt ſuperatas noxia admiſſio præmatura aëris frigidi 23
Variolis affecti fœtus in matris utero adhuc degentes 287
– – obſeſſi lumbrici teretes ab infante varioloſo excreti 286
Varioloſorum gravedini ſymptomaticæ medetur errhinum viſci quercini 335
Vegetatio raphani majoris foliorum deorſum facta 59
Venæ jugularis internæ vulnus feliciter ſanatum 73
– – ſectio quibus ſub circumſtantiis in febribus exanthematicis utilis 135. quando in febribus malignis conducat 435. ejus uſus in febri quadam catarrhali epidemica 273. in delirantibus * 27. in morbis exanthematicis * 28
Venerea ex cauſſa carcinoma labii ſuperioris ortum & ſalivatione curatum 27
Ventriculi ſpaſmus, vide ſpaſmus ventriculi.
Ventriculus valde exiguus 79
Vertebræ XXV. in ſceleto humano 379
Vertebrarum ſpinæ dorſi equinæ & humanæ coalitus 452
Vertigo tenebricoſa idiopathica & ſympathica curata 186
Veſica urinaria in bove diſrupta 10
Veſicæ pendulæ ſingulares in ſuperficie corporis 20, 196
– – felleæ abſceſſus, vide abſceſſus veſicæ felleæ.
– – urinariæ conditio in fœtu * 77. in fœtu recens nato quale ſignum præbeat in diſquiſitione infanticidii *ibid.*
– – fiſtula, vide fiſtula veſicæ urinariæ.
– – ſpaſmus lethalis 275
Veſicatoriorum efficacia in variolis mali moris 271. effectus in febri quadam catarrhali epidemica 273
Übergälle, morbus animalium * 114
Viſcera abdominis ſcirrhoſa 463
Viſcerum coalitus minus 31. concretio a ſcabie retropulſa 384 reliquarumque partium abdominis formationis ordo 325
Viſci querni operandi modus in morbis convulſivis & congeneribus 334
Viticella, plantar. genus * 220
Ulcus genuum, vide genuum ulcus.
Umbilicalis hernia, vide hernia umbilicalis.
Vomica pulmonis vomitorio curata 57
Vomitus puris, vide puris vomitus.
Urachus in fœtu non pervius 66
Ureter duplex 379
Ureteres duo in rene ſiniſtro 57
Ureteris valvulæ nullæ 380
Urina nigerrima in ictero excreta non ſemper gangrænam & mortem inſtantem indicat 76

Urinæ vitia varia & decretoria 150
Uteri gravidi ſtatus 126
– – hæmorrhagia enormis cohibita 247. chronica in vetula 368. ex hæmorrhagia aſthma ſiccum mitigatum 368
– – inflammationis & ſuppurationis theoria 313. ſeqq.
– – muſculus orbicularis Ruyſchii 393
– – in vagina infauſto auſu extirpata ſingularis excreſcentia ex fluore albo 17
Vulnus venæ jugularis internæ feliciter ſanatum 73
Uvula duplex 378

W.

Wallroſs, vide Hippopothamus.


X.

Xiphiæ piſcis roſtrum enſiforme deſcribitur 30. ejus duæ ſpecies 209

Z.

Zoologorum principia * 189. certa unde petenda * 194


BRITISH MUSEUM NATURAL HISTORY




Volum. VIII Actor. N. C.
Tab. I.
Fig. 3.
ad Obſervat. XXII. pag. 81.
ad Obſervat. XI. pag. 50
Fig. 1.
Fig. 2.
Fig. 5.
ad Obſerv. XXXIX. pag. 113.
Fig. 4.
ad Obſ. XXXIII pag. 96.

ad Obſervat: XLII. pag 172. Volum. VIII. Act: N. C. Tab: II.




Vol. VIII. Actor. N. C.
Tab III.
ad Obſ. LV. pag 220
Fig 5.
Fig 4
ad Obſerv. LIV. pag 216
Fig 2.
Fig 3
A
B
C
D
E
F
Fig 1
D
C
A
B


Vol VIII Actor. N.C. Tab. IV.
ad Obſerv. LIV pag. 217
Fig. 2
Fig. 1
ad Obſerv. LV. pag. 218.
Fig. 5.
Fig. 4
ad Obſerv. LIV p: 217.
Fig. 3.

ad Obſerv: LXVIII
pag. 252.

Fig. 1.





Fig. 2.



ad Obſerv. LXVIII. pag. 253.

Vol. VIII. Actor. A. N. C. Tab. VI.

Fig. 1.





Fig. 2.

ad Obſerv: XCIII. pag. 345.




A. Hydatides variæ magnitudinis.

B. Laciniæ hydatidibus adhærentes.

C. Corpuſcula lutea circa hydatides occurrentia.

Seiling fc.


Volum. VIII. Act. A. N. C.
Tabula VIII.
ad Obſerv. CXX. p. 442.
Fig. 1.
a
b
b
Fig. 2.
ad Obſerv. CXXI. p. 444.
Fig. 4.
Fig. 3.
ad Obſerv. CXXII.

Volum. VIII. Actor. N. C. Tab. IX.

